UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi praesertim Ecclesiae accommodatum


Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

urn:nbn:de:hbz:466:1-62032

Visual Library



Autores nonnulli canonistæ.

Summa Aurea siue Armilla aurea R.di Pris Bartholomæi Fumi Ordinis Prædicatorum.
Praxis Episcopalis Zerolæ.
Speculum Guilielmi Durandi.
Petrus Rebuffi de beneficijs.
Navarrus
Toletus.
Couarruuias.
Felinus 2 tomi.
Examen Theologiæ Moralis autore Antonio Fernandez. Coloniæ 1621
Albertus Pasarunitanus 4 tomi.
Lexicon Iuridicum Iuris Romani simul et Pontificij Simonis Schardij I.C. clarissimi.
Concilium Tridentinum.
Flaminius Parisius I.C. Consultus: tractat: de resignatione beneficiorum et de de contidentia beneficiali prohibita. Coloniæ.
Scholia Tridentini decisiones et declarationes illust. S.R.E. Cardinalium eiusdem Concilij Interpretum opa et studio D. Petri de Gallemart S.T. Licentiati Colonien.
Flores Doctorum Insignium tam Græcorum q Latinorum, q Thomam Hybernicum seculo collecti
Clauis Regia Sacerdotum casuum conscientiæ Autore R.P.D. Gregorio Sayro Anglo in fol. Antuerpiæ 1619.
Flores Theologicarum Quæstionum in 4tum librum Sententiarum collecti a R.P. Fratre Iosepho Anglo Valenti. in 8vo Antuerpiæ apud Petrum Bellerum.
Astri Notdziatur siue Libellionum libri duo in 8vo emendatiori. Anno Dni CIↃ IↃ XCI
Spira Nemetum Ciuitatis Imperialis libere apud Bernardum Albinum.
Speculum Notariorum Philippi Maiserus Rei Moguntini Vicarij Balthasar Arnoldi
Petri Malderi Episcopi Antuerp. de sigillo Confessionis.
Assertionum Lutheri confutatio Petri Rottemi Episcopi
Joannis Nasi 6 columina in 8vo Ingolstadij Germaniæ impressa.
Tabulæ ingentium hæreseon Reuerendi Patris Willelmi Londini Bedfordiensis Sacræ Theologiæ Doctoris Regij Consiliarij Antuerpiæ apud Withegium.
Manuale Beatæ Contemplationis
Reginaldi.
Vincentius Filliucius Quæstionum Moralium, apud Keerbergium Antuerp. 1623.

Praxis Criminalis Canonica. Diaz.
Vilgautius de Rebus Ecclix non alienandis.
Viatorium Juris. Joh. Herbey.
Al. Christophori Rasperger, diuersa pauperum istorum nerborum Christi
Hoc e corpus meum. Interpretationes, quibus continentur uocum nouitates, deprauationes, errores Theologorum, qui Euangelij Nomine gloriantur Ingolstadij 1577.

M II
Th. 4773. 40

DIRECTORIVM ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE,

Colonienſi præſertim Eccleſiæ accommodatum.

Collegij Societatis Jesv Paderbornæ. 1640

VARIOS ECCLESIASTICORVM HOMINVM ſtatus, & functiones, cùm priuatas tum publicas, eiuſdem Eccleſiæ ſtatutis, ſacriſq; Canonibus, & temporum noſtrorum neceſſitatibus conuenienter explicans.

Ad Sereniſs^m. & Reuerendiſs^m. Principem, Ferdinandum Archiepiſcopatus Colonienſis Coadiutorem, BAVARIAE DVCEM, &c.

AVCTORE, REVERENDISS. IN CHRISTO PATRE, AC DOMINO, D. OCTAVIO FRANGIPANO, MIRTHO, EPISCOPO TRICARICENSI, *Apoſtolicæ Sedis per Germaniam inferiorem, & Belgarum Prouincias, Nuntio.*

Leuit. cap. 20.

Sanctificamini & eſtote ſancti, quia ego ſum Dominus Deus veſter.

Theodori Joannis ngk Hallensis. possessor Ao 1627.

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, ſumptibus Arnoldi Mylij.
ANNO clo. Io. XCVII.
Cum gratia & priuilegio Sacræ Cæſar. Maieſtat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DIRECTORIVM
ECCLESIASTICAE
DISCIPLINAE

Coloniensi præsertim Ecclesiæ
accommodatum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI FERDINANDO, ARCHIEPISCOPATVS COLONIENSIS, ET PRAEPOSITVRAE BERGTESGADENSIS COADIVTORI ET ADMINISTRATORI, PRAEPOSITO ARGENTINENSI, COMITI PALATINO RHENI, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCI, &c. OCTAVIVS FRANGIPANVS MIRTHVS, APOSTOLICAE SEDIS PER GERMANIAM INFERIOREM NVNTIVS, ET EPISCOPVS TRICARICENSIS, SALVTEM IN DOMINO.

CVM multa inuitarent me & hortarentur, Sereniſsme & Reuerendiſsime Princeps, vt in hoc longo ac diuturno locorum interuallo, quod multæ & graues Legationis meæ functiones inter nos poſuerunt, litterarum commercio præſentem me facerem Sereniſsimæ & Reuerendiſsimæ C. V. ac priſtinæ conſuetudinis ſuauitatem, quæ Coloniæ feliciter orta & aucta eſt, ac Ingolſtadij magis confirmata, innouarem: tum præcipuè impulit me ac permouit, quæ conſecuta eſt officiorum & ſtudiorum ſimilitudo, eademque rerum agendarum prouincia. quæ eſt, attendere gregi Do-

minico, regere Ecclesiam Dei, dilectumq; Christi populum, quem ab æterno elegit, ac sanguine suo redemit, omni præsidio ac tutela contra mala omnia defendere ac communire. De quo vt cuiq; membro, pro dignitate ac munere suo, cõuenit benè mereri: ita Principes viros in primis decet, nullum diem aut noctem prætermittere, quin de veræ religionis, fidei, ac priscæ pietatis honore (vnde ceu à capite, ac fonte quodam cætera omnia bona pendent ac profluunt) vel collapso instaurando, vel languente excitando aut incolumi confirmando promouendo & exaltando, sanctam ac intentam cogitationem suscipiant. Quod vt à nobilissima ac Serenissima Domo vestra religiosè semper actũ fuit, ac in primis à sanctissimis parentibus vestris, sine vlla intermissione deuotissimè præstatur; ita virtus ista ac pia hæc sollicitudo, ingenita esse Serenis. ac Reuerend. C. V. & cum ea ab infantia creuisse videtur. Ideoq; secundum Deum rem magnam ac Reipub. Christianæ, præcipuéque Ecclesiæ Colonienſi valdè desideratam eos fecisse sentio, qui ad hoc munus Serenis. & Reuerend. C. V. cooptauerunt eiq;

tam

tam præclaram explicandæ industriæ, indolis ac pietatis suæ occasionem dederunt, & Seren. C. V. Deo gratissimum in odorem suauitatis obtulisse iudico sacrificium, cum ad onera & labores hosce manus suas extẽdere ac humeros submittere non recusauit. Spem enim non dubiam ac pæne iam exploratam omnes conceperunt, Deum Opt. Maximum per Serenis. ac Reueren. C. V. tanquam gratum sibi & aptum instrumentum, quo vti posset pro sapientia cordis ac animæ suæ, salutem populi operaturum esse & Colonienſem Ecclesiam, varijs afflictam & ferè suppressam cladibus, Præfecturaista vestra, piaque ac assidua sollicitudine, sic præparandam, vt idonea & digna esse possit, quæ Dei misericordiam participet, & pristinæ suæ sãctitati & integritati restituatur. Quod quánam potissimùm præstari ratione possit, alij aliter sentient. Mihi verò visum semper fuit, non tantùm istam Colonienſem, sed neque aliam quamlibet collapsam Ecclesiam faciliori aut meliori in integrum restitui posse modo, quàm quo primùm condita & ædificata est: nimirum vt prima ac potissima cura de pietate

sit, & Domino nostro Iesu Christo auctori & capiti suo ita coniungatur & coadunetur, vt omnem pietatis ac beatitudinis influxum ab eo participare queat; hoc autem fieri arbitror non posse, nisi in primis ab his qui Christo proximi esse debẽt, hoc est à Clero, & ab illis præcipuè qui in Clero ceu Duces & Principes cæteris præeminent, omne vitium & quidquid Deo displicet, ac corpori Christi non congruit, planè remoueatur: vt à quibus in reliqua sancti huius corporis membra plurimum deformitatis & mali iam diu redundauit, quorumq; causa diu multũq; afflicta multis modis fuit tota Christi Ecclesia; in his pristinus ille Ecclesiastica disciplina vigor resuscitatus & renascens, indidem virtute harmonia ac mutuæ coniunctionis longè lateq; ad cætera membra viuaciter defluat, omnemq; in illa virtutem suã efficaciter exerat. Cum enim hi qui in populo Dei eminent, potenti Spiritus sancti virtute animati ac vegetati, ab omni infirmitate sua conualuerint ac salutari virtutum omnium vnguento perfusi, Zelo amoris Dei accensi fuerint: fieri non potest, quin eorũ virtus vicina membra corripiat, foueat et vegetet, eodemq; amore ac pietate, quo ipsi ac-

censi

censi sunt accendat atq; inflãmet. Nimirum vt quemadmodũ vnguentum illud quod descendit in barbam Aaron, mox peruasit extremã vesti- Psal. 132.
menti eius oram: sic Christi bonus odor, veráq; pietas, vbi primos quosq; Christiani populi rectores, eorúmq; cooperatores inuaserit, veraq; sanctitatis gustu & fructu immutauerit; mutãtur mox alij omnes horum auctoritate exemplo, doctrina, & vita meritò. Cuius quidem rei auspicandæ, et in actũ aliquem ducendæ, vt multa passim ac vndiq; suppetũt adiumẽta & præsidia; sic continuandæ & ad optatum consummationis & perfectionis finem perducendæ, par vtinam esset facilitas & expedita ratio. Equidem vt & hîc non calem iudicium meum, facit amor ac studium meũ quod erga nobilissimam istam Ecclesiam & antiqua pietate, ac religionis sanctimonia olim florentissimam superioris verò temporis perturbationibus, & pernicioso tumultu haud mediocriter depressam ac humiliatam, erigendam tuendámq; suscepi.

Quod porrò ipso opere testari clarius paratus eram, nisi suauiter ac ordine cuncta disponens Dei prouidentia, aliò curas cogitationesq; meas

meas transtulisset. Ad inueterata igitur quauis mala perrumpenda & eradicanda, omnemque nequitiam ex hominum pectoribus profligandam, nihil ex munere meo duxi esse valentius, quàm ex maiorum instituto, ac Sacrosancti Concilij Tridentini decreto, ac S.D.N. Clemẽtis optima Ecclesiam iuuandi voluntate, cogere Cleri cætũ; in assiduum vsum reuocare synodos; inspicere omnium, & maximè hominum Ecclesiasticorum mores; disciplinam reuocare neglectam, lapsam atq; iacentem erigere, astringere solutam; ornatum atque decorem Domus Dei tueri, omniq; spe, studio, atq; labore adniti, vt quæ sapienter, sanctè & vtiliter canonum Conciliorumq; decretis, ac Patrum statutis & definitionibus sancita, præscripta & mandata sunt, non tam oratione aut librorum foliis comprehendãtur, quàm acri, efficaci & perenni rerum gerendarum studio verè appareant, & assiduo opere exhibeantur. Quæ mihi, cùm in Ciuitate Colonien si degebam, non in votis dumtaxat erant, ac intimo summoq; cordis desiderio; sed quoq; in destinata actione, definitoq; cõsilio ipsoq; operis procinctu. Flagitabat enim à me hoc officium in primis Christi amor ac mei

mune-

muneris & Legationis propria quædam ratio; tum ipsa temporis necessitas postulabat: sed & Ecclesiæ istius amplitudo & excellens dignitas, eiusdemq; afflictio hanc curã multum augebat. Porrò stimulos quoq; addebat mihi, tam diutur na mea in eadem Ciuitate commoratio ac longa consuetudo cum amplissimo Senatu, quem vt & subiectum ei populum, ad omnem honestatis & Catholicæ religionis cultũ, valde procliuem sensi. Sed hæc cùm ecce in animo diu suscepta, & iam inter manus prope explicata, omittere ilico coactus fui, eoq; mea transferre consilia ac cogitationes, quò S.D.N. volũtas & imperium inuitabat. Non tamen quæ grauiter & studiosè conquisita in hunc finem à me remedia erant, & quæ annorum aliquot vsus et obseruatio pepererat, planè neglecta abiectaúe interim fuerunt; sed diu in Aduersarijs habita in tempus fructib. suis oportunum seruabantur; non tam vt simul effunderentur, quàm vt pro re nata vsui forent. Nunc vero diuersorum amicorum rogatu, qui ea in alijs quoq; Legationis nostræ prouincijs, ad communem vtilitatem extare desiderabant, ne interciderent, aut diutius sine

fructu iacerent in vnum corpus collecta sunt, et vt ederentur, ac in nomine Seren. ac Reuer. C. V. coram omnibus apparerent, me passus sum exorari. Non enim in hac auocatione nostra à diœcesi Colonien si, de ijs in lucem edendis diuulgandisqúe sollicitudo aliqua meo sedit animo, cùm in hoc genere tam multa paßim suppetant, vt nihil ferè desiderari præterea à quoquam posßit: sed cùm illa ab his, qui eadem diuersis in locis viderant & euoluerant, magnopere efflagitarentur; eorum tandem precibus & iudicio, magis quàm meo acquieui, & hoc voluntatis, iudicij ac sollicitudinis meæ in Clerum ac populum, totamqúe Ecclesiam Colonien sem testimonium publicari eò facilius ac lubentius permisi quod Serenißimæ & Reueren. C.V. quæ ijsdem curis, ac sollicitudinibus nunc tenetur, & pro indole, auctoritate nouisq; ornamentis suis, maiori spe suffulta, maiora promittit, nec ingrata hæc fore intellexeram, nec inutilia arbitrabar. Si enim in remedia promptius ac felicius ea præceptiones proueniunt, gratioresqúe sunt, quæ non communem quandam artis rationem sequentes quid feciße vel omisisse iuuerit, vniuersè dumtaxat pronuntiant; sed omnia cõuenienter ho-

ter hominum generibus, temporum ac locorum conditionibus, & morborum statui sigillatim præscribunt: confido hanc à me conceptam methodum, ac salubrium decretorũ seriem in Ecclesia Colonienſi, ceu ægroto quodam corpore regenda & curanda, non parum emolumenti & fructus esse allaturam: eoque illam Sereniſ. Reuer. C. V. fore gratiorem quod ab ipsa rerum tractatione ac vsu nata, non vniuersè tantùm agat, sed & singulis membris sigillatim accommodetur. Quod meum factum ac studium Sereniſ. ac Reuerend. C. V. æqui boniqúe consulat, ac sereno accipiat animo; & hisce decretis, institutis, ac consilijs, pro sua auctoritate, iudicio, circunspectione ac voluntate vtatur, & quantum ex re erit & commodo Colonienſis Ecclesiæ, eadem pro delectu ac optione sua, in actum ducat; quodq; in Domino hortor & obtestor, oblatam vrgeat rei benè gerendæ occasionem; inchoatis à me operibus insistat: & quod eram facturus, nisi ab his auocatus & abstractus, curas aliò vertere debuissem; hoc desideratum à me, et expetitum à bonis omnibus, planeqúe necessarium officium suscipiat, tueatur, atq; perficiat,

reque ipsa experiatur tantum hinc ornamenti atque præsidij accessurum huic prouinciæ (in qua regenda et sustinenda plurimum potest labor & animi magnitudo, industria, atque auctoritas Serenis. ac Reuerend. C. V.) quantum ad eam non solùm subleuandam, sed etiam ex præteritis malis recreandam, postulare vel ipsa queat: indeq; & facilior, cum tempore, eius tutela erit Serenis. & Reuerend. C. V. commendatam accipienti, quam potuit esse mihi commendanti relictam: licet vtrinque ea possit esse bonæ voluntatis cooperatio, vt fructus sit vtriq; par atque communis, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, quem precor vt Seren. & Reuerend. C. V. diutissimè incolumem seruet, & in omnibus benè prosperari faciat. Herbipoli XXVI. *Ianuarij anno*

1596.

OCTAVIVS FRANGIPANVS MIRTHVS APOSTOLICAE SEDIS PER GERMANIAM INFERIOREM NVNTIVS, ET EPISCOPVS TRICARICENSIS CHRISTIANO LECTORI.

QVOD à nobis postulabat Christi amor ac nostræ legationis exigebat ratio, vigilanti studio in hanc curam semper incubuimus, vt omnes Christi fideles, qui nostræ commissi erant fidei, professioni suæ consentaneè & conuenienter viuerent, & essent sicut, magnus Veritatis prædicator D. Apostolus Paulus monet, sine querela in medio nationis prauæ & peruersæ, nemini dantes vllam offensionem, ob quam à Catholicę religionis æmulis quadantenus vituperari possit Christi Ecclesia, vel in odium, inuidiam aut contemptum apud imperitam plebē traduci; quasi ex professione doctrinæ esset, quod peruersorum tribui debet malitiæ, & hos fructus Catholica produceret religio, quos in medio tritici dum dormiunt homines, superseminat inimicus homo. Omnib. quidē, quātum Deo auctore potuimus, hoc voluimus prętare Beneficiū, sed in primis nostro iudicio, ex Legationis nostræ prouincijs Amplissimę Colonienſi Ecclesiæ fuit impendendum. Cum enim ista præuenta à Deo sit in benedictionibus multis, & singulari prærogatiua, à diebus æternitatis electa, vt forma esset fidei, & sanctitatis Ecclesijs quamplurimis, quas & tanquam fœcundissima mater Christo páreret, doctrinaq; sua lactaret, ac in protectionis suæ sinu foueret, & ceu caput, atque peruigil excubitor, quidquid eis vel declinandum, vel amplexandum esset, non solùm sollicitè ijsdem semper prospiceret, sed & virtute sua, ad illa declinanda vel amplexanda, ceu viua corporis sui membra, pro arbitrio suo illas mo-

Ioan. 21.

2. Cor. 6. Phil. 2.

Sap. 2. Matth. 13.

ueret, dirigeret, omnemq; religionis & pietatis virtutem illis subministraret: Plurimi interest, vt metropolitanæ istius Ecclesiæ, tam nobilis, tam insignis, sanctissimorum Episcoporum doctrina & vita in omni pietate religiosissimè excultæ, & plurimorum vtriusq; sexus Christi martyrum sanguine consecratæ & confirmatæ, ac pretiosis eorundem corporibus & reliquijs circumdatæ atq; coronatæ, incorrupta sit in fide, ac sanctitate religionis integritas; & omnes virtutes in hoc capite ita vigeant, vt earum vigore cætera eius membra, omnesq; ei subiectæ & comprouinciales Ecclesiæ ab omni infirmitate conualescant, & ad omnem pietatem animentur; atque fragrantia illius, bono Christi odore vnguenta ad extremam vsq; vestimenti oram ita defluant, vt ad se trahant omnes etiam infimæ conditionis, Christi fideles, aliosq; aut animorum aut morum dissensione longè positos.

Psalm. 132.

Ad hæc præstanda magnum nobis in prouincialibus Colonienſis Ecclesiæ Concilijs, diœcesanisque Constitutionibus præsidium fuit; in quibus ad conseruandam fidei integritatem ad Cleri & populi disciplinam, ad omnem denique Vitæ Christianæ rationem rectè, instituendam, multa præclarè admodum constituta sunt; quæ & ignorantes salutari doctrina erudiunt, infirmos auctoritate magna iuuant, iacentes erigunt, dubitantes confirmant, peruersos coërtione iusta, ne nocere possint, continent, atq; optimos quosque pro vniuscuiusque vocatione, & capacitate, ad plenum incrementum, summāq; prouehunt vitæ Christianæ perfectionē.

His itaque ad reformandam diœcesim & prouinciam Colonienſem, eiq; adiunctas Ecclesias, inhærendum nobis esse, hæc in morem & consuetudinem reducenda putauimus.

Qua in re Deum ac naturam imitantes, Ecclesiam istam ceu corpus, quod ad suscipiendam animam suis organis debito modo debet esse præparatum, in sua membra di-

bra distinximus, eisque singulis suas qualitates quasi organa quædã tribuimus, quibus ad recipiendã formam suam disponerentur, vnaq; quænam sint singulorum functiones, definiuimus ac declarauimus. Non quod noui aliquid moliti simus, aliumue in Ecclesia constituerimus ordinem præter eum qui fuit ab initio: sed ea quæ partim quorundam aliquando Prælatorum negligentia, partim hæreticorum persecutione, aliorumque malorum hominum peruersitate, ac temporum perturbatione perturbata ac confusa sunt; salubri dispositione sicuti primitus instituta fuerunt, composuimus, & quę in obliuionem & desuetudinem abiuisse videbantur, in vsum reuocare, & ab ignorantiæ vindicare imperitia studuimus.

Cùm igitur Prælati maiores & minores eorumq; Coadiutores & ministri præcipua Ecclesiæ membra sint, eaque illis in Ecclesia Christi competant officia, quæ capiti ac cordi in corpore humano: ad curãdam mystici huius corporis incolumitatem, vitæq; rectitudinem, & cõstantiam, vocationi eius congruentem; de Prælatis eorumq; adiutoribus & coopitulatoribus, de Canonicis, Sacerdotibus, Clericis, alijsq; Ecclesiæ ministris rectè creandis & efformãdis præcipua nobis cura fuit. Quia enim integritas præsidentium, salus est subditorum, & ab illis totius Ecclesiæ vita, prouectio, puritas ac sanctitas, ceu à corde & capite dependet, omnesq; alij inferiores, ad imaginem & similitudinem cælestis hierarchiæ per eos moueri ac prouehi debent, omniumq; spiritualium donorum communicationem accipere: quæcunque de illis in prouincialibus Concilijs diœcesanisq; Constitutionibus sparsim inuenimus digesta; ea, quam cõuenire putauimus, breuitate in vnum collegimus, et in certa capita distribuimus, omnibusq; ad vniuscuiusq; eruditionem & reformationem ob oculos posuimus. Quæ verò his pro temporum ratione deesse videbantur, vel in his re-

laxan-

laxanda aut constringēda vel declaranda: illa & iure cōmuni, & auctoritate Apostolica nobis concessa, & quatum fungebamur in hac parte, adiecimus, taxauimus, constrinximus & declarauimus; hoc ordine.

Primùm agimus de fidei professione, tanquam fundamento & introductoria, prorsusq; necessaria reformationis Ecclesiasticę præparatione ac dispositione: Mox de Prælatorū electione sollicitè curamus, vt legitima, sancta & incorrupta sit. Corrupta enim ea, omnes disciplinę Ecclesiasticę nerui soluuntur, totumq; eius robur, ac omnis decor, ordo, pax, & tranquillitas perit, fitq; ad omnia vitiorū genera dissoluta ac intoleranda licentia. Tū speciatim Abbatibus, Prioribus, alijsq; Religiosorū Præfectis, ac quibuscunq; vtriusq; sexus Religiosis, qui inter Christianos illustriori quadam sanctitate alijs omnibus prælucere debent, vitæ & obseruantiæ regularis præcepta proponimus, modumq; ac rationem eadem seruandi tradimus. Deinde Præpositis, Archidiaconis, Archipresbyteris (Decanis nimirum collègiatarum & ruralium Ecclesiarum) Clericis, Canonicis, Presbyteris, Pastoribus, Cōcionatoribus, Custodibus, alijsq; Ecclesię ministris officia, ac munia quęq; sua prescribimus, & illis per occasionem quædam inserimus, quæ ad Vniuersitatis Colonienſis insignis istius Diœcesis membri prouectionem seruiunt. ac pleraq; quò percepta præceptionis æquitate lubentiori paratioriq́ue animo acceptentur, firmiùs ac religiosiùs custodiantur, custodita magis placeant, fructumque faciant vberiorem; idoneis aptisq́ue rationibus cōfirmauimus. Quo factum, vt quæ alioqui, sacrorum canonum more breuiori compendio tradi poterant, prolixa forsitan aliquibus videbuntur. Hoc tamen magis sapient magisque afficient, gratioraq́ue, vt speramus, omnibus erunt, quo pluribus ac firmioribus rationibus constabunt, & non insipida, sed illuminationis & intellectus suauitate, quantum ex nobis est, imbuta tra-

ta tradantur, cum explicatione multarum difficultatum in quibus etiam docti hęrere poterant. Neq; enim tam pœnarum timore inuitos cogendos duximus (quamuis etiam id ad compescendos contumaces & refractarios, suis locis minimè negleximus) quàm recti amore & virtutis æquitatisque pulchritudine ingenuos quosque ad obsequiū sacrorum Canonum benignè studuimus adducere.

Vide expositionem D. Amb. in cap. 14 Lucæ de curatyro pici, quæ legitur lectione 7 Domin. 16 post Pentecost. in Breuiar. Rom. Cap. Cōmessationes dist. 44.

Quoniam verò plurima in his concurrebant, quæ aut omnibus aut pluribus erant communia, illa vt magis obuiam sint his, quorum interest, seiunctim in certa capita contraximus.

Hinc post priora illa, de diuinis officijs, de Residētia, de Sacramētorum administratione, de dierū festorum cultu, de leiunijs, de Sanctorū reliquijs & sacris imaginibus, de repręsentationibus, de indulgētijs, de sepultura ecclesiastica, de superstitione, de blasphemijs, & periurijs, de vsuris, de Beneficijs ecclesiasticis, de recta bonorum Ecclesiasticorum conseruatione & administratione, de pijs testamētis & de scholis disseruimus, ac sacrorum Canonum Prouincialiumq; & Diœcesanorum statutorum decreta ita recensuimus, vt tamen, ne quid prætermissum à nobis habeatur, ad eadem perscrutanda Ecclesiasticæ disciplinæ amatores frequenter remittamus. Adiecimus postremò, quæ ad restituendam & defendendam immunitatem & libertatem Ecclesiasticam facto opus esse iudicauimus.

Sed hic reclamabit fortasse aliquis, & nimis diuturnum harum constitutionum arguet silentium: quippe, cum tot annis hæserimus Coloniæ, eas tamen non nisi nunc tandem post nostrum à Ciuitate Colonienſi discessum, extare voluerimus; ideoq; verendum etiam nobis esse, vt ne non minus sera, atq; intempestiua sit, harū Constitutionum in lucem emissio, quàm olim Tyberio Principi visa est Ilienſium consolatio, qua eum de mor-

te filij

te filij pridem defuncti consolabantur. Quam ille faceta & acri responsione deluſit dicens : se quoque condolere quod Hectorem fortissimum militem amisissent. Verũ enimuero eorum hoc officium ad subleuandum Principis mœrorem, qui non modõ mitigatus, sed penitus sublatus tum erat, non fuit nisi risũ prosequendum : nostrum vero ab hoc vitio vindicat, magna harũ cõstitutionum grauitas, multitudo, magnaque ac longa operositas. Quæ cum sine longo vsu, diligenti indagine; diuturnaque obseruatione, ac multa meditatione perfici non potuerunt, certa temporis præscriptione non debuerunt coarctari; præsertim in immensa illa negotiorum atque difficultatum mole, quæ ita vnam ex alia, ceu ansam ex ansa perpetuò traxit, cùm in ciuitate Colonienſi ageremus, adeoque nos ac plerosque ex Prælatis Ecclesię Colonienſis tenuit semper occupatos & pressit, vt tantùm non oppressi fuerimus. Tacemus hîc arduam illam controuersiam in Brabantia ortam, ad quam componendam in Belgium nos transportare & diu ibidem hærere coacti sumus. Tacemus quoque diuturnas angustias, magnasque ac continuas trepidationes, quæ ex hostili occupatione, & postmodum ex obsidione ciuitatis Bõnensis totã Diœcesim Colonienſem inuaserũt, aliasq; hostiles ac perpetuas perturbationes, pluraq; impedimẽta quæ ab incœptis huiusmodi actionibus, cum in Diœcesana synodo à nobis habita, tum in hebdomadarijs Decanorum congregationibus varijsque alijs huc spectantibus officijs, nõ semel nos auulserũt. In quibus & obuenit nostra, ad comitia imperialia profectio, quibus vixdum finitis, nouum beatissimi omnium populorum Pastoris mandatum, nos ad Augustam Treuirorum, Moguntinam, Herbipolenſem, Bambergenſem aliasque Germaniæ Ecclesias mox ablegauit, cui sine dilatione parendum fuit, ac præsentia nostra Colonienſi Ecclesiæ ad tempus iterum subtrahenda. Sed vt fortè nihil

hil istorũ & quæ præterea pro diuturnioris silentij nostri defensione adferri hîc possent, satis sit ad persuadendum omnibus, æquam ac iustam esse dilationis huius nostræ causam: certè verecundiam nostram potius periclitari maluimus, quàm vt nostro in Ecclesiam Colonienſem amori, & illorum qui nos rogauerunt iudicio & desiderio non satisfaceremus.

Mirabitur alius huius operis inscriptionem, quærétque cur illud Directorium, dici voluerimus, cùm passim toto opere non tam vocabulis vtamur, suggestionis cõsilij aut suasionis; quàm verbis quæ legis, decreti atque statuti formam atque vim præ se ferunt, additis etiam pœnis in transgressores, & præuaricatores: Huic respondemus opus hoc nostrum, non alia mente conceptum & conditum à nobis esse, quando amplissima Sedis Apostolicæ autoritate, hac quoque in parte, in Ciuitate & Diœcesi Colonienſi fungebamur; quàm vt ea qua nunc prodit aut simili forma, facta legitima publicatione, vim legis, decreti atque statuti omnibus modis obtineret. At verò cum impedita huiusmodi publicatione, per nostram è Diœcesi Colonienſi & superiori Germania in Prouincias Belgicas ablegationem, nihilominus ad edendum & publicandum illud vehementer etiam atque etiam vrgeremur: sub nomine Directorij, seruata prima forma sua in lucem nunc prodit, quòd in illa quoque non pauca esse videbantur, quæ directorij indicis, consilij ac promptuarij possent esse loco, ad restituendum disciplinę Ecclesiasticæ vigorem, cuius nerui in his quæ Legis ac decreti vim habent, præcipuè consistunt.

Quare etsi hæc quæ proferimus conuenientiùs edita & publicata fuissent, quando in Ciuitate Colonienſi agebamus: etsi legitimè publicata maius auctoritatis pondus attulissent, magisque eos quos tangunt obstrinxissent: etsi denique liquidò nobis constet neque

Sereniſſimo atque Reuerendiſſimo prudentiſſimoque Præſuli Colonienſi conſilium, neque Eccleſiæ Colonienſi deeſſe præceptiones: conſenſimus tamen opus hoc noſtrum, quod in ſummis cogitationum diſtractionibus turbulentiſque Reipubl. negotijs conceptum fuit & natum, quale, quale eſt, Sereniſſimæ ac Reuerend. Suę Celſitudini, veluti perpetui noſtri in ſe amoris & obſeruantiæ pignus offerre & Eccleſiæ Colonienſi tanquam ſalutare pharmacum propinare, ac paternę noſtrę erga eam beneuolentiæ extare teſtimonium: inſuper Sereniſſ. ac Reuerend. Suæ Celſitudini commendare, vt nominis ſui fulgore decoratum, illiuſq; auctoritatis protectione præmunitum, auſpicatiùs lucem videat, & fidei charitatis ac beneuolentiæ aura ab omnibus excipiatur, ab his maximè quorum hîc res agitur. Vt quamuis eo nõ polleat vigore, qui ex Synodali ſeu aliàs legitima & obligatoria publicatione acceſſiſſet; fructum tamẽ & vtilitatem qui nihilominus haberi hinc poterit, ſicut paterno ac ſincero à nobis animo communicatur, ita optima voluntate accipere, ſeu potius arripere omnes velint: vt nõ tam noſtrum ſtudium commendetur, quàm ſedula ſubiectorum pietas, in ſeruandis & exequendis mandatis, quæ olim eis à vigilantiſſimis Præſulibus ſuis tradita fuerunt.

Quæ licet in Synodis diœceſanis ac Concilijs prouincialibus ſatis publicata & confirmata fuerunt; non idcirco fruſtra à nobis repetita, & in hunc ordinem digeſta cẽſenda ſunt: ſed eo ſtudioſiùs ac religioſiùs amplectenda, ipſoque opere magis probanda; quod non leuibus aut futilibus rationibus, pleraque à nobis quoque videantur probata eſſe & innouanda fuiſſe.

Et ſi quę recta ac ſalutaria cõſilia, Deo auctore, à nobis pręterea ſuggeſta ſunt, quę ad illa perfectiùs obſeruanda, idonea videbantur: non ea ob hoc improbabit, aut quaſi vilia & deſpicabilia habebit æquus rerum æſtimator,

mator, quod serò in ista absentia & ablegatione nostra tradita & communicata sunt: sed quantum libero sincero incorruptoq; iudicio, recta, salubria, vtilia, Deoque probata habebuntur; à Deo potius, quàm à nobis tradita esse existimabit, eiusque occulta prouidentia, non sine causa & vtilitate quoque sua, huc vsque fuisse à publica editione suspensa.

Si verò quædam dura nimis, nimisq; grauia alicui in his videbuntur; cùm nihil præter æquitatem constitutũ sit, nihil sine iustis rationibus aut auctoritate Ecclesiastica prolatum & congruenter rebus aptatum: non tam hisce constitutionibus duritia ista, quam contrariæ consuetudini adscribenda venit: cui se inclinare seu demittere, quid aliud fuerit, quàm repagula aperire, & plumbea Lesbiæ ædificationis vti regula, quæ ad quamuis lapidis figuram flectitur, & regula non est. Non igitur ad peruersas & incuruas hominum consuetudines, eneruanda lex est, & sal ille infatuandus; sed ad rectas optimasque leges, regendæ corrigendæque sunt, vitiosæ prauæ liberæque hominum consuetudines, quantumuis vetustæ & inueteratæ illæ fuerint. Quo facto, ea quæ antea dura, difficilia, & nequaquam fieri posse credebantur, leuia, facilia, ac delectabilia inuenientur. Ea enim peccati natura est, vt ad virtutis mentionem horrere faciat peccatorẽ, pietatis quoque semitam ei angustam facit, & à summo bono, sanctisque legibus quę eò ducunt, illius animũ prorsus auertit; ita vt si accedat mandatum, fiat ei supra modum peccãs peccatum. Quod si verò ille peccatum odisse incipiat & iustitiæ rectique amore imbui: quo magis crescit ille amor, quo latiora ipsi fiunt omnia quæ angusta, suauiora quæ dura, faciliora quę difficilia, adeoq; fieri non posse videbantur.

D. Prosper de vita contemp. libr. 2. ca. 10.

Rom. 7.

Porro si fortè aliqua in hoc opere occurrent, quæ primo actu primóue conamine in executionis vsum duci non poterunt; ideoque neque à nobis in prima synodali

promulgatione præscribenda fuissent, ea omnia & singula Seren. & Reuerend. Cels. suæ iudicio, cui ea dedicauimus, subiecta esse voluimus: non tamen propterea in hac editione, quæ Directorij nomen præ se fert, prætermittenda illa fuerunt. Quoniam quod nūc fieri aut perfici non poterit, ex hac suggestione nostra, aliàs fortè Deo donante, vsui erit & facilè præstabitur. Quomodo videmus quædam in pueritia aut iuuentute sine fructu audita, in virili aut senili demum ætate nonnunquā fructum suum facere. Et cum hîc segetes, illic proueniant feliciùs vuę; ita & in his poterit accidere, vt quæ isto loco nō accipientur, alio & accipiantur & fructum suū faciāt.

Sed ne æquo hîc simus prolixiores, & festinum lectorē diutius retineamus; omnes & singulos in quorum bonum hæc Ecclesiasticæ reformationis decreta, condita, & digesta fuerunt, per aduentum Domini nostri Iesu Christi obtestamur, vt nominis sui memores, hoc esse curent, quod dicuntur, & SS. Patrum definitionibus ac Episcoporum Superiorumque suorum sanctionibus, Decretis & statutis, imò verius Dei mandatis, hilari alacriq; voluntate sese conforment. Ea frequenter legant, perpetuò ruminent, omnique deuotione & pietate, in omni vitæ actione probēt, exprimāt & sequantur. Nemo nomen inane gerat, nemo vita aut moribus, à professione sua sanctisq; legibus & Ecclesiæ præceptis discordet. Ac Prælati quidē, quocunq; vocentur nomine, attendentes sibi & vniuerso gregi in quo Spiritus Sanct. posuit eos regere Ecclesiā Dei, quā acquisiuit sanguine suo pro suo captu ac ordine, omni gratia spirituali repleri studeant, & in Deitatis consortium tā arctè transire, vt omnes sibi subiectos pro vniuscuiusq; vocatione, ac merito, magna virtute in anteriora semper promouere possint, & gratiā aliquam qua crescant in augmentum Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, per nexus & cōiunctiones, ceu caput toti corpori suo subministrare. Curentque vigilantissimo studio, vt ne vel per Superio-

Act. 20.
Dionys. Areop. de Eccl hier. c. 1. § prof. 4. Col. 2.

periorum, maiorumq; suorum absentiam, vel per temporum interualla, contra statuta Canonum, aut Ecclesiasticam disciplinam, quidquam præsumatur: Sic corruptelas omnes ex domo Dei eijciant, vt corruptelarum causas omnes prorsus exscindant, nullumq; relinquant locum repullulationi: Sic legem Domini diligant, vt peccata toto corde odisse inueniantur. Alioqui si ad oculum tantùm seruiant, prout multi hactenus, & aliquid tentare voluisse dumtaxat videri velint, dum aut initio feruent, postmodum verò frigescunt, aut minores aliquot vilesque personas castigant, Agag autem pinguissimo malorumque omnium ducibus ac capitibus, & his vnde temporalem aliquam sibi sperant vtilitatem, parcunt: vt homines decipere possint, Deum sanè, cui placere, vnicè studere debuissent, decipere non poterunt, & malè parcendo alijs, seipsos & omnes sibi subiectos perdūt, ac in maiorē secum trahunt damnationem, grauissimoq; peccatorum iugo subijciunt. Seruus enim qui cognouit Voluntatem Domini sui & non facit, vapulabit multis, atq; spiritus nequā eo reuersus vnde ejectus erat, assumptis secū alijs fortioribus se, fortiùs se contra hostē suū munit, & posteriora facit prioribus longè deteriora.

1. Reg. 15.

Luc. 10. et 12. 2. Pet. 2.

Quare magno constantiq; animo, non tantum contra hos, qui resistendi aut nullam aut exiguam habent facultatem, sed contra ipsos peccatorum duces, ac præcipua vitiorum capita exurgant, non solùm initio, aut anno dumtaxat vno atque altero, perinde ac si quæ tradita eis sunt mandata, obligandi & obstringendi vigorem diutius non haberent; sed omnibus vitę suę diebus. Et, vt hos, qui tenebras magis diligunt quam lucem, frequenter noua peccandi incessit audacia; ita eis quotidie, ad agendum reformationis negotium nouus accedat animus; atque vt ne ibi incidant deficiendi periculum, vbi perficiēdi accipere debuisset progressum; etiam si multa præstiterint, semper tamē se tantum incepisse sibi persuadant, ac grandem

grandem perueniendi ad optatum finem restare viam. Semper enim in hoc opere laborandum est; sine intermissione sentina hæc exinanienda; nunquam non in extirpandis, & exscindendis corruptelarum radicibus virili opere persistendum, ac perpetuò in omni cultura agri Dominici perseuerandum. Nam si ab extirpatione corruptelarum & scandalorum aliqua remissio, aut si disciplinæ Ecclesiasticæ aliqua fiat relaxatio; mox repullulascunt corruptelæ omnes: si autem demetantur tantùm; altiùs radices agunt: & vt capilli, vngues, herbæ, arboresque resectæ vberius proueniunt; sic ex corruptelarum corruptionibus, si non prorsus exscindantur, nouæ maioresque corruptelæ exoriuntur: vt velut hydram secare sit aut crabrones, rabidosq; canes lacessere, peccandiq; libidinem magis excitare, si leuiter, si remissè aut segniter, si ad formam tantum aut vmbram, reformationis aliquod simulacrum statuatur; nec vera agri Dominici cultura censeri poterit qua vitijs corruptelis ac scandalis libertas aliqua permittitur.

Accendantur igitur animo Prælati, omnesq; quibus exequendi decreta reformationis Ecclesiasticæ aliqua iurisdictionis auctoritas est, maxima deuotionis pietate exurgant, videant cuius partes gerant, videant quid Deo, quid Ecclesiæ sub periculo animarū suarum subiectorūq; suorum debeant; videant quanta facilitate, & quā paruo negotio, rē maximā Deoq; gratissimā atq; Ecclesiæ prorsus necessariā, maximo cum beatitudinis suæ incremento præstare possint, si velint. Ad obediendum, acquiescendum, obtemperandum plerique subiecti & natura & voluntate faciles sunt, qui sola præcessione ducis sui, solo Pastoris sui exemplo, sola capitis sui incolumitate, vigore ac viuacitate ad optima & perfectissima quæque virtutum poterunt adduci. Certò affirmare audemus plures esse inter subditos quibus dulce ac desiderabile reformationis nomen est, multoq; magis ipsa reformatio

matio desiderata, etiam si ea, vt totius corporis sanitatẽ operetur, aliquid amaritudinis in ventre faciat, quam qui hanc lucem oderunt, eamq; vt non arguantur opera sua, aut nunquam exoriri velint, aut exortam mox euanescere. Qui etsi multiplicati essent supra numerum, & audacia, præsumptione humanisque viribus longè præualerent; nulla tamen expauescendi aut timendi vel tergiuersandi in hoc opere iusta causa est; fortior enim illis omnibus est Dei Virtus, quæ in infirmitate perficitur, & qua in infirmitate sua Christi fideles omnes, adeoque Christianorum duces ac capita, ad expugnandum regnum diaboli induti & confirmati esse debent. Non enim proprijs vniuscuiusque viribus hoc bellum conficiendum est, sed fortitudine & virtute Christi, qui confirmans ministros suos dixit; *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi.* & iterum: *in mũdo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* Plura in hanc sententiã, ad excitandos, animandos atq; reformandos cũ oẽs in vniuersum Christianos, tũ in primis Prælatos alioscq; subiectorum duces passim toto hoc opere adducimus. Quæ vt legisse, pio lectori multum proderit, ita præstitisse factori, ingens remunerationis præmium, contemptori vero ac neglectori durissimum adducet iudicium.

Allusio ad ca. 3. Ezech. & Apoc. 10.

Matth. 28. Iohan. 16.

Quod supereſt toto corde ad Deum Opt. Max. conuersi, summam ac infinitam eius bonitatem suppliciter rogamus, vt respiciat in faciem Christi dilectissimi filij sui, eiusq; dilectissimæ sponsæ, vnicæ columbæ, suæ Ecclesiæ, & quod nos rigando, plantando, docendo, monendo, corripiendo, castigando, leges sanciendo, præstare non potuimus; ipse pro charitate, misericordia, & clemẽtia sua, incrementum dando præstare dignetur, omnibusque Prælatis, Ecclesiæque suæ, heu nimium à pristinæ pulchritudinis suæ maiestate & integritate deiectæ, cultoribus, illam inspiret mentem animiq; voluntatem fortitudinem & constantiam, quam beatissimis istius

Coloniẽsis Prouinciæ Apoſtolis D. Materno, Seuerino, Euergiſlo. Cuniberto, alijſq; ſanctiſſimis eiuſdẽ Eccleſiæ Epiſcopis primitus inſpirauit, illorũq; corda in eos qui nũc regunt conuertat, & vel in locum, nomen & officiũ Epiſcopi vocati, vel in conſortium Epiſcopalis ſollicitudinis aduocati ſunt; vt ſicut eandem cum ſanctiſſimis illis Viris regendi ac paſcendi auctoritatem, eandemq; regendam & excolendam prouinciam acceperunt; ita idem cum ipſis cor ac in executione regiminis & præfecturæ ſuæ eandem cùm ipſis animam habeant, eademq; ratione, qua illi, forma facti gregi ex animo, in multa patientia & longanimitate, in fide, ſpe, & charitate, fidem, ſpem, charitatem, Chriſtianamque religionem regionibus his inuexerunt, dum incultæ & barbaræ eſſent, aut iam inuectam in eum modum excoluerunt, vt ſiue internus pietatis ſenſus, ſiue externus eius cultus ſpectaretur, nulli cederent; fidem, religionem ac pietatem, vbi deficere incepit, reſtituant, vbi integra perſeuerauit, excolant illuſtrioremque faciant, fideiq; religionis ac pietatis cauſas ſemper tueantur, rebuſque quibuſcunque alijs nunquam non anteponant & hæreticorum auſibus, aliorumque impiorum ac peruerſorum inſaniæ & malitiæ indefatigabiliter obſiſtant.

Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui ſoli honor & gloria.

IN

INDEX TITVLORVM SEV PRAECIPVORVM CAPITVM HVIVS LIBRI.

De fidei professione. pag. 1
De Prælatis. pag. 11
De Abbatibus, Prioribus, alijsq; Religiosorum Præfectis, ac quibuscunq; vtriusq; sexus Religiosis. pag. 35
De Præpositis. pag. 153
De Archidiaconis. pag. 156
De Archipresbyteris. pag. 167
De Decanis Ecclesiarum collegiatarum. pag. 168
De Decanis Ruralibus. pag. 192
De Canonicis, Vicarijs, alijsque Sacerdotibus & Clericis. pagin. 208.
De Pastoribus. pag. 250
De Custodibus, Campanarijs, & alijs eiusdem muneris atque officij Ecclesiæ ministris pag. 349
De Diuinis officijs. pag. 362
De Residentia & personali debitæ seruitutis ministerio Canonicorum, Vicariorum, Officiantium, Beneficiatorum aliorumq; Clericorum. pag. 407
De Sacramentorum administratione. pag. 436
De Sacramento Baptismi. pag. 442
De Sacramento Confirmationis. pag. 454
De Sanctiss. sacræ Eucharistiæ Sacramento. pag. 458
De Sacramento Pœnitentiæ. pag. 485
De Sacramento Extremæ Vnctionis. pag. 497
De Sacramento Ordinis. pag. 503
De Sacramento Matrimonij. pag. 517
De festorum dierum cultu. pag. 527
De Ieiunijs. pag. 532

De Sanctorum Reliquijs & sacris imaginibus. pag. 537
De repræsentationibus. pag. 539
De Indulgentijs. ibid.
De sepultura Ecclesiastica. pag. 540
De superstitione. pag. 541
De blasphemijs & periurijs pag. 545
De vsuris. ibid.
De Beneficijs Ecclesiasticis. pag. 549
De recta bonorum Ecclesiasticorum conseruatione & administratione. pag. 576
De pijs testamentis. pag. 585
De Scholis. pag. 587
De libertate & immunitate Ecclesiastica. pag. 594

CONSTITVTIONES AC DECRETA Pontificia, & statuta quædam Archiepiscoporum Colonienſium huic libro passim ad verbum inserta.

DEcretum Concilij Lateranensis contra Monachos peculium habentes. pag. 60
Decretum Innocentij tertij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. pag. 61
Statuta Archiepiscoporum Conradi & Sifridi eadem de re. ibidem.
Constitutio Clementis quinti, ne religiosi Sacramenta quædam administrent, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali, & ne excommunicatos à canone absoluant, nisi ..... pag. 98.
Constitutio S. D. N. Sixti V. contra illegitimos, legitimatos, criminosos, & reddendis rationibus obnoxios, ad aliquam Religionem transire volentes, & contra Regulares, absque Superiorum licentia, de Prouincia in Prouinciam euntes, seu transmigrantes. pag. 118.
Declaratio eiusdem super dubijs in priore Constitutione emergentibus.

gentibus. pag. 127
Decretum S. D. N. Bonifacij Octaui, ne Moniales Monasterij sui clausuras exeant, nec alij illas intrent. pag. 137
Constitutio S. D. N. Pij V. eadem de re. pag. 141
Decretum S. D. N. Innocentij tertij, de Capitulis Regularium. pag. 139.
Reuocatio Licentiarum ingrediendi Monasteria Monialium &c. S. D. N. Gregorij XIII. pag. 145
Eiusdem declaratio super facultate quam habent Ordinarij & alij Monialium Superiores ingrediendi earum monasteria. pag. 248.
Constitutio S. D. N. Pij V. quòd Regulares sæcularium Confessiones non audiant, nisi ab Ordinarijs approbati sint. pag. 150
Statutum Adolphi III. de studiosis Canonicis ad studia vniuersitatum, sumptibus Collegiorum mittendis. pag. 236
Statutum eiusdem de cautione quam dare debent mittendi ad vniuersitates. pag. 237
Statutum eiusdem, de studiosis, quorum Collegia in vniuersitate sita sunt, quò mitti debeant. ibid.
Constitutio Sanctissimi D. N. Pij V. de fructibus quos amittunt, qui horas Canonicas non recitant. pag. 249
Constitutio eiusdem super collatione Ecclesiarum parochialium pag. 333.
Constitutio eiusdem super residentia facienda, in parochialibus, per obtinentes eas, ac Canonicatus, aut dignitates seu aliud Beneficium. pag. 338
Constitut. S. D. N. Innocentij. VIII. contra impressores librorum reprobatorum. pag. 341
Constitut. S. D. N. Pij V. ne in popularibus Concionibus disputetur de conceptione gloriosæ Dei genitricis Mariæ. pag. 345
Statutum D. Friderici de Diaconis Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienſ. pag. 306
Statutum eiusdem; vt ne Beneficiati absentent se à Beneficijs suis sine Prælatorum suorum licentia, & tunc faciant, per vicarium Beneficijs suis inseruiri. pag. 409

Statutum eiusdem, ne quotidianæ distributionês fiant in absentes. pag. 410

Declaratio S. D. N. Innocentij VIII. quòd nullus Canonicus aut vicarius, in diuersis Ecclesijs, eodem die distributiones quotidianas percipere debeat. pag. 412

Statut. D. D. Henrici & Friderici quòd vicarij Ordinem requisitum recipere, & personaliter residere debeant. pag. 422

Constitutio S. D. N. Ioannis XXII. de fructibus primi vel secundi, aut alterius cuiusque sequentis anni Beneficiorum vacantium. pag. 424

S. D. N. Pij V. reuocatio priuilegiorum & statutorum; quòd fructus Beneficiorum primi anni, aut alterius temporis ex quo vacarunt, cedant capitulo, vel alij loco. pag. 427

Statutum D. Friderici, Quod is qui succedit in præbendam Canonici expectantis, per tempus dumtaxat à præcessore suo nondum expletum expectabit, minimè verò annos expectationis de nouo incipiet. pag. 431

Statut. eiusdem, de domibus Canonicalibus. pag. 434

Statu. eiusdem, ne Laici habitent in domibus Canonicalibus vel Beneficiatorum. pag. 435

Constitutio Sanctiss. D. N. Pij Quinti per Medicos obseruanda pag. 482

Decretum Concilij Lateranensis contra illos qui incompatibilia Beneficia habent, aut ad illa alios promouent. pagin. 562.

Decretum Sanctiss. D. N. Gregorij Decimi de qualitate promouendi ad Ecclesiam Parochialem. ibid.

Decretum S. D. N. Innocentij III. contra eum qui habens Beneficium cui animarum cura annexa est, aliud simile recipit. pag. 563

Decretum eiusdem, vt ne indigni ad Beneficia Ecclesiastica promoueantur. pag. 564

Constitutio S. D. N. Pij V. de Confidentijs Beneficialibus earumque casibus, præsumptionibus, & probationibus, cum rela-

relaxatione cognitionis causarum, praterquam pendentium, itemque futurarum: de Collatoribus Episcopis, & Superioribus, Beneficijsque consistorialibus. pagin. 565.

Constitutio eiusdem de non admittendis resignationibus per Ordinarios, cum modificationibus. pag. 573

Decretum Concilij Tridentini. Ne quis inuadat vllo modo bona, census, aut iura Ecclesiarum, vel piorum locorum, &c. pag. 583.

Decretum eiusdem Concilij, de solutione decimarum. pag. 584

DIREC-



ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE, ECCLESIAE PRAESERTIM COLONIENSI ACCOMMODATUM.

DE FIDEI PROFESSIONE.

CVm fides humanæ salutis initium,& fundamentum, ac omnis iustificationis radix sit, sine qua impossibile est placere Deo,& ad filiorum eius consortium peruenire, quam qui non habet, frustrà accedit ad Deum, frustra loquitur, frustra Deum inuocat: indecorum esse videtur, si huius tam illustris Ciuitatis & Diœcesis Colonienſis Ecclesiarum reformationi, Clericorum correctioni, ac disciplinæ constituendæ studiosè incumbentes, ab ipsius fidei confessione, quam SS. Patrum decreta præcipiunt in omnibus esse præmittendam, non censeremus potissimè exordiendum. 1. *Rom.3. Hebr.11. Concil.Trid. sess.6.ca.8.*

2. Statuendum ergo primum duximus, vt omnes qui de Beneficijs Ecclesiasticis quibuscunque, quouis modo, in hac Ciuitate & Diœcesi prouisi, publicam orthodoxæ fidei professionem, iuxta formam à fœl. rec. Pio IIII. Pontifice Max. præscriptam, non fecerint, eam intra sex hebdomadas à die notitiæ harum constitutionum facere teneantur. Nec vllus, posthac, Beneficium aliquod Ecclesiasticum, quocunque nomine, adire permittatur, etiam si aliàs fidei professionem fecerit, nisi facta aut repetita eadem fidei professione, in hunc qui sequitur modum: *Concil.Trid. sess.24. Cap. 12. de Refor.*

Ego N. firma fide credo & profiteor, omnia & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet: Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & inuisibiliū; & in vnū Dominum Iesum Christum filiū Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumē de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstātialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines & propter nostram salutē descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine; & homo factus est; crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus & sepultus est; & resurrexit tertia die secundùm scripturas; & ascēdit in cælum, sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni nō erit finis: & in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioq; procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas: & vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionē peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam vēturi sæculi, Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quē tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarū scripturarum, admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimē consensū Patrū accipiā, & interpretabor. Profiteor quoq; septē esse verè & proprie Sacramēta nouæ legis à Iesu Christo, Domino nostro, instituta, atq; ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismū, Cōfirmationem, Eucharistiā, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem & Matrimonium: illaq; gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari nō posse. Receptos quoq; & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorū omniū Sacramentorū solēni administratione recipio & admitto. Omnia & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacro-

sancta

ſancta Tridentina ſynodo definita, & declarata fuerũt, amplector & recipio Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verũ, proprium, & propitiatorium ſacrificiũ, pro viuis & defunctis, atq; in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramẽto eſſe, verè, realiter & ſubſtãtialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini noſtri, Ieſu Chriſti, fieriq; conuerſionem totius ſubſtãtiæ panis, in corpus; & totius ſubſtantiæ vini, in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum atq; integrum Chriſtum, verumq; ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animasq; ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, venerãdos atq; inuocandos eſſe, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſsimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper virginis, nec nõ aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem atq; veneration em impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem, à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe; illarumq; vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco: Romanoq; Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac iuro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus & Oecumenicis Cõcilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atq; profiteor: ſimulq; contraria omnia atq; hæreſes quaſcunq; ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hãc veram Catholicam fidem, extra quã nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo eandem integram & inuiolatam, vſq; ad extremum vitæ ſpiritum, cõſtantiſsimè (Deo adiuuante) retinere & confiteri, atq; à meis ſubditis, vel illis, quorũ cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. ſpõdeo voueo ac iuro; Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, ET VERBVM ERAT APVD DEVM.

3. Et prouisi quidē de Dignitatibus, Canonicatibus, Vicarijs vel officijs, siue sint sacerdotes siue laici, qui officia vel vicarias obtinent; in Ecclesia Cathedrali, vel collegiata, Ciuitatis vel diœcesis Colonienſis, propositam fidē in manibus Decani vel Capituli Ecclesię, cuius est canonicatus, officium, vel vicaria, præsente Capitulo, vel eius potiore parte; Decani verò in manibus Capituli, antequā fiat prouisio, vel alteri eius nomine legitimè subrogato, tradatur possessio Dignitatis, Canonicatus, Vicariæ vel officij; ex canonum præcepto profiteantur: alioqui possessio denegetur.

4. Pastores coram eo, à quo Pastoratus accipiunt inuestituram, & institutionē; Officiati verò Ecclesiastici & sæculares coram Pastoribus, ante adeptam possessionē, officijq; administrationem; promouendi verò ad maiores Ordines, Episcopo, à quo ordinabuntur, hanc fidei professionem faciant.

5. Hoc ipsum cautum sit de omnibus & singulis, tam laicis quàm Clericis, sæcularibus, aut quorumcūq; Ordinum Regularibus, etiam in Monasterijs, suorum ordinum publicè vel priuatim Theologiam, ius Canonicū, casus conscientiæ, censuras Ecclesiasticas, Medicinam, Philosophiam, Grammaticam, vel alias litterarias artes quascunque profitentibus aut legentibus: nec non de ludimagistris omnibus, ac confessarijs, sacerdotibus & cōcionatoribus qui pro religionis & disciplinæ Ecclesiasticæ augmento, ex dictæ Pontificię formulæ prescripta ratione, fidem profiteantur, antequam functionis munus aggrediantur: ita vt omnes in eorum manibus hanc fidē prestent, à quibus onus suscipiūt: etiam Religiosi seu Regulares, nisi intra septa Monasterij sui huic muneri præficiantur; tunc enim in manibus Superiorum suorum can-

eandem fidem confiteri sufficiat. Hac autem fidei professione non præstita, functionis munus interdicatur ab ijs quibus erat præstanda, quoad eam professionem emiserint.

6. Nec vllus in posterum eligatur in Rectorem Collegij, nisi perspecta prius religione fideq; Catholica eligendi, ac præstita in manibus Prioris, aut prouisorum Collegij, aut illius vel illorum locum tenentis huiusmodi fidei professione. Nec in Theologiæ, Iuris, Medicinæ, vel quacunq; alia facultate ad aliquem gradum assumatur, qui in eius aut eorum manibus, à quo vel à quibus ad gradum admittēdus est, hāc fidei professionem non fecerit: neq; in matriculam Vniuersitatis quisquā inscribatur, aut studiosorum priuilegijs frui possit, quin coram Rectore Vniuersitatis eandem fidei professionem pronūciauerit, & Bursarum vel portionum, quas vocāt, seu fundationum, aut Eleëmosynarum, quę in subsidium & sustentationem studiosorum sunt, nemo capax sit, aut fructum ex ijs percipere possit, quin iuxta præscriptam formulam coram Rectore Collegij, sub cuius directione in studijs promouendus erit, Catholicam fidem eo, quo dictum est, modo professus fuerit.

7. Sed cùm scriptum sit, qualis Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea; magnopere optādum est, vt fideles, pij, ac sapiētes sint Rectores, omnesq; ministri qui in administrāda iustitia, tam in sæculari quā ecclesiastico huius Ecclesiæ & Diœcesis foro, publico munere funguntur. Quare Serenis. & Reuerend. Dom. Electorem obsecramus, aliosq; fideles Catholicos, & pios huius Diœcesis Principes, ac Dominos temporales hortamur, vt populis, qui ab omnipotēti Deo, Dominorū omnium Domino & Principū Principe, ipsis regendi ac gubernandi traditi sunt, tales præficiant Rectores, Gubernatores & ministros, qui præter officij nomen quod præ se ferunt, veram pietatem & iustitiam colant, populosq; authoritate

& exemplo ad omnem iustitiæ & religionis Catholicæ viam dirigant.

8. Atque vt omnes qui præficiuntur ad hanc fidei professionem, initio præfecturæ administrationis & officij, etiam solemni iuramento obstringantur, Deoq; debitus cultus & honor exhibeatur; præcipiant, Sereniſsimus & Reuerendiſsimus Dominus Elector, alijq; Domini prę-fati, vt quocunq; nomine Rector, ad Regimen populorũ assumendus, ac alij quicunq; publicæ functionis muneri præficiendi in ciuitate & Diœceſi, non priùs præfecturæ, administrationis & officij possessionem adipiscãtur, valeantq; exercere, quàm in Metropolitana Ecclesia coram Decano & Capitulo, si præfectura, administratio & officium fuerit in ciuitate Coloniẽsi; vel si alibi, in collegiata vel parochiali Ecclesia, aut Abbatia seu Monasterio, vel in domo Ciuica aut Iustitiæ loco corã sacerdote supremam dignitatem in digniori Ecclesia obtinente, Orthodoxæ fidei professionem iuxta prescriptam formam faciant, iurentq; ad Sancta Dei Euangelia, quòd in populo regẽdo ac iustitia administranda Deum & veritatem cunctis rebus semper præponent.

9. Amplissimum Ciuitatis Colonienſis Senatum, & oppidorum huius Diœceſis Magistratum hortamur, ac per viscera misericordię Christi Domini obtestamur, vt pro fidei Catholicæ officio tuendo, proque pietatis suæ studio, eandem fidei professionem, iuxta præscriptã formam fieri velint ab assumẽdis ad gerendos magistratus, aut alia officia publica, nec nõ à Typographis, Bibliopolis, & qui libros quolibet modo distrahunt; à recipiendis quoq; in cõfraternitates & tribus aut curias ciuiũ in hac Ciuitate, in oppidis & pagis. Nec quenquã ad præfecturã aliquam, munus vel officium, aut quamcunque ciuium societatem, tribum seu cõfraternitatem admitti patiantur, nisi perhibito de anteactę vitę Catholicę testimonio, cùm exploratum sit, nihil ad prouinciarum regnorũq; interi-

interitum maiores vires habere quàm de Catholicæ fidei præsidio decedere. Quod cùm Metropolitana Colonienſis ciuitas, multis licet, varijs ac magnis hæresũ pulsata tempestatibus, singulari Dei protectione, tanta semper virtute atq; constantia tenuerit, vt eius laus hoc nomine in diuino officio singulis annis in Ecclesijs glorioso prœconio celebretur, dũ in prosa canitur: † *Postquam fidem suscepisti ciuitas prænobilis, Recidiua non fuisti, sed in fide stabilis.* Eidẽ nunc & in posterum, contra præsentes & futuras, occultas & manifestas hæreticorum machinationes, multò magis aduigilandum est, vt in hac fide, vsq; ad finẽ perseueret. Et quod in magno *sigillo profitetur, se Romanæ Ecclesiæ fidelẽ filiam, in tentationibus, quę ad probationem suam fiunt & fiẽt, maximè commõstret, vt reliquæ omnes huius Diœcesis & prouincię ciuitates, quib⁹ ceu mater & caput, alijsque multis nominibus prœeminet, gaudeãt si eius exemplo, quę pro incolumitate fidei à nobis, seu potius à Romana Sede præscripta sũt, deuotè & religiosè obseruauerint, & doleant si à fidelitate & obseruantia, quam Metropolis sua hactenus seruauit, & Deo donante seruatura est, recesserint.

† *In prosa cuius initium est*: Gaude felix Agrippina sanctaque Colonia: *quæ canitur in festis Patronorum.*

* *Sigillum ciuitatis Colonienſis, quod magnum vulgò vocatur, est enim quinq; digitorum latitudinis, custoditur in ciuitatis Archiuo. Id nunquam imprimitur, sed ciuitatis cum alio contractibus, mutuisque obligationibus, veluti venditionum, emptionum, censuum, Reipublicæ litteris & huiusmodi alijs, atque fœderibus. ex duabus Canabinis chordulis pergamenicisue, appẽditur. Cuius sigilli effigies vera sic habet: S. Petrus, quali toga Christus pingitur indutus, infulatus, barba, capillis crispis, totus & integer, à sũmo ad calcẽ conspicuus, grauis, propemodumq; rectus insidet throno insignis solij, supra turrim maioris portæ mœniorum extructi, nempe expressa lunari quà Rhenum spectat forma. Gestus hi sunt, rectà extra vrbem intuetur, dextra exerti ex toga brachij, duas claues simul iunctas ac rectas tenet medias, sinistram libro clauso supra sinistrum genu superimponit, supra cuius caput, in suprema solij recta linea scriptum*: S. Petrus. *Circum verò sigillum, litteris maiusculis magnis huiusmodi inscriptio est:* ✠ SANCTA COLONIA, GRATIA DEI, ROMANAE ECCLESIAE FIDELIS FILIA. *Contra sigilli imago, est idẽ Petrus vmbilico tenus, eodem quo dictum habitu, & vultu. Dextrum brachium nudũ ad pectus admouet, ac manu sinistra librũ clausum sustinet. Circumscriptum est*: ✠ S. Petrus: Contra sigillũ ciuitatis Colonienſis.

10. Vt ne prætextu aut causa deficientis Germanici exempla-

emplaris fidei professio ab his qui Latinam linguam nō intelligunt, vel non exigatur, vel exacta non præstetur: curauimus eam in linguam Germanicā fideliter verti, & vt omnibus in promptu esset hîc proponi.

Ein offentliche bekändtnuß des Catholischen Glaubens.

IM namē der allerheiligstē Dreyfältigkeit/ des Vatters/ vñ des Suns/ vñ des heiligē Geists. Ich N. glaub vnnd bekenne mit bestendigem hertzen/ alle vnnd jede stuck so in dē Christlichen Glauben/ den die heilige Römische Kirch auff dise weiß gebrauchet/ verfast seindt. Nemlich: Ich glaube in einen Gott Vatter den Almechtigen/ Schöpffer deß Himmels vnnd der Erden/ aller sichtbaren vnnd vnsichtbaren dingen/ vnnd in einen Herrenn Jesum Christum/ den eingebornen Sun Gottes/ auß dem Vatter geboren vonn Ewigkeit/ GOTT vonn Gott/ Liecht vonn Liecht/ ein wahrer Gott vom wahrem Gott/ geboren vnnd nicht erschaffen/ gleicher Substantz vnnd Wesens mitt dem Vatter/ durch jhn seindt alle ding geschaffen wellicher vmb vnns Menschen vnnd vnsers Heyls willen/ vom Himmel herunder gestigen/ vnnd durch den heyligen Geist auß Maria der Junckfrawen Fleisch an sich genommen hatt/ vnndt ist Mensch worden. Er ist auch fur vnns vnder Pontio Pilato gecreutziget/ hat gelidten vñ ist begraben worden/ vñ am dritten tag/ laut d' heiliger schrifft/ widerūb aufferstanden vō dē Todtē. Er ist auffgefahren in den Himel/ sitzet zur Gerechten Gottes deß Vatters/ vñ wirdt widerumb komen mitt Herlichkeit zu richten die Lebendigen vnnd die Todten/ welches Reichs kein endt wirdt seyn. Ich glaub auch in den heyligen Geist/ denn Lebendigmachenden Herren/ der von dem Vatter vnnd Sun hergehet/ wellicher sampt dem Vatter vnnd Sun zugleich angebettet vnnd geehret wirdt/ der da geredt hat

redt hat durch die Propheten. Ich glaube auch ein einige/ heylige/allgemeine vnnd Apostolische Kirchen. Ich bekenne einen Tauff zu vergebung der Sünden/ vnnd warte auff die Aufferstehung der Abgestorbnen/ vnnd auff einn ewiges zukünfftiges Leben. Amen.

Alle Apostolische/Geistliche satzungen sampt allen anderen ordnungen vnnd gebräuchen der Catholischen Kirchen/ nimme ich an/vnnd halt sie vestigklich.

Die H. Schrifft verstehe ich/ vnnd laß sie zů/in vnd nach dem verstandt welchen vnser heylige Mütter die Christliche Kirch/ bißher gehabt/ vnnd noch helt: Seytemal jhr zügehört/den wahren verstandt vnd außlegung der H. Schrifft von dem falschen zů vnderscheiden.

Ich wil auch gemelte H. Schrifft allezeit / nach der einhelligen außlegung der heyligen Vätter/ verstehn/ annemmen/vnd nicht anderst.

Ich glaub vnnd bekenn / das warlich vnnd eigentlich siben Sacrament des newen Testaments / von Christo Jesu vnserem Herren selbst eingesetz / vnd dem Menschlichen Geschlecht sehr nutzlich/ wiewol nicht alle einem jeden Menschen zur Seligkeit notwendig seindt/ Als nemblich der Tauff/ Firmung/das Sacrament deß Altars/ die Büß / letzte Oelung/die Priesterweyhe/ vnd die Ehe / vnd das dise Sacrament dem Menschen wirckliche Gnad mittheilen. Auß welchen allen der Tauff / Firmung / vnnd Priesterliche Weyhung/ohne Gottslästerung/vnnd grosse Sünd / nicht mögen widerholt / vnnd zum anderen mal gebraucht werden. Ich nimme auch an / vnd laß zů alle gewonliche vnd bewerte bräuch / so in der Christlichen Catholischen Kirchen bey der öffentlichen / herrlichen Darreichung / hochgemelter diser Sacramenten gebraucht werden.

Dessengleichen glaub ich / alles samptlich vnnd sonderlich/ waß von der Erbsund vnnd Rechtfertigung des Sunders im heiligen algemeinen Concilio zu Triend erklärt vnd beschlossen worden ist.

Ich bekenn auch vnnd Glaub / das in dem hochheiligen Ampt der Meß / Gott dem Herrn ein wahres / aigētliches / vnd versöhnlichß Opffer / für die Lebendigen vñ die Todten auffgeopffert werde. Das auch in dem allerheiligsten Sacrament des Altars / warhafftig / leiblich vnd wesentlich zügegen sey der Leib vñ dz Blůt mit der Seel vñ Gotthait vnsers Herren Jesu Christi: Vnd dz die gantze substantz des Brots in den Leib / vnnd die substantz des Weins in das Blut Christi verwandlet werde / Welche wandlung die Christliche Catholische Kirch Transubstantiation / das ist / Ein verwandlung einer Substantz in die ander / nennet. Ich glaub auch vnnd bekenn / daß vnder einerley gestalt / der gantze vnzertheilte Christus volkommentlich / vnnd das wahre Sacrament seines Fronleichnams genossen vnnd empfangen werde. Ich glaub auch vestigklich das ein Fegfewer sey / vnd daß die Christglaubigen Seelen daselbsten / durch dz fürbitt d̄ gläubigen Lebendigē Menschen / trost vñ hulff empfahen. Jt̄ / das man auch die lieben Heiligē / so mit Christo regiern / ehren vnd anruffen soll / vnd das sie auch Gott fur vns bitten / Darzu auch dz jhre Heylthumb in ehren sollen gehalten werden.

Ich halt bestendigklich darfur / das man die Gebildtnussen Christi / der mütter Gottes / vnd anderer lieben Heiligen haben vnd auffhalten / auch denselbigen gebürende Ehr vnd Reuerentz erzeigen sol.

Ich glaub auch für gewiß / das Christus der Herr den gewalt deß Ablaß / der Kirchen gegeben hab / auch das desselbigen Ablaß gebrauch / der Christenheit gar heylsam sey. Ich beken auch die heilige allgemeine / vñ Apostolische / Römische Kirchen / fur ein Mütter vñ Meisterin aller andern Kirchē. Ich versprich auch / vnd gelob mit dem Schwür wahre gehorsam dem Römischen Bischoff / als des heiligen Petri obersten Apostels Nachkömbling / vnnd deß Herren Jesu Christi Statthaltern. Dergleichen alle andere stuck / so von

den

den heiligen Canonen vnnd allgemeinen Concilien / fürnemblich aber von dem heiligem Trientischen Concilio / auffgesetzet / verordnet / vnd beschlossen worden / dieselbige bekenn vnd nimb ich vngezweifentlich an. Hergegen vber alle Irrthumben / Lehr / Stuck vnd Ketzereyen / so von gemelter Catholischer Kirchen bißher verdampt / verworffen vnd verflücht seyn / vñ nachmals verdampt / verworffen vnd verflücht sollen werden / die verdamme / verwürffe / vnnd verfluche ich ebenmäßig.

Disen wahren Catholischen Glauben / ausserhalb welliches niemand selig kan werden / den ich dar in gegenwertigkeit freywillig beken vnd wahrhafftig halte / denselbigen will ich auch (mit hülff Gottes) biß an mein letztes Endt / gantz vnwidersprechenlich / vnuerwirt / vnnd vnuerletzt halten / vnnd bekennen. Ich will auch / souil mir müglich / allen Fleiß furwenden / daß diser recht vnnd warhafftig Glaub / von meinen Vnderthanen / vnnd allen denen / so mir vnder mein sorg befohlen / solle gehalten / gelehrt / vnd gepredigt werden. Das verheisse / gelob vnd schwer ich N. So helff mir Gott vnnd die heiligen Gottes Euangelia.

11. In fidei autem professione facienda illud præcipuè obseruetur, vt publicè ac palàm ab omnibus fiat, adhibitaque præmissa verborum forma, nec non per publicam personam ad hoc constitutam, aut rogatam in peculiari libro, cum ipsius profitentis subscriptione, ad perpetuã rei memoriam annotetur.

DE PRÆLATIS.

FActa fidei professione, in hoc omni cura inuigilandum insudandumq; est, vt fidem quam lingua loqui- *Ephes. 4.*

tur, etiam moribus vita fateatur, & super fidei fundamẽtum, qui Christus est, supercrescat ædificium, ad laudem nominis eius. Ad cuius consummationem, in opus ministerij dati sunt Ecclesiæ Prælati, & ministri qui eis subseruiunt. Illorũ itaq; integritas præcipuè procuranda est. Nam cùm hoc sint in Christi Ecclesia, quod cor & caput in corpore humano, totius familiæ Domini status nutabit, si quod requiritur in corpore, in capite non inueniatur, illorum verò bonitas subiectorum salubris regula est, inquit D. Gregorius.

D. Leo epist. 87.

Greg. li. 5. ep. 56. ca. 156.

1. Vacante itaque dignitate in Cathedralibus Ecclesijs, Collegijs & Monasterijs, mox omnium subditorum corda ad Dominum Deum nostrum conuertantur, & ieiunijs, orationibus, eleëmosynis, illum sibi faciant propitium, atque contrito & humiliato corde instanter eum obsecrent, vt eis rectorem prouideat fidelem, secũdum cor suum ac animam suam, omniumque corda & voces sic moderetur, vt non alius eligatur, quàm quem ipse elegerit. Sæpe enim fit (quemadmodum D. Hieronymus ait) vt principes populi, & iudices Ecclesiæ dentur, non per arbitrium Dei, sed secundùm cor populi, prout merita populi deposcunt, qui iusto Dei iudicio ipsis sint in offensionem, & ruinam: nempè, vt quos habere debuerat duces recti itineris, seductores habeat erroris, & quos elegerat rerum temporalium dispensatores & defensores, earundem experiatur dissipatores.

Act. 13. 3. & 14. 22.

1. Reg. 2. Ca. 8. qu. 1. c. audaces.

2. Instante electionis die, omnes penes quos erit electio, peccata sua Sacerdotibus suis confiteantur, & per absolutionis beneficium Deo reconcilientur, ipsoq; electionis die, vel die precedente, quotquot sunt sacerdotes, sacrificium Missæ singulari deuotione Deo offerant, alijq; in inferioribus Ordinibus constituti, corpori Christi Sacramentaliter communicent, quò Deo arctissimẽ iuncti, eius voluntatem & inspirationes plenius cognoscant & alacrius exequantur. Demum peractis omnibus,

quæ

quæ pia maiorum consuetudine, vel publicè vel priuatim ad promerendam sancti Spiritus gratiam fieri solēt, competenti loco, & tempore, maturo & deliberato consilio, sollicitoq; animo conueniant.

3. Mox vbi ad electionis locum omnes conuenerint, antequam ad electionem procedatur, singuli electores iureiurando (quemadmodum huiusmodi iuramenti mentionem facere videtur prouinciale Concilium sub Hermanno quinto, Anno 1536. habito, parte 1. capite 8.) testentur, se sepositio omni affectu carnis, & sanguinis, priuati amoris, vel odij, gratiæ, fauoris, vel inuidiæ, non habita vlla ratione priuati commodi, vel incommodi, neq; aut ipsius eligendi, aut virorum potētum, vel quorumlibet aliorū precibus, muneribus, epulis, beneficijs, pollicitationibus, pactione, vel qualibet arte inductos, aut conspiratione deuinctos, sine personarum acceptione, eum ad vacantem dignitatem esse electuros, quem secundùm Deum, & conscientiæ suæ testimonium iudicauerint ad obeundum vacantis dignitatis munus, præ omnibus maximè idoneum, & si quæ sint alia, quæ secūdùm laudabilem antiquitus obseruatam consuetudinē vtiliter præmitti, vel iureiurando confirmari solent, eadem præmittantur.

4. Vt verò electores id quod iuramento exigitur valeant præstare, secum seriò perpendant, qualem vacans dignitas poscat eligendum, & quid illi curarum, quid oneris incumbat, diligenter perspiciant. Si autem vnà cū cura rerum temporalium, cura ei quoq; habenda sit animarum; talem quærat intenta & sollicita cogitatio, qui ad vtrumq; munus exequendum singulari sit præditus industria. Et si in numero eligendorum, neminem vtroque hoc dono inueniant ornatum, eum potius eligant, qui spiritum Dei habeat, ad promouendum honorem & cultum Dei, pascendasque & regendas animas, quàm qui huius egenus, ad curanda temporalia insigni prudentia

viget. Consolentur autem se, quando ita accidit, ac terrę affixos animos erigant, fideli & omni acceptione digno D. Pauli sermone: *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*: Teste enim eo, qui veritas est: quærentibus primùm regnum Dei & iustitiam eius, cætera omnia adijcientur. Contra verò ne terrenis commodis nimium inhiantes, postpositis rebus diuinis & animarum salute, omni industria ac præcipua intentione, temporalia lucra curanda iudicent; hac se cogitatione cohibeant, quod ist hæc iudicij & voluntatis peruersitas, hac sæpe animaduersione à Deo puniatur, vt perdat prudẽtes in astutia sua, & vnà cum spiritualibus, quæ parui faciebant, auferat temporalia, quæ faciebant maximi.

1. Tim. 4. Matth. 6. Vide D. Gre. ca. 1. 2. 3. et 4. lib. 4. com. in li. 1. Reg. copiosè de hac re differentẽ, & quæ mala ex carnali electione, qua potentes secundũ sæculũ humilibus et spiritualibus præferũtur, subsecutura sint, latissimè explicantem. 1. Tim. 3. Tit. 1.

5. Porrò collectis omnibus animi viribus, electores ea omnia examinent, quę D. Paulus in Episcopo, & sub hoc nomine in quouis presbytero requirit, ideoq; in quouis Prælato, ac in illo maximè, qui in partem sollicitudinis Episcopalis vocatus est, conspicua esse debent: nimirum vt sit irreprehensibilis, bonum testimonium habens ab eis qui foris sunt, non superbus, non iracundus, non litigiosus, non percussor, non vinolentus, non turpis lucri cupidus; sed prudens, moribus ornatus, modestus, potens in verbo & opere, sobrius, hospitalis, domui suę benè prępositus. Si quis enim regere seipsum nequeat, si cupiditatibus & prauis affectibus suis non valeat dominari, si quę docet ipse non faciat; huius sine virtute erunt instructiones, correptiones auctoritatis pondere carebunt, & nec salire poterit alios, ipse infatuatus, nec facilè alijs persuadere poterit, quod sibi primũ nõ persuaserit. Si porrò domui suæ præesse nescit, si domesticos emendare non possit, si præ timore aut pudoris verecundia conticescat inter priuatos parietes; qua fronte audebit palàm coram omnibus loqui in Ecclesia? qua fiducia peruersis succen-

sebit

sebit clericis,& sacerdotes redarguet refractarios? Qui enim in rebus facilibus argumentum non dedit virtutis, in arduis & difficillimis virtutem quomodo prestabit?& qui in minimis infidelis est,in maioribus qua ratione se fidelem fore persuadebit?

6.Hac ratione si eligendus fuerit Decanus,cogitandum erit,Decano curam incumbere animarum,eum Pastorē esse omnium Canonicorum, & inferioris cleri sui Collegij, qui pro his omnibus & singulis in die Iudicij reddere cogetur rationem; eundem esse Collegij sui caput, cui familiæ Ecclesiasticæ regimen est commissum, vt honorem Dei tueatur, disciplinam in Clero conseruet, vitia castiget,excessus corrigat, & in conseruandis rebus spiritualibus,& tēporalibus,industria & authoritate sua aduigilet.

7. Itaq; ex omni Canonicorū multitudine, & frequentia talis ad hanc dignitatem erit quærendus,qui (vt in Concilio Prouinciali sub Hermanno V. parte 1. capit.7. præscriptum est) par sit oneri, qui Deo gratū valeat impendere famulatum,& nō præesse, sed prodesse possit & velit: cuius ætas per omnes Ecclesiasticas disciplinas cucurrit,& pristina conuersatione sua,omnium virtutum dedit argumenta: Qui templum diligentissimè visitauit: Qui habet voluntatem & zelum in lege Dei, atque animarum lucra ex intimo amore quærit: Qui honores & temporarias mercedes despicit, suaque Canonica portione contentus viuit, & plures præbendas nec possidet,nec possidere cupit: Qui non gloriatur in vestitu, ac crebra, longa, sumptuosaque conuiuia abominatur: Qui calumnijs non mouetur, opprobrijs non fatigatur, aliorū inuidia non accenditur, persecutionibus & iniurijs non frangitur: Qui virtutes super omnia mundi lucra amat, vitia & peccata odio habet; de quo sperare possint, quod spiritu discretionis instructus, nulli delin-

D.Greg.li.7. Epist.110.

delinquenti iniquo affectu parcet, sed pro cõditione personarum charitatis affectu quo suis peccantes, vel in virga, vel in spiritu lenitatis corripiet, corriget, & castigabit. In summa qui sit talis, vt ei tutò & cum fiducia audeãt animarum suarum curam committere, à quo ea omnia quæ in subditis essent reprehensibilia, quàm longissimè absint, & in quo dona quæque optima & perfecta tam luculenter emineant, vt cæteri eius comparatione meritò grex dici queant.

8. Ita in quibuslibet electionibus primò perspiciendum erit, quid vacãs dignitas proprij habeat oneris, & qualem illud postulet eligẽdum. Deinde ea quoque omnia sunt consideranda, quæ omni dignitati sunt communia, ijsq; perspectis demum erit eligendus, qui ad præstãda onera, spiritu Dei, vitæq; merito inuenietur præparatus, & cæteris omnibus excellenti prudentia, eruditione atque industria præstantior. Quod ne facilè fallat, nõ citius quisque sententiam suam in corde suo certò statuat aut confirmet, quàm testimonio cõscientiæ suæ sibi persuasum sit, hunc & non alium ad vacantem dignitatem à Deo esse electum.

9. Facta electione aut collatione, illi, qui Romani Pontificis vel Ordinarij nomine cõfirmationis munus impẽdent, electionis formam, & electi merita (sicut Cõcilium prouinciale sub Hermãno Quinto, parte 1. capit. 10. faciendũ censuit) diligenter excutiant, deinde exigant legitimam attestationem qualitatum, quas singulæ dignitates ex fundatione, primaq; sua institutione, secundum statuta cuiusque Ecclesiæ & Diœcesis exigunt, eiq; exponãt ea omnia, ad quę ex officio tenebitur; & sicut in Cõcilio Prouinciali sub Adolpho tertio, Anno 1549. pa. 432. & 433. decretum est, ipsius ad illa, & ad seruãdam formulam reformationis (cuius ibidem meminit Cõciliũ) qua parte eum contingit, requirant cõsensum. Præcipuè verò si dignitas curam animarũ annexam habeat, diser-

tis ver-

tis verbis ex illo quærant, an cum gratia Dei paratus sit pro animabus, quarum ei cura committenda est, spondere, & de singulis in die iudicij Deo rationem reddere. Denique antequam præstet iuramenta in confirmatione acceptæ dignitatis prestari solita, iuret, se nullis muneribus, illicita pactione, arteue, aut ambitiosa prece, per se aut per alium illam dignitatem obtinuisse, neq; illius consequendi causa peccasse in Pij Quinti Pontificis Maximi Constitutionem de Confidentijs, cuius initium est. *Intollerabilis multorum peruersitas*, & cæt. Datam Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1569. Kalendis Iunij, Pontificatus verò sui Anno iiij. aut alias contra Canonicas sanctiones egisse. Eandemq; dignitatem se non esse resignaturum aut permutaturum, nisi secundùm eiusdem Pij Quinti Constitutionem, quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ incommoda*. Datam Romæ ad S. Petrum, Anno 1568. Kalendis Aprilis, Pontificatus eius Anno III.

10. His peractis, edat professionem fidei iuxta Constitutionem Pij Quarti Pontificis Maximi: Deinde iuret Episcopo suo obedientiam, & se hæc nostra, aliaque Archiepiscoporum Colonienſium statuta, & Prouincialium Conciliorum, ac synodorum decreta, (quæ omnia ad proprios vsus, sub pœna excommunicationis à VVilhelmo in statutis Anni 1330. in Autumno æditis, cap. 4. pag. 105. latę, eum habere volumus) quatenus eum tangunt, seruaturum. Postremò reliqua præstet iuramenta, quæ iuxta cuiusque Ecclesiæ laudabilem consuetudinem in collatione aut confirmatione præstari solent.

11. Si quod iusiurandū exigi alicubi soleat, quod electi iurisdictionem vel autoritatē, in aliquo coarctet; vel quod alioquin cōtra æquitatem vel sacros Canones inductum videri possit: illud sub pœna excommunicationis latę sententiæ in desuetudinem mitti volumus: aut si de eo quæstio vel dubitatio esse possit, æquane an iniqua de causa in consuetudinem venerit, non citius illud exigere liceat,

aut exactum & præstitum obligandi vim habeat, quàm à Romana Sede, aut à nobis quandiu hic fuerimus, quęstionis aut dubitationis decisio obtenta fuerit.

13. Ne autem hæc quæ de instituenda electione præscripta sunt, quemquam electorum aut eligendorum lateant, aut ne quis vana persuasione, seu inconsiderata temeritate, se de eorum ignorantia à periurij culpa excusatum iri putet, aut aliàs non bene, aut seriùs eadem intellexisse queri possit, si duntaxat immediatè, ante ipsum electionis actum præter expectationem proponerentur; cautelam quam in his & huiusmodi Concilium Prouinciale sub Hermanno V. parte 2. cap. 34 desiderare videtur adhibentes; Præcipimus, vt omnia & singula, quæ de instituenda electione præscripta sunt, ab initio vsque ad finem, tribus diuersis diebus ante electionem coram omnibus quorum intererit, capitulariter congregatis, clara, articulata, & intelligibili voce prælegantur. Primum scilicet, statim à vacante dignitate, quàm primùm id commodum fuerit, ita vt antequam de electione cogitare electores incipiant, sciant quid in ea cauendum, quid obseruandum sit. Deinde rursum medio tempore inter diem primum vacationis, & electionis. Ac postremò pridie vel ipso die electionis. Vtque hæc à singulis magis memoriæ figantur, prælegentur semper à tribus iunioribus Capitularibus, incipiendo prima die ab vltimo, secunda à penultimo, & tertia ab antepenultimo. Sic poterit cum tempore fieri, vt nemo sit Capitularis, qui in eadem semel aut sæpius legerit. Prælegantur similiter ea omnia, quæ in hisce constitutionibus nostris sub titulo prælati, cuius facienda erit electio digesta sunt, vt electores cognoscant, qualem virum ad illa omnia præstanda & exequenda vacans dignitas desideret.

14. Sicut ante electionem communis & priuata facta fuit ab electoribus oratio, vt dignus & idoneus eligi posset Prælatus: Ita electo nunc Prælato, nec publica, nec priuata

nata debet pro eo cessare oratio, vt vnà cum accessione honoris, & authoritatis, det illi Deus secundũ diuitias glorię suæ virtutem corroborari per Spiritum suum in interiori homine, augeatque in eo & locupletet sedium suarum assistricem sapientiam, qua sibi subiectos iustè iudicare, prudenter regere, & sine defatigatione in via mandatorũ Dei dirigere possit, & munus suum eiusmodi initijs auspicari, vt illud felicissimè perficiat, beatissimeque consummet. Quod eò instantius faciendum est, quia sæpè ex merito subditorum mutantur corda regentium, & qui videbantur esse boni, accepto mox regimine permutantur. *Ephes. 3.* *D. Greg. 29. Moral. c. 20.*

15. Ipse autem electus non persuadeat sibi, se iam ad metam laborum suorum peruenisse, vt requiescat à laboribus suis, & dignitate prælationis ad libertatem abutatur carnis: quemadmodum illi facere videntur, qui non vt prosint, sed tantũ vt præsint, vehementissima animi contentione prælaturas & dignitates admodum inordinatè ambiunt, quibus rectè dici posset: *Nescitis quid petatis*. Sed etiamsi ocia rectè posuerit, & tempus ac studia sua vtilissimè collocauerit, hactenus se tamen potius in foro ociosum fuisse arbitretur, ac nunc primùm à patrefamilias cõductum, vt vineam eius custodiat, colat, & in ea fideliter ac prudenter, vsque ad vesperum vitæ suæ operetur. Hactenus se ex grege fuisse sciat, ac suæ tantùm salutis habuisse curam: Nunc verò se gregis Dominici factum esse Pastorem, vt perinde ac suijpsius, curam illius habeat, & peruigilet pro singulis animabus sibi commissis, vt eas pascat atque defendat, & omnino tantis viuat, quantis præest. Si vna ouis sua culpa perierit, de manu sua eam requirendam sciat, & quicquid damni rebus sibi commissis sua culpa acciderit, vel quicquid vtilitatis sua negligentia non accesserit, ad id omne præstandũ, & ad reddendũ de eo patrifamilias rationẽ se obligatũ esse cognoscat. Quare nõ tantũ solliciti sint Prælati, ne subditi sui cadãt aut deficiãt vel retrogradiantur, sed magis vt proficiant, atq; donorum à Deo

acceptorum faciant vsuram, & disciplinam ac pietatem, ad quam conseruandam & augendam præcipuè constituti sunt, eadem ratione resuscitent, restituant, augeant, atq; conseruẽt, qua primitus à maioribus nostris inducta fuit: nempe vt suo exemplo doceant, subditos suos maiores reuereri, sacris Canonibus obedire, iurata & promissa inuiolabiliter seruare, terrena despicere, carnis concupiscẽtias domare, iniquitatem odisse, & quod solum sufficit, Deum super omnia amare. Nulla enim alia peccati causa est, nullaque deformitatis in clero Domini alia est origo, quàm quod Deus non satis ametur. Ad radicem itaque ponenda securis est, & peccati causa exscindenda, omnisque intercipienda deformitatis origo est.

16. Ad hæc nihil potentius, nihilque ad concipiendũ spiritum amoris Domini expeditius, quàm vera peccatorum agnitio, humilisque & perfecta eorundem confessio, & post eam interna animæ refectio, per sacræ lectionis studium, meditationis, orationis, & Sacramentorum vsum & frequentationem. Ad quæ Prælati subditos suos, non tantùm frequenti exhortatione adhortabuntur, verùm etiam, vt dent voci suæ vocem virtutis, & subditos suos non modò leuiter tangant, sed efficaciter commoueant, & potenter trahant, suo exẽplo eos manu ducent, & quocunque illos sequi velint præcedent; ita vt reipsa ostendant, hoc quod persuasum subditis suis volunt, sibi ipsis persuasum esse, se ita sentire, se hoc ardentissimè concupiscere, toto corde amare, & opere quantum possunt, adimplere. Alioquin etiam si potentes sint in sermone, nihil aliud erunt quàm velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, magisque dicendo & non faciendo, disciplinæ Ecclesiasticæ vigorem eneruabunt, quàm charitatem ædificabunt, & verba eorum quamuis grandia, erunt verborũ iacula, grandiloquentiæ duntaxat strepitu aures ferientia, sed nullo acumine auditorum corda penetrantia.

17. Quare satagant Prælati, non solùm vt diebus Domi-

nicis

ricis & festis, ad quod singulos sacerdotes sibi subiectos inducere & perducere debent; sed praterea semel atque iterum in septimana Missę sacrificium offerant. Non tantum vt pro se intercedant, & imperfectum suum hoc subsidio perficiant, defectusque suos suppleant; neque exempli duntaxat causa, & vt subditos suos præcedant potius, quàm eodem cum eis ordine incedant, vel ne quod turpius eos à longè sequantur: verùm etiam vt illos pascant. Pascant illos verbo & exemplo, pascant viuificis Sacramentis; pascant etiam sanctarum orationum fructu & sacrificijs, nec pascant modò, sed & defendant, atque in quacunq; necessitate se pro eis ante Deum mediatores, & pro peccatis eorum intercessores constituant, & contra eos, si rebelles fuerint, hisce Deo potentibus armis, in spiritu mansuetudinis, & humilitatis exurgant, ad destructionē munitionum, ad destruendum consilia, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & captiuandum omnem intellectum ad obediendum Christo, & subiugandam omnem inobedientiam. 2. Cor. 10.

18. Quoniam verò ignorantia, graues nonnunquam incidit lapsus, & plerumque in Diaboli ruit foueas incauta simplicitas; tanto Prælatis maior quàm subditis cura debet esse sacræ lectionis, quanto præ illis externis occupationibus magis deprimuntur, & non tantùm quo se erigant, sed & quo singulos subditos suos pro singulorū qualitate doceant, & contradicentes potenter reuincant abundare semper debent. Sacræ igitur scripturæ, sacrorumque Canonum iugi meditatione, eum sibi scientiæ thesaurum in suo pectore recondant, vnde semper ad omnia quæ occurrunt, in promptu rationes habeant, quas depromant. Vtque hac ratione non solùm rationale iudicij in pectore suo habeant, sed in ipso quoque Patriarcharum nomina descripta existant, meminisse semper debebunt sanctorum prædecessorum suorum, vt sicut locum eorū occupant, ita illorum zelum, feruorem, sollicitudinem & D. Leo epist. 13. ad Pulch. August.

pietatem intuentes, ad ea imitanda vitam & mores suos componant.

19. Ne autem defectu scientiæ, ætatis, aut sacri Ordinis disciplina deficiat, nemo deinceps ad dignitates quascunque admittatur, nisi qui in Clericali ordine versatus, experientia & doctrina ad suum munus necessaria commendetur, & eo ordine aut sit initiatus quem illa dignitas requirit, aut in tali ętate, vt intra tempus Canonicum initiari valeat; intra quod si non initietur, pœnas à VVilhelmo cap. 8. latas eo ipso incurrat.

Conrad. c. 9. pag. 12.

Pag. 159. & 160. initium cap. est. Ex iniunctæ nobis.

20. Vt Prælati, sicut alijs Ecclesiæ ministris, honoris & authoritatis dignitate antecellunt, ita modesta vestium grauitate & religione, iuxta caput nonum statutorum Conradi pag. 12. alijs omnibus antecellant; elaborent, vt virtutum indumentis sic splendeant, vt nec per irreligiosum vestitum, nec per immoderatum vestium cultum, honoris & ordinis sui sanctitatem dehonestent.

21. Et vt in reliquis omnibus mediocritatis virtutem moderatissimè teneant, persuadeant sibi scriptum esse, ꝙ à D. Bernardo Fulconi Lingonensi Archidiacono scriptum est. Dignum est vt qui altario deseruit, de altario viuat. Conceditur ergo tibi, vt si bene deseruis, de altario viuas, non vt de altario luxurieris, vt de altario superbias, vt inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea, à collo & manibus ornatu purpureo diuersificata. Denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum, de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

Epist. 2.

22. Corona & Ecclesiastica capillorum & barbæ tonsura, quæ sacræ militiæ, cuius se Duces profitentur, incentiua symbola & insignia sunt, tanto in Prælatis sit manifestior, quanto quæ eisdem significantur, in sacri exercitus Duce, quàm in gregario milite debent clariora esse. Quare ipsis legenda, relegenda, obseruanda, & exequenda proponi.

ponimus, quæcunque in Concilijs Prouincialibus & Synodalibus, ac diuersis alijs Constitutionibus ab Archiepiscopis Colonienſibus, de Corona & tonsura Clericali frequentissimè repetita ac innouata fuerūt; præcipuè quæ à Friderico capite quinto statutorum eius, quod incipit. *Præterea, Constitutionem felicis* &c. repetita & innouata sūt. Quæ & nos repetimus, ac sub ijsdem pœnis innouanda sancimus: censentes eum sententiam interdicti ab ingressu Ecclesiæ incidisse, & à fructibus beneficiorum suorum ipso facto suspensum esse, qui sine iusta causa capillos, vel barbam vltra consuetum Clericis modum nutrit, vel eādem ac Clericalem coronam, pro ratione ordinis ac status sui, tertia qualibet septimana radi non curat, & si in ea suspensione quidquam ex beneficiorum fructibus receperit, tam illum qui id ministrauerit, quàm qui receperit excommunicationis sententiam, & Capitulum Ecclesiæ, si collegiata fuerit, suspensionis (si in culpa extiterit, vel negligētiam aut administrationem huiusmodi factam, ratam, & gratam habuerit) & ipsam Ecclesiam interdicti sententiam ipso facto incurrisse.

Pag. 189.

VValram. c. 4. pag. 111. d.

23. Vt constet quàm latam quisque pro qualitate gradus, ordinis, ac status sui, debeat gestare coronam: Sacerdotis corona amplitudine sua hostiæ magnæ, quæ ad Missæ sacrificium seruit, par sit: Clerici verò atque item minoribus Ordinibus initiati, ad paruulæ hostiæ, quæ laicis communicantibus exhiberi solet, quantitatem æquet: Diaconi autem paulo minor sit sacerdotali, & sicut Subdiaconi Clericali, ita Pastoris vel curam animarum habentis sacerdotali, & Prælati Pastorali paulo maior sit.

24. Cùm Prelati nec in spiritualibus, nec in temporalibus rebus ministerium ipsis concreditum vlla ratione adimplere, nec omnibus & singulis inuigilare, prodesse atq; assistere valeant, si à loco residentiæ suæ, quod mercenarij fa-

rij facere solent abfuerint, quod in Concilio Prouinciali, sub Adolpho tertio, Anno 1549. 6. Aprilis habito, pag. 435. de Decanis salubriter constitutum est, vt apud Ecclesias suas personaliter residеant, & officio suo per se ipsos strenuè fungantur, sub pœna priuationis fructuum Decanalium, pro rata temporis, quo absque causa rationabili moniti non resederint; hoc ad omnes Prælatos extendimus, & Abbates, Abbatissas, Prepositos, Archidiaconos, Archipresbyteros, seu Decanos rurales, aut Christianitatũ, Scholasticos, Choriepiscopos, Cantores, Pœnitentiarios, & Thesaurarios, & alios quoscunque beneficiorum, quibus aut cura animarum annexa est, aut onus simile incũbit, possessores (qui vel Canonum iure, vel consuetudine Ecclesijs personale residentiæ munus debent) ad personalem residentiam in Ecclesijs suarum dignitatum, aut beneficiorum simili pœna obligari, & pro rata temporis absentiæ huiusmodi fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta illos sibi retinere posse decernimus, sed teneri aut ipsis cessantibus per superiorem Ecclesiasticum, illos fabricę Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunque conuentione, vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus, in totum aut pro parte eis remitterentur; non obstantibus quibuscunque priuilegijs, cuicunque Collegio aut fabricæ concessis, saluis nihilominus Constitutionibus Friderici, quarum prior incipit: *Ad audientiam nostram*, pag. 198. Altera, *Pastoralis officij*, pag. 204. in quibus excommunicat omnes & singulos, Monasteriorum & Ecclesiarum Prælatos, vtriusq; sexus, animarum curam habentes, nec non & Ecclesiarũ Parochialium, Ciuitatis & Diœcesis Colonienſis Rectores, si vel ad reuertendum infra mensem ad Monasteria & Ecclesias suas, vel ad continuè residendum in eisdem, vel ad officia, curas & disciplinas, & onera ipsis, vigore suarum Prælaturarum incumbentia, authore Domino feliciter

Scholasticos & Cantores ad residentiam teneri, definit Conrad. c. 9. p. 13 Idem patet ex ca. 10. statutorum Conradi, quod etiam Choriepiscopos hac de causa non patitur esse Episcoporũ aut Regum Sacellanos, pag. 13. c. d.

citer gubernandum negligentes, culpabiles & rebelles fuerint.

25. Si qui autem ex prædictis sese indulgentia, aut dispensatione perpetua, aut temporali tutos, & à personali residentia exemptos putent, effectu & fructu indulgentię, & dispensationis careant, quamdiu indulgentiæ, aut dispensationis litteræ, ab Episcopo, vel eius in hac parte Vicario non fuerint approbatæ. Quæ cùm approbandæ erũt, curabit Episcopus aut eius Vicarius, vt dignitas aut beneficium, idoneum interim habeat Vicarium, cui congruã fructuum portionem assignabit.

Conci. Prou. sub Adol. 3. Medio tertio, cap. Cupientes examinemo. pa. 437 a. b. & cap. Ordinarij. De Officio ordinarij in sexto.

26. Omnes qui plures dignitates, vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet, seu personatũ aut dignitatem, cum alio beneficio, cui similis cura est annexa, vel aliâs incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinent; intra mensem à publicatione horum decretorũ, nobis aut Ordinario suo exhibeant dispensationes, quarum authoritate Ecclesias, personatus seu dignitates, & beneficia canonicè tenere se asserunt. Quod si fortè iusto impedimento cessante, nullam dispensationem contigerit exhiberi; Ecclesias, beneficia, personatus seu dignitates, sine dispensatione aliqua, eo ipso illicitè detineri, constabit, & per eos ad quos eorum collatio pertinet, liberè, personis idoneis conferri poterunt, iuxta Constitutionem Gregorij X. in generali Lugdunensi Concilio æditam, quæ incipit. *Ordinarij*. quam decretis sessionis septimæ Oecumenici Concilij Tridentini innouatam Synodus Diœcesana, sub Adolpho tertio, Anno 1551. feria secunda post Dominicam *Inuocauit*, publicauit, ac firmiter & inuiolabiliter obseruari præcepit. Si autem de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, super hoc erit secundùm eandem Constitutionem ad Sedem Apostolicam recurrendum, cuius est æstimare quem modum sui beneficij esse velit.

Cap. Ordinarij in 6. Tit. de officio Ordinarij. Conc. Trid. sess. 7. cap. 5. Synod. Diœcesana. 1551. p. 521. b. c. d. Conci. Prou. sub Henrico anni 1310. c. 28. §. 2. pag. 84. c.

27. Hæc quæ de residentia Prælatorum & pluribus dignitatibus, vel Ecclesijs vni non committendis, constituimus,

mus, locum etiam habere volumus in Abbatissis Collegiorum nobilium Virginum Canonissarum. Quas vt optimè monet Concil. Prouinciale, quod sub Adolpho III. habitum est *Medio tertio*. Cap *Idem statuimus*, tanto magis oportet Ecclesijs suis adesse, & perpetuò residere, quanto virgines illæ maiori custodia dignæ sunt. Cæteraque quæ eodem capite, eiusdem Concilij, & alibi in statutis Ecclesiæ Colonienſis, atque nostris hisce decretis, eas quomodolibet tangere possunt, & ad Collegiorum quibus præsunt reformationem facere, perinde ac si ipsis peculiariter præscripta essent, vel quæ olim præscripta, recens à nobis essent innouata, & ad verbum in his decretis recensita, in vsum per eas duci cupimus, ac religiosissimè obseruari.

Pag. 436. b.

Conci. Prou. sub Herman. Q. in to parte 4. cap. 6.

28. Cùm verò Prælatos alioſq;, qui beneficium Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, aut euidens Ecclesiæ vtilitas, abesse postulauerint, decernimus has causas legitimæ absentiæ, si spatium trium mensium excesserit, ab Ordinario vel eius Vicario, in scriptis esse approbandas, & Vicarium idoneum (*a* nisi talem aut nostra, aut Prouincialia vel Synodalia decreta, vel peculiaria & approbata Ecclesiarum statuta designent) ab Ordinario vel eius Vicario approbandum, cum debita mercedis, aut fructuum portionis assignatione, ipsius Ordinarij aut Vicarij *b* arbitrio esse sufficiendum, & extra prædictas causas absentiæ, spatium siue continuum siue interruptum, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem vt id æqua ex causa fiat, & absque vllo diuini honoris, gregis commissi, ac Ecclesiarum detrimento: caueaturq; vt diebus solemnibus, *c* Natiuitatis, & Resurrectionis Dominicæ, Pentecostes, Corporis Christi, Dedicationis & Patronorum Ecclesiæ, Dominici item Aduentus, & Quadragesimæ tempore, ab Ecclesia

* *Cõci. Prou. sub Adolp 3. de officiorũ perfunctione Medio tertio cap. vide mus Decanis pag. 435.*

b Adolph. 3. in mandato quod incipit. Quanquã diuinis legibus, *publicato in Synodo Anno 1550. Feria quinta post Remigij habita pag.*

513. a. & ca. 5. ſ. ß. 7. Conc. Trid. in Synodo Diœceſ. Anno 1551. Feria 2. poſt Domin. Inuocauit, *publicat. pag. 521. c. d. in ſtatut. Adol. 3. c. Vide ca. Si quis in Clero 7. q. 1. c. cum ex eo. §. Porrò de electione, in ſexto.*

clesia sua absint, saluis nihilominus Ecclesiarum constitutionibus,& consuetudinibus,quæ huiusmodi personis absentiæ tempus arctius præscribunt.

29. Cùm inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sint,quàm ad desides negligentesq; superiores, qui in omnibus peccantibus peccant,quando eos quos sciũt peccasse aut peccare non increpant,& multam sæpe nutriunt pestilentiam,dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam;vigilanter satagere debent Prelati,ne aut verecundia,aut vano timore,vel iniqua cõmiseratione aut beneuolentia delinquentibus parcant:sed solum Deum præ oculis habentes, confidenter & cũ iudicio excessus omnes, & sine præcipitatione,& sine dilatione corrigant. Præterquam enim quod difficilius emendantur mala, quæ per longas inualuerunt moras,etiam multum roboris præfecti perdunt,ideo quod virtutis opera non exequuntur. Omni enim habenti dabitur & abundabit, ab eo autem qui non habet,& quod habet auferetur.

Dist.87.Inferiorum culpæ. Leo epist.3. Prosper lib. 3.de vita cõtempl ca 23.

Matth.13. Luc.19.

30. Neq; etiam propter perturbationem temporũ quidquam à vigore disciplinæ remittendum esse censeant,qui eam,quasi salutare aliquod gubernaculum,ad regendam in tempestatibus nauim Ecclesiasticæ salutis,ne in scopulos illidat, seruandam acceperunt.Nihil enim vt grauiter &eleganter ad D.Cyprian.scribit Clerus Romanus:aut in pace tam aptum,aut in bellis persecutionum tam necessarium,quàm debitam seueritatem diuini vigoris tenere,q̃ qui remiserit,erret semper necesse est,& huc atq; illuc varijs negotiorum fluctibus dissipetur. Eoq; magis illud nũc quàm pacis tempore est necessarium,quod mare tribulationum contra nauem Ecclesiæ quotidie magis magisq; intumescat,diuersæq; aduersitatum & persecutionum tẽpestates,validos atque minaces aduersus eam fluctus multiplicent, quibus cælestis censura, Ecclesiæ Prælatos cogere videtur, vt tanquam nauis Ecclesiæ pro parte sibi commissa gubernatores,omnes vectores, quos ad portũ salu-

Epist.31.siue lib.7. epi.2.

tis peruehendos receperunt, de sopore excitent, & diligenti indagine vt vulneris medelam inueniāt, cladis causam cognoscant. Cognoscant non sorte, sed diuina lege, & sacrorum Canonum authoritate ac definitione: quorum si aliquos deprehenderint transgressores, sopore graui in iniquitate sua depressos, qui ceu fugitiui à Domino serui, eo quod eius voluntatem conuincuntur nolle facere, tēpestatis huius causa existunt; contra eos non differant propter temporum perturbationem disciplinæ Ecclesiasticæ neruos intendere; sed vt stet mare à feruore suo, omnisq; cōtra Ecclesiam mota tempestas quiescat, ac se & nauem totam saluent, eos cum Iona Propheta in mari amaritudinis pœnitentiæ mittant, & remedijs seuerioribus aut corrigant, aut si incorrigibiles sint, à se abscindant.

Adolph. 3. in formula inquisitionis apud plebem faciendā §. 37. p. 500. c. Herman. 5. part. 7. c. 38. 1. Corinth. 5. 1. Tim. 5. Vide etiam Synod. Diœcesanā anno 1551. feria 2. post Domin. Inuocauit habitum, ca. 10. pag. 521.

31. Quando ab aliquo publicè, & in multorum conspectu, crimen aliquod admissum fuerit, vnde alios scandalo offensos fuisse non sit dubitandum; huic condigna secundùm Canones, atque adeò Christi, eiusque discipuli D. Pauli institutum, factum, & præceptum, pro modo culpæ, pœnitentia publicè iniungatur; vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, timore similis pœnæ, à lapsu contineat. Et si lapsi fuerint, suæ emendationis testimonio ad rectam vitam reuocet: sine cuius disciplinæ restitutione, vt rectè hoc ipsum argumentum tractans, sentit Synodus Diœcesana Anno 1550. 26. Februarij sub Adolpho 3. habita pag. 466. d. Ecclesia perpetua scabie laborabit, nec scandalorum erit modus, & pij inuoluent se peccatis alienis.

32. Cùm res mali exempli sit, crimen pecunia redimere, & nihil grauius Prælatos coram Deo accuset, quàm si peccata ob pecunias & munera relinquant impunita: ab omnibus Prælatis, & ijs qui corrigendi & puniendi iurisdictionem habent, strictè seruari volumus, quod in Concilio Prouinciali sub Hermanno 5. parte 13. cap. 8. & in Cōcilio Prouinciali sub Adolpho tertio, capit. quod incipit:

Magno

Magno populi pag. 435. b. sancitum & mandatum est. Ne vitiorum correctiones, pecuniæ, muneris, vel necessitudinis cuiuscunque gratia dissimulent, nec pœnitentiæ loco, pecuniam emungant. Quod si interdum Canonica sanctione pecuniaria pœna aut decreta, aut decernenda sit, ea in pios tantùm vsus conuertatur, ne magis auaritiæ quàm correctionis causa videatur fuisse exacta.

33. Ne laici habeant quod querantur, aut exprobrent, vel cur ad Magistratum sæcularem recurrant, si quando Clericos in ius vocauerint, vel contra eos causam dixerint; Prælati seu Ordinarij Clericorum (vt cap. 13. pag. 24. sub pœna excommunicationis mandat Engelbertus) cũ requisiti fuerint, secundùm consuetudinem Capitulorũ, si fuerint in Ecclesia collegiata, aliàs verò secundùm Ius scriptum expeditissimè ius dicant, ac reliqua omnia seruent, quæ idem Engelbertus, alijque Colonienſis Ecclesię Archiepiscopi, Iudici Ecclesiastico seruanda præscripserunt.

34. Quandoquidem non rarò contingit, quod Ecclesiasticorum crimina, quæ omnibus nota & manifesta sunt, solos illos lateant, qui ea corrigere & castigare deberent; non absque ratione Synodus anno 1335. postridie Dominicæ *Inuocauit* sub VValramo habita cap. 9. excommunicat eos, qui scientes & conscij, quosdam per Simoniam Beneficia obtinuisse, eosdem non reuelant. Nec minus prudenter in statutis Curiæ Colonienſis à Theodorico præscriptum est, vt vnusquisque de membris Aulæ suæ, sub pœna transgressionis iuramenti, referret excessus, quos nouisset committi, tam in Clero quàm in populo: illos scilicet, quos Ordinarius corrigere debet. Quam sollicitudinem omnibus Prælatis consectandam proponimus, vt ne, quæ omnium iudicio ab ipsis punienda & corrigenda sunt, ipsi soli ignorent. Vnde, quod peccata impunita manent, intolerabilis nascitur peccatorum licentia, quæ Magistratui sæculari occasionem dat, vt contra iura &

Pag. 116.

In statutis Curiæ suæ articulo 65.

priuilegia Cleri, in Clericos & sacerdotes criminosos manus suas iniiciat, eosque ad suos carceres pertrahat.

35. Vt Ecclesiasticæ disciplinæ, correctionis & reformationis officium, Prælati quilibet circa suos subditos sine impedimento valeant exercere, & executionem eius nulla consuetudo, vel approbationis beneficium possit impedire: Constitutiones Engelberti, cap. 15. pag. 24. & 25. & VVilhelmi cap. 30. pag. 152. innouantes; volumus vt in terminis suæ iurisdictioni subiectis, sua iurisdictione, tam in correctione quàm in iudicio, ac animaduersione, & alijs quæ ad hoc videbuntur expedire, liberè vtantur, nec in his alter ab altero impediatur, quinimò iuuetur. Et si aliquæ sententiæ in suum subditum fuerint prolatæ, illæ ab alijs Prælatis inuiolabiliter, vsque ad satisfactionem condignam obseruentur, & executioni, si opus fuerit, demandentur.

36. Ne ob iurisdictionis defectum, Prælatis interdum ad exercēdam disciplinam, moresq; corrigendos aliquod obijciatur impedimentum; nostram, id est Apostolicam potestatem & authoritatem illis omnibus & singulis ita concedimus atque tribuimus, vt circa morum correctionem, vitæque honestatem, ea ipsa quæ nos ipsi possemus in delinquentes sibi subiectos, ipsi præstare valeant. Quod si verò subditorum aliquis, siue Regularis ille fuerit, siue Sæcularis, Canonicus, Vicarius, Cappellanus, vel quiuis alius Clericus aut Laicus pertinaciter rebellis fuerit, vel si quædam occurrant quæ ex suo officio quàm maximè correcta esse vellent, quæ tamen potentia aut malitia quorūdam præualente perficere nequeant; eos omnes & singulos in virtute sanctæ obedientiæ monemus, & sub pœna excōmunicationis latæ sententiæ, quam in eos, & in quēlibet eorum, in his scriptis ferimus, præcipimus, vt iuxta statutum VValrami, cuius initium est. *Quoniam diuersi generis hominum* &c. quod nobis hic sequendum proposuimus, nomina rebellium, statim vbi ipsis de huiusmodi rebel-

cap. 18. pag. 126. 127.

rebellione apparuerit, nobis, aut in noſtra abſentia, Ordinario vel eius ſubdelegato fideliter referāt, vt contra eoſdem, prout eorum proteruitas exegerit, per alia iuris remedia acrius procedere valeamus.

37. Ne verò ſine cauſa metum aliquem iuſtum prætendant, ob quem ab executione mandatorum Eccleſiaſticorum abſtineant: ſub eadem pœna præcipimus, vt eundem metum infra 15. dies nobis aut Ordinario probare teneantur; & nihilominus proceſſum per edictum publicum continuent: quemadmodum in Conſtitutione D. Adolphi tertij Colonienſis Eccleſiæ Epiſcopi, cuius initium eſt: *Quanquam diuinis legibus*. Data ipſo die ſancti Michaëlis, Anno 1550. præſcriptum & mandatum eſt. Pag. 513. c.

38. Damnamus ergo & reprobamus, quemadmodum VVilhelmus *Archiepiſcopus* Colonienſis, in ſuorum ſtatutorum cap. 29. pag. verò 181. damnauit & reprobauit malam illam conſuetudinem, imò damnabilem abuſum pernitioſamque corruptelam, ſacris Canonibus inimicam, & diuinæ Maieſtati inuiſam; ſcilicet, quod Decani & alij iuriſdictionem habentes, Canonicos & alias perſonas Eccleſiaſticas, Eccleſiarum ſuarum diuina officia & miniſteria non facientes, aut ijſdem non intereſſentes, aut alias excedentes, per cenſuras & pœnas ipſarum Eccleſiarum diſciplinares conſuetudines corrigere non poſſunt, ſubtrahendo ſcilicet eis aliquid, etiam modicum vel magnum de fructibus præbendarum ſuarum; inhibentes ſingulis Prælatis, Canonicis & Eccleſiaſticis perſonis, ſub ijſdem cenſuris & pœnis, quibus idem Archiepiſcopus, in dicto capite ſtatutorum ſuorum inhibuit (quod quidem caput innouamus) ne huius mali corruptelam ſeruent, aut ſecundùm eam iudicare præſumant.

39. Neque vllus Clericus tutus cenſeatur, quo minus à ſuis Prælatis, iuxta Canonicas ſanctiones, viſitari, puniri,

niri,& corrigi possit,quibuscunque priuilegijs,exemptionibus, consuetudinibus, & huiusmodi minimè in hoc suffragantibus.

40. Si Prælati vel alij iurisdictionem exercentes,aut in iurisdictionis officio, consilio, suffragio, vel alio modo cooperantes, excessus Clericorum, vel Ecclesiasticarum personarum scientes dissimulauerint illos, vti in Concilio habito sub Conrado Cardinali Portuensi cap.2. Decanos & eorum confratres excommunicationis vinculo hac de causa subiectos legimus,eodem excommunicationis vinculo,subiacere declaramus. A quo,qui pecunia aut munere fuerint corrupti, absolui non possint, nisi hoc quod donatum erat,aut pretium eius, & tantundem præterea,in pios vsus,pro arbitrio Ordinarij erogauerint. Pag.3.

41. A qua quidem pœna,nemo se immunem arbitretur, quod alteri munus suum commiserit. Videre enim debet cui illud cõmittat,& curare,vt rectè eo perfungatur.Propter quod in Concilio Prouinciali, anno 1549. sub Adolpho tertio peracto,pag.434.& 435.prouidè sancitum est;vt Episcopi, Archidiaconi,& omnes qui functionem munerum suorum non per se, sed per ministros & Commissarios,seu Collectores solent obire,vices suas non committant hominibus leuibus,vitiosis,aut coniugatis, sed tantùm Ecclesiasticis,grauibus,& probatæ opinionis viris;& mandatum, ne quis Prælatus cuiuscunque sit dignitatis, suam iurisdictionem & munera vlli Commissario seu Collectori,licet Ecclesiastico plus offerenti, pro pecunia, aut pro certo annuo censu, committat,aut vendat; sub pœna excommunicationis,quam emens seu pecunia paciscens ipso facto incurrat: vendens verò præter pœnas Canonicas, amittat etiam actionem pecuniam pactam exigendi,eò quod contractus huiusmodi illicitus,& à iure damnatus,nullus sit & haberi debeat.Quę quidem omnia & singula confirmantes, omnes & singulos Prælatos diuini iudicij obtestatione hortamur & monemus,vt nõ

consti

constituant aliquos operis sui Vicarios, ministros, nisi vrgens & necessaria id causa cogat, pro qua velint & parati sint, in die Iudicij Deo, & in die Visitationis aut Synodi, & aliàs quandocunque requirentur, Episcopo suo reddere rationem. Nec tum alios constituant, quàm quibus sine animæ suæ periculo, curam sibi commissam credere possint, sollicitè cauendo, ne occasionem dent, vt dici de eis possit, quod patientius ferant Christi iacturam, quàm suam, inueniantque facilè quibus animas credant, & non inueniant, quibus committant curam negotiorum suorum, aut facultatum suarum, quibus à cura animarum auocantur.

42. Quin potius, propter eminentem amorem Christi, & animarum quibus præsunt salutem, omnia detrimentum faciant, & propria lucra contemnant, nec tantùm substantiam suam, sed quod facere tenetur pastor bonus, pro ouibus suis, si id necesse fuerit, etiam animas suas ponant. Quod Prælatis eò magis incumbit, quia non gregis tantùm, sed pastorum quoque pastores sunt, corumque forma & viua lex esse debent, omniaque, quæ ab ipsis exigere iubentur, exemplo suo illos coguntur docere, eosque tanquam stellæ, & luminaria firmamenti, illuminare. Si autem ipsi, qui aliorum lux esse debebāt, tenebræ fuerint, aut tenebras magis, quàm lucem dilexerint, quæ erit illuminandis, intuentibus ac obedientibus spes salutis?

43. Quæ autem hic in substituēdo Vicario Prælatis concessa videtur libertas, quolibet anno ad spatium duntaxat trium mensium, siue continuum, siue interruptum permissa esse intelligatur, vltra quod si Vicarium habere cogantur, is non nisi consensu, approbatione & examinatione Episcopi constituatur; quemadmodum paulo antè cùm de absentia Prælatorum, & aliorum quibus cura animarum commissa est, agebatur, præscriptum fuit.

44. Vt Prælati, & qui ad puniendos corrigendosque excessus iurisdictionis autoritate præditi sunt, sine difficul-

tate atque malorum hominum odio (quantum fieri potest) munus suum exequantur: iniungimus Prælatis, qui in ciuitate Colonienſi huiuſmodi iuriſdictionem exercent; vt in proximam Synodum certos Canones communibus votis concipiant, ſacris Canonibus ac temporis huius peruerſitati conformes, quibus ſingulis exceſſibus, eis maximè, qui in hac Diœceſi frequentius committi ſolēt, certa, conueniens & ſatisfactoria pœna imponatur. Quos in Synodo examinandos offerent, vt admiſſi & approbati ab omnibus publicentur, atque ab omnibus & ſingulis in vſum ducantur. Hac enim ratione futurum arbitramur, vt & Prælati communi omnium iudicio & conſenſu confirmati, iuriſdictionem ſuam in puniendis corrigendiſque exceſſibus ſine timore & hæſitatione in actum ducant; & corrigendi aut puniendi, non tam in Correctorem ſuum ceu phrenetici inſurgant; quàm ſibi ipſis, adeoque peccatis & exceſſibus ſuis piè iraſcantur.

De his Synod. Diœceſ. ſub Adolp. 3. Anno 1550. 26. Febr. habita, pagin. 464. d & 465. a. d.

45. Reliqua quæ ad Prælati officium ſpectant, & quam debeant gerere curam, ac ſollicitudinem, circa diuinum officium, circa diſciplinam Eccleſiaſticam, circa Paſtores, Rectores, & miniſtros Eccleſiarum, ipſaſque Eccleſias, res Eccleſiaſticas & Eccleſiaſtica beneficia; quid item debeant ſcholis & pædagogijs; quid in inquiſitione & ſuppreſſione librorum hæreticorum; quid denique Apoſtatis, Hæreticis, ſchiſmaticis, maleficis, homicidis, infanticidis, inceſtis, alijſque palam criminoſis, & ſi quid aliud eos quoquo modo tangat, partim ex hiſce noſtris Conſtitutionibus, ſuis locis & titulis, partim ex Prouincialibus & Synodalibus ſtatutis, alijſque Archiepiſcoporum Colonienſium Conſtitutionibus ſtudioſè inquirant, & cognoſcant, cognita magna animi virtute ac conſtantia obſeruent, & vt ab alijs obſeruentur aduigilent. Quod niſi fecerint, non tantū frūſtra erunt quæcunq; vel ab his, vel à nobis, qui hac in parte legatione pro Chriſto fungi-

fungimur, pro Ecclesiastica reformatione decreta ac præscripta sunt, sed & ipsi omnium se reos, totiusque fructus, qui hinc nasci poterat, facient esse debitores, tot mortib⁹, teste D. Gregorio digni, quot vel non obsistendo, vel non reclamando, aut tacendo perire permiserint, vel ad quot perditionis exempla transmiserint. *Hom. 11. lib. 1. super Ezechiel. et Past. part. 3. admonitione 5.*

46. Ad ea autem præstanda iactent in Deum omnem spem suam, ille sit virtus & fortitudo eorum. Per illum incipiant, per illum progrediantur, per illū consummentur. Vindicent sibi animi vigorem, & constantiam, qua ad ignominiam, ad contumeliam, ad ferendum & superandum pondus diei & æstus, variasque persecutiones, præparent animas suas; vt ne peregrinentur in feruore, qui ad tentationem ipsis fieri potèrit: sed considerantes quod aduersitas, quæ bonis conatibus obijcitur, probatio virtutis sit, in infirmitate sua cum Apostolo potentes fiant, & exaltentur in humilitate sua, ac quo magis aduersitate premantur, eò vt decet Christi milites, adeoque Christianorum Duces, ad perseuerandum & consummandum acrius instigentur. Ascendant ex aduerso, ponant sese murum pro Domo Dei, stentque in prælio in die Domini, contra spem in spem credant, nec vnquam diffidentia hæsitent. Potens enim est Deus supra quàm capiunt & intelligunt, ipsis minimè expectantibus, reuoluere lapidem alioquin inuolubilem, omniaque remouere impedimenta, quæ eis difficultatem pariebant.

DE ABBATIBVS, PRIORIBVS, ALIISQVE RELIGIOSORVM

Præfectis, ac quibuscunque vtriusq; sexus religiosis.

ABBATES, Priores, & alij Religiosorum Præfecti, quocunque nomine vocentur, cùm successores sint atq; Vicarij sanctorum Patrum, quorum regulam profiten- I.

tur;ad eorum curam & sollicitudinem pertinet, vt singuli, quibus præsunt, reddāt Domino Deo suo, vota sua, quæ distinxerunt labijs suis, vt proficiant de die in diem, in obseruatione regulæ, secundùm quam ad securitatem salutis suæ, Superiorum suorum præsidio, ducatu & auxilio, vitam & mores suos conuertere vouerunt.

2. Qua in re, cùm multorum Præfectorum negligentia multa desiderentur, eorumque incuria & somnolentia vinea Domini, quam colendam & custodiendam susceperunt, non solùm magna ex parte inculta, sed etiam deserta, ac maceria destituta iaceat; ita vt pateat omnibus qui prætergrediuntur viam, & bestiæ agri demoliantur eam: vt eos pro legationis nostræ qua fungimur officio excitemus, & ad præstandam, quam debent culturam & custodiam in vineam hanc educamus, non aliud præsentius occurrit consilium, quàm vt eis ea omnia, in quibus eorum desideratur officium, ante oculos ponemus; & qua illud ratione præstare queant explicaremus. Quod vt faciant, singulos religiosos in virtute obedientiæ, quam vel in confirmatione suæ electionis, vel in consecratione sacerdotalis ordinis Romano Pontifici & Episcopo suo promiserunt, requirimus, vt hæc quæ illis ex diffinitionibus Conciliorum Romanorumque Pontificum decretis, atque Synodalibus Constitutionibus, ad eorum vtilitatem & salutem, atque Ordinis reformationem præscribimus, tanquam obedientiæ filij, prompto animo accipiant, ac tota voluntate exequi & perficere contendant.

3. In primis, ne sub nomine Prælatorum aut Præfectorum inducantur alij, quàm qui non suam, sed Domini sui vtilitatem quærunt; omniaque quæ ad Præfecti officium pertinent; fideliter præstare poterunt: quæcunque in præcedentibus in electione facienda præscripta sunt, ab omnibus religiosis, in electionibus suorum Prælatorum, quatenus eos concernunt, obseruari volumus.

4. Si qui tamen iuramentum ex religiosa consuetudine præ-

re præstare nō consueuerunt, vt quorum, EST & NON, iuramenti loco semper habitum fuit, ijs hac in parte scrupulum inijcere nolumus, neque huic priuilegio quidquā detrahere, sed quod iureiurando confirmare debuissent, conscientiæ suæ testimonio, coram Domino ac ijs qui vota excipient, & electionem confirmabunt, disertis & simplicibus verbis testabuntur.

5. Vt verò quisque liberè suffragium suum in electione proferat, & quæ ex publicis suffragijs aut votis inimicitię oriri solent caueantur, omniaque rectè ac sine vlla fraude fiant: præcipimus vt religiosorum Superiores, & officiales quicunque communibus votis eligi solent, votis secretis eligantur: ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat, Prouinciales aut Abbates, Priores aut alios quoscunque Titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces & suffragia absentium supplere.

6. Si autem contra decreti huius constitutionem actū fuerit, irrita sit electio, & is qui se ad hunc effectum promoueri permiserit, deinceps ad omnia officia, in ordine obtinenda, inhabilis existat.

7. Eligatur autem Superior aut Præfectus, qui ætate maturitatis, experientia disciplinæ, vitæ merito, doctrina sapientiæ, inter omnes excellat, etiamsi vltimus fuerit in ordine congregationis. Cuius præcedens vita persuadeat ex omnibus, neminem esse magis aptum, aut idoneum, qui vitam, mores, disciplinam, fidem, spem, & charitatē, zelum atque sollicitudinem sancti N. Patris sui, cuius vitam ac regulam sectantur, conformius exprimere, & feruenti pietate, prudentique feruore propius consectari possit. Qui cùm sit sapiens, sibi tamen non videtur sapiens, sed est humilis in oculis suis. Qui habeat discretionem spirituum, vt cuiusque vires ac talenta ponderare atque experiri nouerit; qui sit fidelis, vt det vnicuique tritici mēsuram, secundùm cuiusque capacitatem; qui nec aliquos

nimium grauet, nec alios in bonis operibus sinat esse remissos; qui alium quidem blandimentis foueat, & suasionibus trahat; alium verò increpationibus seuerioríque disciplina cogat, neminem verò aut indulgentia perdat, aut nimia seueritate sinat vel tristitia absorberi, vel ad iracundiam prouocari; sed vt est in regula Diui Benedicti, secundùm cuiusque qualitatem vel intelligentiam ita se conformet, & aptet, vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, sed in augmentatione boni gregis gaudeat.

8. Præposita vel Præfecta sanctimonialium siue Abbatissa vocetur, siue Prioriſſa, vel quolibet alio nomine, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur: ex ijs quę in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, superiore consentiente eligatur. Vt in electione huiusmodi non violetur clausura, is qui electioni præest, siue Episcopus, siue alius Superior, ante cancellorum fenestellam vota singulorum audiat vel excipiat.

9. Abbates & Abbatissæ intra mensem à die creationis suæ se benedici curent, alioquin ab administrationis officio & dignitatibus, ad quas assumpti sunt, secundùm caput decimum statutorum Henrici in Synodo Anno 1330. celebrata se nouerint esse suspensos.

Pag. 102.

10. Abbates, Priores, & quicunque alij quorumlibet monasteriorum Præfecti, non nisi intra monasteriorum septa cum fratribus habitent. Quod si euidēs monasteriorum necessitas, aut vtilitas eos à monasterijs suis aliquando abesse cogat, non diutius absint, quàm Ordinis eorum Institutor, si sub eo viuerent, illos abesse pateretur.

Adolph. in statut. anni 1549. pag. 436. c.

11. Diui-

11. Diuinis officijs si non possint semper, frequenter tamen intersint, & curæ rerum temporalium ita intendant, vt internorum curam, externorum occupatione non minuant, semper memores, quod fratribus magis disciplinæ, exempli & animarum, quàm rerum temporalium causa prælati sint.

12. Frequenter tanquã boni & solliciti patresfamilias, per monasterium obambulent, cubicula subditorum visitent, omnia opera eorum inspiciant, ac singula diligenter perlustrent; si qua re necessaria viderint eos egere, eam administrent; si aliquo superfluo abundare, illud tollant. Nec patiantur, vt aliqua fenestra pateat, per quam fur intrare posset, ad thesaurum monasticæ paupertatis, obedientiæ & castitatis &c. auferendum. Meminerintq; à D. Benedicto præscriptum, lectos ab Abbate frequenter scrutandos, propter opus peculiare ne inueniatur. Ideoque subditis suis nec cistam aut arculam, vel aliquid aliud habere patiantur, quod sera clauditur, cuius clauis in sera non relinquatur. *cap. 55. regulæ.*

DE RECIPIENDIS ET INSTRVENDIS NOuitijs, eorumq; inuestitione & professione.

13. In recipiendis nouitijs, seruetur constitutio Sixti Quinti, super modo & forma recipiendi eos, qui sub religionis iugo altissimo famulari desiderant, quæ incipit. *Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus*. Data 1587. 6. Calend. Decemb. Pontif. anno 3. quam vnà cum declaratione eius, cuius initium est, *Ad Romanum spectat Pontificem*, data 1588. 12. Calend. Nouemb. Pontific. anno 4. vnà cum earum pœnis, in his scriptis publicamus, & authoritatis robur, apud omnes obtinere volumus. Saluarelaxatione Gregorij XIV. quam pro instituto Clericorum regularium fecit.

14. Sub pœna anathematis dantibus & recipientibus, præci-

Cap. Querelam, ext. de Symonia.

præcipimus ne ante professionem, excepto victu & vestitu, nouitij vel nouitiæ, illius temporis quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eius tribuatur, cùm vt caueatur detestabilis symoniæ species, tum, ne nouitius hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè si discesserit, id recuperare possit Quin nec pro ipso victu aut vestitu nouitij aliqd ex pacto detur. Cũ enim nouitiatus res sit spiritualis, cui annexum est ius ad victum & vestitum, à symonia abesse non potest, de his pacisci, vel pro iure nouitiatus acquirendo ad victum & vestitum contribuere. Si quis autem iure nouitiatus acquisito sumptus liberaliter refundere velit, licitè id facere potest, modò nullum intercedat pactum, conuentio, spes, aut mutuus intellectus.

Conci. Colon. Prouinc. sub Henrico Anno 1310. celebratum, cap. 28. pagi. 84. et in Synodo sub eodem celebrata 1327. Dominica Inuoca. pag. 96. a. b. In sexto, titulo de statu Regulariũ, cap. Peric. etc. Hermannus 5. parte 10. ca. 12. pa. 397. in Conc. anno 1536. celebrato.

15. Vt omnis in hac parte tollatur peccandi occasio, nõ plures in posterum in monasterijs virorum aut virginũ ad professionem recipiantur, quàm qui vel ex reditibus proprijs monasteriorum, vel ex consuetis eleëmosynis commodè possint sustentari.

16. Sacra monasticæ religionis militia, magnam in milite suo requirit animi alacritatem, humilitatem, fortitudinem, patientiam, longanimitatem, & constantiam, quæ à primis huius agminis ducibus, in postulatione admissionis, per repulsam, duram responsionem & difficilem admissionem explorari: post admissionem verò iniurijs, contemptu, varijsque modis alijs, primo aspectu rectę rationi contrarijs, & sensibus odiosis probari solebat. Sciebant ènim eum qui verè sapiens esse cupit, stultum debere fieri vt sit sapiens.

17. Itaque in receptione ad religiosum suum ordinem, caueant Præfecti vt sint faciles, neminemque recipiant, nisi de quo constet, eum non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis & pietatis feruore, vitam religiosam sponte

ſponte & ex animo elegiſſe, Deumque & animæ ſuæ ſalutem purè quærere. Si quis autem hoc dicit, & aliud intendit, ſciat ſcriptum eſſe: *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Iacob.1.

18. Præterquam ſancta ac religioſa conuerſatione vitæque auſteritate, neminem inuitent, neminem trahant, & ad ingrediendum ſuum potius quàm alium Ordinem inducant, etiam ſi perſonis egeant, & nullus ſeſe offerat, qui ſe eis coniungere velit. Verus enim religionis amator & Chriſti miles, cuius magnus ad ardua eſt animus, non effœminatè & molliter, ſed viriliter excipiendus eſt, qui recuſat ſi inuitas, fugit ſi trahas, vltro ſe offert ſi non voces, rogat ſi difficultatem facias, nec modeſta recuſatione frangitur, ſed magis inardeſcit & incitatur.

19. Cautum eſſe voluit Concilium Colonienſe ſub Hermanno Quinto, Anno 1536. celebrato parte 10. cap. 3. ne liberi à parentibus inuiti in monaſterium detrudantur, quod ſtudioſius cauentes, ſtatuimus: Vt ſi puella quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quàm explorauerit Epiſcopus, vel eo abſente vel impedito eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat. Et ſi voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requiſitas, iuxta monaſterij illius & Ordinis regulam; nec non monaſterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat. Cuius profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur Præfecta monaſterij, eum ante menſem certiorē facere. Quod ſi præfecta certiorem Epiſcopum nō fecerit, quamdiu Epiſcopo videbitur ab officio ſuſpenſa ſit.

20. Anathemati itē ſubijcimus omnes & ſingulas perſonas, cuiuſcunque qualitatis vel conditionis fuerint, tā Clericos quàm Laicos, Sæculares vel Regulares, atq; etiā qualibet dignitate fungētes, ſi quomodocunq; coëgerint

aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus à iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere: quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint. Simili quoque modo Anathemati subijcimus eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia & singula, quę ante professionem vel in ipsa professione fieri oportet seruentur, non solùm in monasterijs subiectis Episcopo, sed in alijs quibuscunque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Conuertitiæ appellantur, in quibus constitutiones earum seruentur.

Conc. Tolet. 3. can. 10. ca. Puellæ 20. q. 2. c. vlt. 32. qu. 2.

Conc. Tolet. 4. cap. 54. in fine.

21. Quicunque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse religionem; aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse; aut quid simile; velitque habitum dimittere, quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm, à die professionis, & tũ non aliter nisi quas prætenderit causas, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur; sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur: Interim verò nullo priuilegio suæ religionis iuuetur.

C. Puellæ 20. q. 1. cap. cùm virum. de Regul.

Conci. Arel. 1. cap. vlt.

22. Nullus ad monasteria admittatur, nisi qui disciplinæ monasticæ capax fuerit, & ad functiones religiosi status idoneus. Nec propter parentum, aut cognatorum potentiam recipiantur, qui alioqui propter naturalem hebetudinem, aut propter distorta membra, vel aliud quodcunque vitium humiliori loco nati, recipiendi non fuis-

Conci. Arel. 2. c. 25.

sent, sed tanquam inhabiles reiecti.

23. In nouitiorum receptione, dura & difficilia quæque illis prædicantur, vt non dissoluantur animo, sed magis roborentur, & ad tentationem præparent animam suam. Atque deinceps probationis tempore, ne imprudentes voueant, aut eis minus constet, ad quid se per professionem sint obligaturi, regulæ & statutorum eis fiat lectio. Instruanturq; quo animo hoc vitæ genus ineundum sit, non vt lautè comedant, non vt otiosi vitam traducant, & si quæ sint alia, quæ carnalis homo sectatur & magni facit; sed vt abnegata propria voluntate iudicium suum, ei cui nolūt, submittere discant, & contemptis rebus omnibus, delectationibus, amore ac spe huius sæculi, toti à Deo pendeant, eique arctissimè & amantissimè coniungantur. Et ista non dicantur tantùm, sed continuis exercitijs in animum probandorum inducantur. Ac primum quidem studium sit in mortificandis membris quæ sunt super terram, & extirpatione prauarum animi cupiditatum, in domādis ac regendis animi commotionibus, in obedientia ad nutū præstanda, in ferendis æquanimiter aduersis, ac tentationibus cum longanimitate & patientia superandis. Deinde verò cognitione & amore rerum cœlestium accendantur, ex inflammentur, vt cognoscant, & sapiant, quàm suaue sit iugū Domini, vt sic instructi, non ex consuetudine, sed ex animo, & toto corde amplexentur & perficiant, quæ iuxta regulam quam elegerunt eis facienda præscribuntur. Nā alioqui si sine hoc fundamento in ceremonijs duntaxat instituantur, cùm illæ voluntatem non immutent, nec sæculi amorem ex animo extirpent, professionis suæ citò illos pœnitet; ac primùm quidem eos tædiūm, deinde religiosæ vitæ odium inuadit, quo tandem superati, aut cū graui religionis scandalo monasteria deserunt, aut in monasterijs perseuerantes, irrequieto semper spiritu, omnia inuertunt, & perturbant. Quod si verò ad præfecturā monasteriorum hos aliquando eligi contingat, vt præficiantur

Abbates vel Priores, Abbatissæ vel Prioriſſæ &c. omnium vitiorum licentiam in Monaſteria inducunt, nihilque eſt quod illis præſidentibus cuique non liceat, modò placeat.

Concil. Carthag. 4. c. 11. & dist. 23. c. sanctimonialis. sexta Synod. in Trullo celeb. c. 54.

24. Cùm non deceat quod virgines quæ mundum reliquere decreuerunt, eo ipſo die quo hoc incepturæ ſunt mundum ſectentur magis quàm antea vnquam fecerant; prout faciunt qui veſtibus pretioſis, etiam mutuo acceptis & monilibus, ad vanam oſtentationem exornatæ, die Inueſtitionis aut profeſſionis à parentibus & propinquis, cum pompa ad monaſterium deducuntur; & quia periculum eſt, ne huiuſmodi pompa virgini triſtitiam de ſancto propoſito pariat, & pœnitentiæ lachrymas excutiat: ſtatuimus vt huiuſmodi virgines valedicto parentibus, propinquis & mundo, ſe in ſilentio ad monaſteria conferant, & mundo mundum relinquant.

25. Ne inueſtito quædam apoſtaſiæ adhæreat ſuſpicio; vel illum atque cœnobium, ſiue congregationē, cui adiungi cupiebat, aliqua infamiæ, vel imprudentiæ nota commaculet, ſi illum intra probationis annum inceptum vitæ genus deſerere, vel à ſocietate, quæ eum probauerit, dimitti contigerit: volumus vt die Inueſtitionis (quemadmodum ferè vbique fieri nunc ſolet) nullum fiat conuiuium. Quod ſi parentes inueſtiti, vel qui parentum eius loco ſunt, ſine refectione prandij excludi hoc die ex cœnobio, ſine offenſione magna non poterunt; communi & quotidiano cibo reficiantur. & vt ſancta ſint omnia, & primis religionis principijs conformia, nihil ab eis eſculenti aut poculenti, pecuniæ, vel cuiuſcunque muneris, hoc nomine recipiatur.

26. Magiſter Nouitiorum vir ſit in religione expertus, & perfectus, qui nouerit probare ſpiritus, vtrum ex Deo ſint, & vniuſcuiuſque mores, affectus atque animi motus diligenter exquirere, ijſque accommodatum adhibere remedium.

27. Si pro

27. Si probationis tempore emerserit aliquod in Nouitio vitium, ob quod ad religionem inueniatur esse inhabilis, vel si ad officia humilitatis, obediētiæ, aliaque Ordinis essentialia semper recalcitret, aut non satis se accommodet; mox vbi probabilibus argumentis, hunc animæ morbum incurabilem esse constiterit, si vltro non decesserit, ex monasterio eijciatur. Ideo enim nouitio probationis tempus constituitur, vt seipsum probet & probetur, & hinc eijciendi, inde abeundi libertas sit: quam nec parentum, nec amicorum potentum voluntas, preces, aut minæ, nec alia quæuis causa coarctare debet. Salua enim diu religionis non poterit esse integritas, vbi reijciendi ineptos aut minus idoneos libertas non viguerit.

28. Si verò Nouitius ad professionem inueniatur habilis & profiteri cupiat: finito probationis anno, statim aut profiteatur aut dimittatur. *Cap. cùm causam in fine de elect.*

29. Abeuntibus autem ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod vt rectè fiat, vestimenta quibus exuuntur tempore vestitionis, in hunc casum, in vestiario reponantur conseruanda.

30. In quacunque religione tam virorum quàm mulierum, professio non fiat, ante expletum decimum sextum ætatis annum; nec ad professionem admittatur, qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitū, in probatione steterit. Professio autem ante facta sit nulla, nullamque ad quoscunque effectus inducat obligationem. *Cap. Consaldus 17. qu. 2. cap. ad Apostolicam de regulis &c. Cap. non solū eodem titulo in 6. cap. ad nost. ca. cùm virum, & c. Postulasti, eodem tit. et cap. 1. eodem tit. in 6.*

31. Nulla quoque renūciatio aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum consensu Episcopi, siue eius Vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliter sentiatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiam si cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita & nullius effectus.

2.quæst.1.c. Principatus.

32. Quoniam rarò admodum, finè terminantur bono, quæ malo inchoantur principio, & contra, vt prouerbium est, dimidium facti, qui bene cœpit habet: doceantur, & diligenter moneantur renunciaturi & renunciaturæ suis possessionibus, siue suo iuri ad eas, fundamentum structuræ, quam moliuntur, non aliud ponere, quàm quod S. Francisco diuina reuelatione manifestatum est: & firmiore sermone, à Christo Domino, cùm ambularet in terris, prædicatum, cùm dixit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quæ quidem verba vt sapienter, à summa sapientia prolata sunt; ita sapienter quoque perscrutanda, ac viriliter ipso opere perficienda sunt, ab omnibus qui ad perfectionem vitæ spiritualis aspirant: nisi in ipso limine, grauissimè offendere velint, & indignos se facere, qui pauperum religiosorum & patrimonio Christi sustententur. Vendi vult Christus quæ habentur. Vendita verò non quibusuis, sed pauperibus dari. Qua in re vt non erretur, & in paruo negotio iniquitas magna committatur, hæc obseruanda erunt.

D. Bonauen. cap.7. vitæ S. Francisci. Matth. 19. D. Aug. de opere Monachorum, cap. 16.21.25. D. Basil. lib. regularũ fusius disputatarum, interrogat. 9. D. Hieron. epi. 8. ad Demetriadem. Chrysost. hõ. 64. in Matt. Vide etiam regulam D. Hieron. per Oliuetũ collectam, ex veris eius scriptis. Aug. epi. 89. ad Hilar. Saluianum Massilien. in ope. inscript. Timotheus ad Ecclesiã Catho. lib. 3. & Reg. SS. Patrum Serapionis, Macharij ac duorum Paphnutiorum adiunctam Cassiano anno 1578. Antuerpiæ impressa.

33. Quicunque disponere voluerit de his quæ habet, eaque pauperibus distribuere; nihil cuiquam donet, nisi sentiat donandi affectum seu voluntatem, ex puro Dei † amore prouenire: nimirum vt amor Dei, purus ac sincerus, planeq; ab omni inordinato affectu circunciſus, causa sit & radix, cur huic potius donetur quàm illi, aut his potius, quàm alijs.

34. Et vt rudiores manu ducantur, ac gradibus quibusdam ad hanc voluntatis rectitudinem perueniant; docentur sentire in se, morituri hominis affectus, qui mox iusto Dei iudicio, omnes actiones, cogitationes, & secretissima quæque cordis sui consilia, ponderanda ac iudicanda sentit & expauescit. Moneanturque non aliud nunc faciendum esse, quàm quod in tali articulo

† D. Hieron. epist. 8. tom. 1. quæ est ad Demetriadem.

culo constituti, vel in die illo iudicij, faciendum iudicarent.

35. Considerent porrò, quid SS. Antonium, Basilium, Benedictum, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Franciscum facturos crederent, si in simili deliberatione versarentur. Illudque quod sacræ religionis hosce Patres facturos rectè sentiunt, sequantur.

36. Qui maturo magis ingenio & iudicio sunt; & qui alijs rectè consulere possent, si aliorum causa ageretur: perpendant quid alijs, perfectionem vitæ spiritualis, toto animo consectantibus, in simili negotio faciendum in Domino censerent, & hoc ipsum sibi quoque faciendū nunc esse, sepositio omni inordinato affectu, sciant.

37. Verùm cùm vehemens admodum sit naturalis & carnalis consanguineorum aliorumque propinquorum amor, ac facilè prætextus aliquis verisimilis suboriatur, qui persuadeat propinquis potius quàm alijs donanda esse, quæ habentur: consultissimum erit, vt hoc casu quando quis propinquis suis, tanquam pauperibus, bona sua aut eorum partem relinquendam censet, in consilium adhibeat virum vnum aut alterum spiritualem, cuius aut quorum iudicio, suum submittere iudicium sine scrupulo possit, illudque sequi, quod ille aut illi faciendum in Domino iudicabunt. Quod si in illa congregatione, cui se adiungere cupit, non sit, qui in huiusmodi dijudicandis sensus exercitatos aut spiritum Dei habeat, aliunde petatur. *D. Franciscus in regula cap. 2.*

38. Caueant religiosi tam viri quàm feminæ, ne quidquam de bonis temporalibus ingredientium concupiscant; nec verbo aut signo vllo indicent, pergratum fore sibi, si de illis, suæ potius congregationi, quàm alicui alteri benefaciant.

39. Quod si necessitas planè cogat, & charitas suadeat, vt indigentiam suam renunciaturo aperiant; possintq; hoc sine scandalo facere; faciant modestissimè & summa cum

cum moderatione: ita vt disponenti, nisi manifestissimè erraret, plenissimam disponendi libertatem relinquant. Nullo verò modo indicent, si parum aut nihil suæ congregationi dederit, ob hoc minus eum charum societati suæ futurum.

40. Cùm disponens monasterio aut congregationi, quam ingreditur aliquid de bonis suis reliquerit; vel cùm monasterium aut congregatio, nullo facto testamento, professo succesſerit, & parentes professi, aut cohæredes monasterio seu congregationi concedere hoc nolunt: Videāt monasterij aut cōgregationis Superiores, an possint, & an expediat, implorato iudicis officio, iniquos ad æquitatem compellere, an verò præstet iniuriam hanc solùm diuinæ prouidentiæ, & dispositioni commendare. Si iudicis officio vtendum censeant, moderatissimè hoc agant, per alios potius quàm per se, curentque vt pars aduersa intelligat, viros religiosos, hac actione, non tā quærere quæ sua sunt, quàm iniquitatis medelam & iniquorum salutem; eo quod sine peccato esse non possint, quandiu aliena inuito Domino retinent. Sin autem iudicauerint tempus redimendum, & à litibus ac à foro iudiciali abstinendum; vel quia religiosis, in huiusmodi ius non redditur; vel quia absque scandalo, foro iudiciali religiosi vti non possint; æquanimiter ferant hanc iniuriam: ne dum eis sacrilegi temporalia subtrahunt, eadem repetendo ipsi tempus & patientiam, quæ æternam habet remunerationem, ac bonam famam perdant. Admoneāt nihilominus eos, qui iniquitatem hanc faciunt, & testificent, quod sacrilegij scelere seipsos obstringant: vt satisfaciant præcepto Domini, qui dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum*, &c.

D. Basil. lib. regularum fusius disputatarum interrog. 9.

Matth. 18.

41. In hoc renunciationis negotio, non obscurè se prodere solet renunciantis affectus, quem studiosè obseruare debent renunciantium directores. Nam si is qui sacram profiteri cupit religionem, ea quæ habet in opulentos effundere

fundere voluerit, & hac accessione carnales ditare propinquos, ad fastum mundi, luxumque tuendum: prodit ille sanè, se de domo ac cognatione sua magis corpore egre di quàm animo: quem si sanioribus instructus consilijs, mutare noluerit; indignus censeri possit, qui ad sacram religionem admittatur; eò quod ædificare velit sine fundamento, & consilium Christi, ac doctrinam sanctorum Patrum contemnere videatur.

42. Instante iam professionis die, maiori cura Nouitius se Deo commendet, animamque suam orationibus, ieiunijs, alijsque corporis castigationibus, ad diuinæ gratiæ & misericordiæ susceptionem deuotius præparet; & si id initio receptionis ad Nouitiatum (cùm oportuisset) factum non fuerit, profuerit tum generalem totius anteactæ vitæ instituere confessionem, quò primus religionis fructus, plena & integra peccatorum omnium condonatio, plenius percipiatur.

43. Ad professionem Puellæ nisi confirmatæ, Viri nisi confirmati & tonsurati non admittantur. Studiosè enim curandum est, & ne qui omnipotenti Deo peculiariter consecrati sunt, sine hisce militiæ Christianæ Sacramentis & symbolis illi militent; & vt ne spõsa Christi, ob hæc suscipienda in publicum veniat, potiusque illam accedat Episcopus, quàm vt illa extra monasterij sui secreta vel hoc nomine prodeat. Quin verò quæ vltra professionis suæ ætatem, Episcopum cùm poterat, sacræ confirmationis gratia conuenire neglexit, iam eum, cùm ei integrum fuerit, monasterium suum visitaturum patienter expectet.

44. Cùm aliquando contingat vt probi & ingenui quidam adolescentes aut virgunculæ in parentum vel consanguineorum gratiam, quibus hoc gratum fore aduertunt, monasticam vitam amplexentur; id minimè facturi, si rectum animi & iudicij sui testimonium liberè sequerentur; ideoque non rarò post factam religionis professio

nem eos facti sui ex animo pœniteat: magnoperè curandum erit, vt ne hi de quibus huiusmodi poterit esse suspicio, tempore nouiciatus, & probationis suæ, cum parentibus aut amicis, in quorum gratiam se monasticæ vitæ daturi erant, colloquantur, aut ab ijsdem munuscula, & xenia accipiant, quibus inescentur & capiantur, quò fieret vt non tam iudicio diuinam vocationis suæ inspirationē sequerentur, quàm cœca temeritate, sine vllo vocationis suæ examine, amicis carnalibus morem gerere studerent.

Hic seruiet liber Adriani Adrianij ex societate Iesu, qui de diuinis inspirationibus inscribitur. Climacus gradu 26. Adamus Saffout in Homilia in festo Regum. Hieron. Platus, de bono statu religiosi, lib. 3. c. 36. vbi hac de re absolutè agit.

45. Vt autem vocationem suam certò cognoscant, & recto iudicio, de certo ac salutari vitæ statu, statuere possint: initio statim probationis suæ, certis regulis, præceptis, & exercitijs iuuandi ac instruendi sunt. In quo cùm à multis hactenus peccatum sit, non à religiosis solùm, sed etiam à sæcularibus, qui repentino consilio ad illum vitæ statum se applicuerunt, ad quem vehementiori animi concitatione ac violento quodam impetu sese ferri sentiebant; non mirum si multi experiantur, quod * hæreditas, ad quam tantopere festinabant in initio, in nouissimo benedictione careat.

Prou. 20.

46. Reuocetur in vsum laudabilis illa, olim studiosissimè obseruata consuetudo, vt nouitij nunquam alicui, ne parentibus quidem loquantur, nisi præsente eorum magistro. Nec professi idem faciant, nisi præsente aliquo fratre quem vereantur. Hoc ipsum si ipsi quoque præfecti obseruarent, quando cum fœminis colloquuntur, & monialium præfectæ, quando cum viris, aut adolescentibus; multas euaderent detractiones, & turpes humanæ infirmitatis suspiciones, à quibus se alioqui difficulter tutari possunt.

47. Die professionum, primitiarum, si instituendum fuerit conuiuium, non inuitentur alij, quàm qui vel sanguine, vel alio necessitudinis vinculo, coniuncti sunt, quique sine aperta ingratitudinis nota, non inuitari non possunt, & excludantur omnes illi, qui duntaxat ob spem oblatio-

lationis, aut munusculi offerendi inuitari solent, sintque frugalia omnia, ac ita reficiantur corpora, vt detrimẽtum inde non sentiat anima. Procul hinc arceantur omnes exquisitæ, & ad ostentationem vel lautitiam præparatæ dapes. Absint aurea, & argentea vasa & pocula. Nulla admittatur instrumentalis aut vocalis musica, nullæ ducantur choreæ, neque vlli in orbem coniunctis manibus ducti circuitus; sed spiritualis sit lætitia, & in Deo diuinisque colloquijs recreatio. Ipse autem professus, professa vel Sacerdos, hunc diem ita colat, eaque deuotione transigat, vt sit illi fœlicissimum principium beatissimæ consummationis, & religiosum totius vitæ suæ specimen; vt si se verum religiosum esse aut sacerdotem profiteatur; id tunc eiusmodi argumẽtis declaret, quibus se quotidie professionis suæ facturum esse fructus vberiores sperare omnes cogat. Quare si se fugam inire sæculi, si voluptates carnis, regnum mundi & omnem ornatum eius contemnere; si paupertatem Christi sectari; si necessarijs dũtaxat contentum viuere; solique Deo placere, seruire & sacrificare se profiteatur; id omnino eiusmodi initijs tunc faciat, quę cum perpetuò id facturum esse polliceantur; & tantùm se ab hominum consuetudine ostendat esse segregatum, quantum status & ministerium eius, non tam humanæ consuetudini, quàm angelicæ puritati debet esse coniunctior.

48. Idcirco quæ tempore probationis seu nouitiatus, magna cura & sollicitudine comparata sunt, quando religiosi, ceu in simulacro pugnæ didicerunt, quod in vero certamine præstare debent, ea toto vitæ suæ decursu, tanta maiori sollicitudine, diligentia & perfectione obseruent, quanto decet exercitatum militem tyrone, in ipsa pugna, quàm in pugnæ simulachro esse cautiorem.

DE HIS QVAE AD SVBSTANTIAM *monasticæ religionis pertinent.*

49. In primis quæ ad regularis vitæ substantiam pertinent, & quæ bases sunt, ac regularis disciplinæ fundamenta, quę Superiores nec in visitatione, nec in Capitulis tam generalibus, quàm prouincialibus relaxare possunt; omni cura ac diligentia obseruentur. Cuiusmodi sunt obedientiæ, paupertatis & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectiuè essentiam, nec non ad communem vitam victum & vestitum conseruanda pertinentia.

50. Quæ autem sint cuiuis Ordini propria ac peculiaria vota, singuli ex prima Ordinis sui institutione, regula ac statutis cognoscant; ac primæ suæ origini sese conforment.

DE OBEDIENTIA.

51. Magnum ad omne virtutum genus auxilium, ac facillimum tutissimumque compendium est obedientia, viro omni virtutum genere perfecto præstita. Hoc nobile talentum ad vsuram Domini sui, quisque religiosus Superiori suo, tanquam numulario credidit, paratus ad imperium voluntatem & arbitrium eius facere, atque perficere ex animo, iuxta prescriptionem regulę quā elegit, quod aliàs minimè facturus fuisset; ad quod si paratus non sit, non puri auri, vel non iusti ponderis, sed adulterinam ac pondere sanctuarij leuiorem pecuniam obtulit, volens videri esse quod non est, cuius pars erit cum hypocritis, in stagno ignis & sulphuris.

52. Hanc infiniti ac inæstimabilis valoris pecuniam, cuius vsura vsuram parit, nequaquam ad suam damnationem, & donantis damnum ac iniuriam, in sudario componant, ac in terram fodiant, qui eam ad vsuram faciendam acceperunt; sed ponant ad mensam, & quotidie in ea negocientur, vt qui eam obtulerunt, vnius huius virtutis precio,

precio, hîc centuplum accipiant, omniumque virtutum perfectionem acquirant; & post hanc vitam, vitam possideant æternam.

53. Maximè verò nouitij probationis suæ tempore, hac in virtute ita exerceantur, vt eis reliquo vitæ decursu in omnibus, & frenum & calcar sit, nulloq; vel adincitādum, vel ad cohibendum aut dirigendum eos alio opus sit instrumento.

DE CASTITATE.

55. Castitas facultatem præbet Dominū obseruandi, & animum à carnis voluptatibus continet, vt sese liber Deo effundat. Huius itaque virtutis religioso diligentissima habenda est cura: ea autem habebitur, si occasiones omnes quæ ad castitatis ducunt naufragium cautè vitentur, & contra studiosè obseruentur quę ad eius tutelam faciunt. Quò spectant pleraque monasticæ religionis instituta: vt sunt iugis sobrietas, crebra ieiunia, vigiliæ quotidianæ, stratum durum, asperitas cultus, religiosum silentium, sacra lectio, sancta meditatio, orationis frequentia, corporalis exercitatio, corporisq; defatigatio, fuga ocij, prohibitio ab aspectu, colloquijs, consuetudinibus, familiaritatibus, commoditate & facultate: quæ quidem facultas, non tantùm solemni castitatis voto, conceptis verbis, in religionis professione, & à quibusdam quoque ex sacri Ordinis susceptione, ex Canonicis institutis, repulsa & repudiata est; sed regulari insuper disciplina, iugiter repellitur & excluditur.

56. Quod si quis non obstantibus his omnibus nec peccati turpitudine, nec voti religione, neque religionis reuerentia non potuerit cohiberi, quin præstitam Deo fidem faciat irritam, ac sibi quidem fœdam ac perpetuam sacrilegij notam inurat, Ordini verò suo turpē incontinentiæ labē aspergat; hunc ad vindictam criminis, & aliorum terrorem, tāto seuerius ab Ordinum Superioribus volumus

puniri, quanto tot modis adiutus, difficilius quod fecerit, perpetrare potuerit.

57. Quare pœnas ab Archiepiscopis huius Diœcesis, cõtra hoc sacrilegij crimen olim decretas, innouantes, religiosos huius criminis conuictos, cum Conrado Archiepiscopo in statuto Anni 1260. cap. 4. pag. 16. grauioris culpæ pœna, secundùm statuta ac regulam quam profitentur censemus esse puniendos.

58. Sanctimonialis autem, maximè quæ monasterium exierit, iuxta caput sextum Concilij, habiti Anno 1225. sub Conrado Cardinali Portuensi, legato Apostolico pa. 6. & cap. 17. statutorum Henrici, Anno 1307. æditorum, pa. 73. præter pœnam carceris, vbi per abstinentiam cibi & potus, aliasque corporis castigationes, pro discretione Abbatissæ, Priorissæ, Magistræ, &c. punienda est; vlterius ad officium aliquod in monasterio non admittatur, sed in signũ iniquitatis suæ, sine velo incedat, ac vltima tam in claustro maneat, quàm in choro; nec non omni voce, in Capitulo, in tractatib⁹ ac electionibus quibuscunq; , sit penitus destituta; donec ad laudabilẽ suam cõuersationẽ, ac testimoniũ, & intercessionẽ totius monasterij sui, à suo Episcopo ad præmissa, vel ex parte vel ex toto restitui mereatur.

59. Quicunque verò pudicitiam sanctimonialium, cuiuscunque Ordinis, ausu sacrilego sollicitare ausus fuerit; ab officio si Clericus fuerit, si Laic⁹ à perceptione corporis Domini, eodem decreto dicti Concilij sub Conrado Cardinali Portuensi celebrati, nouerit se esse suspensum.

60. Si quis autem sanctimoniales aut violauerit, aut extra monasterium eduxerit, aut cum multorum scandalo diu publicè detinuerit, aut sic detentas precibus vel minis, atque violentia, monasterijs vnde eductæ erant restituerit, ipso facto sentẽtia excõmunicationis ab Henrico lata, c. 7. statut. Anni 1307. p. 73. sese tam diu innodatum agnoscat, donec Deo de peccatis, Ordinario & Monasterio, de injuria ac vituperio, ad plenum satisfecerit, ac veniam

& ab-

& absolutionis beneficiũ ab eodẽ Ordinario obtinuerit.

DE RELIGIOSA PAVPERTATE.

61. Quemadmodum castitas à carnali voluptate possessorem suum liberat, & ab impuri amoris visco absoluit: ita religiosa paupertas, quæ propter Christum suscipitur, si voluntaria fuerit, à rebus terrenis omnem effectum atque amorem abscindit, & à spinosæ sollicitudinis cogitatione, quæ ist hinc oriri solet, animum prorsus liberum ac quietum facit. Vt autem voluntaria sit, non sufficit quod quis sponte & non coactus paupertatis votum emiserit, & quamdiu ei omnia quæ sunt necessaria subministrantur, sine murmure viuit; sed & voluntaria debet esse ipsa penuria, voluntariæ quoque quæ ex penuria sequuntur, molestiæ & incommoda. Paupertatis enim amator (vt ait quidam) ideo ad paupertatem sua sponte descendit, ne eum imparatum fortuna deprehendat, telaque fortunæ ante præoccupat, quàm in ea cadat.

D. Thomas 2. 2. qu. 96. art. 3. et par. 3. qu. 40. art. 3. ac ibidem Caietanus.

62. In hac itaque virtute sic exercendus est religiosus, vt possit dicere cum Apostolo: *Ego didici in quibus sum sufficiens esse: scio enim humiliari, scio & abundare (vbique & in omnibus instítutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat*; vt si quando necessitas illa veniat, vt nec habeat quod manducet, nec quo operiatur, & si quid aliud, quod ad vitæ humanæ sustentationem necessarium est, desideret; non frangatur animo, & non tantùm ad iniquitatem manus non extendat suas; sed nec cogitatione quidem peregrinum à sancto proposito, quidquam patiatur; ac fide, spe, & charitate, eò magis in Deum conualescat, quo ab omni humana ope, & consolatione magis derelictus apparet.

Phil. 4.

63. Ab omnibus igitur rebus ablactandus est religiosi viri animus, & non tantum superfluum quicquam cui inhæreat, aut quod ei adhæreat, ei non est permittendũ; sed & solis necessarijs ita sustentandus est, vt in eorum vsu liber & non seruus sit; hoc est vt per gustum & amorẽ cœlestium

stium bonorum, ita ei terrena omnia desipiant, vt graue ei sit ac molestum etiam necessarijs vti, & ingemiscat se huic necessitati, vt cum remissione animi satisfaciat necessitati corporis, per peccatum esse subiectum, malitque etiam necessarijs non vti, si naturæ conditio pateretur; & non tantùm patienti, sed & hilari ac constanti animo, eisdem etiam prorsus carere paratus sit, si hanc necessitatem, ad probandum militem suum incomprehensibilis Dei prouidentia induxerit.

64. Quare longè à religiosæ paupertatis scopo illi aberrant religiosi, qui voluntariam paupertatem, in nuda paupertatis professione constituunt, ex qua plus maledictionis, quàm benedictionis eos manet.

65. Procul & illi à voluntaria paupertate absunt, qui vt in lectulo ægritudinis suæ non egeant, & penuriam aliaque paupertatis incommoda non sentiant, pecuniam corradunt atque seponunt, vel redditus vitales aut perpetuos habeant, vnde tempore ægritudinis & necessitatis suæ consolationem habeant, & se à molestijs paupertatis tueantur atque defendant. Quorum temeritas eò subinde proserpit, vt de bonis & pecunijs quas relinquunt, testamento disponant, ac amicos legato honorent. Vbi grauiter accusandi veniunt quidam religiosorum Prælati, aut superiores, quorum facilitate & permissu ista perpetrantur, imò quorum immisericordia huic irreligiosæ sollicitudini, & nefarijs ausibus occasionem dedit, & ianuam aperuit; vt qui famulos Dei, qui omnia propter Christum dereliquerunt, dum ægrotabant ita dereliquisse visi sunt, ac si eorum curatum ad eos non pertineret. Qua in re magnam amoris ac charitatis suæ penuriam manifestauerunt, quæ tunc maximè viscera sua aperire solet, & ostendere, etiam si res sit angusta domi, quàm ipsa vt iuuet fratrem suum non angustietur.

67. Quæ vt in posterum caueantur: Monemus Prælatos ac superiores omnes, vt fratrum suorum necessitatibus

bus sollicitè succurrant; & in ægritudine eorum hoc eis præstent, quod sibi præstari vellent; ne incidant in terribilem illam Apostoli sententiam: *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5.

68. Religiosi verò qui testamentum condiderunt, tanquam rei criminis proprietatis, Ecclesiastica careant sepultura, & bona de quibus testati sunt, secundùm ordinationem Theodorici, pag. 263. §. 62. Arbitrio Episcopi subiaceant.

69. Proprietarij similiter censeantur, & contra vitam communem agere omnes religiosi, qui in proprios ac peculiares vsus, reditum aliquem sibi aut emunt aut emptum retinent.

DE VITA COMMVNI.

70. Quod verò ad communem vitam, victum atque vestitum attinet, magnam passim deformitatem, diuersæ consuetudines dictis votis contrariæ, in monasteria induxerunt, quæ proprietati, totius religionis pernitiosæ pesti, occasionem & fomenta subministrant; paupertatis thesaurum expoliant; spem in Deum minuunt; anxiam sollicitudinem & affectum ad res temporales inducunt; institutionem Patrum eneruant; atque fraternam charitatem animorumque vnionem tollunt. Quamobrem Prælatis omnibus vtriusque sexus seuerè præcipimus, vt omnibus & singulis subditis suis, victum non in pecunia, vel priuatim in cubiculis, nisi Carthusianis, & si qui fortè sunt, qui ex suo instituto solitarij reficiuntur; sed communiter in communi refectorio administrent, nullique permittant, vt quicquam esculenti aut poculenti ad cubiculum suum deferat, aut portio vini quæ in refectorio propinanda fuisset, pecunia redimatur, vel extra refectorium bibenda seruetur. *Conra. instat. an. 1260 c. 15. p. 16. d. Sifrid. in generali Synodo cap. 3. pag. 37. a.*

71. Ipsi quoque Prælati & Præfecti, nisi per occupatio-

nes legitimas, aut hospitum multitudinem penitus impediãtur, in communi refectorio corpore reficiantur. Cùm autem propter aduentantes hospites separatim comedere cogentur, vt hospites ædificentur, & cognoscant monasteria scholas esse, in quibus mortificationi carnis studetur, non voluntati, eosdem studeant in mensa sua habere cibos, quos habet conuentus.

72. Vestitum singuli ex communi vestiario accipiant, minimè verò pro eo singulis religiosis pecunia assignetur, aut in hunc finem, vt seipsos vestiant, vel ex celebratione missarum, vel aliàs labore, industria, aut amicorum liberalitate, pecuniam comparare, aut sicut paulo antè dictum est, pensiones vitales, redditus perpetuos recipere, aut bonorum aliquorum vsum fructum habere permittantur. Præterquam enim quod hæc ad peculiaritatem pertinent, cum qua, teste D. Gregorio, nec concordia, nec charitas in congregatione potest permanere; faciunt etiã ad studium vanum, inutile, & pernitiosum vestibus placendi hominibus; ita vt in vno eodemque monasterio alius alio pretiosius, & sæpe alia vestium forma vestiatur; sic vt quiuis è sæculo quamuis honoratus, vt ait D. Bernardus, non illa horreat vestimenta, si suo modo præparata fuerint. Qua in re quidam superiores qui hæc corrigere deberent, dum magis student vestibus populo placere quàm moribus, pessimo exemplo grauissimè delinquunt.

Epist. 21. li. 10. indict. 5. c. 22.

In Apologia ad Vilhelmum Abbatem, paulo antè finem.

73. Quæ vt corrigantur, pari ratione, omnium monasteriorum vtriusque sexus Superioribus mandamus; vt quò sunt gradu altiore præ subditis constituti; eò humilitate in vestibus & moribus sint magis cõspicui; subditosq; suos etiam hîc præcedant, ac viam monstrent, qua eos sequi volunt. Sit itaque omnium habitus vniformis, non illorum tantùm qui vnius monasterij sunt, verùm etiam omnium qui sunt vnius Ordinis, præcipuè in eadem prouincia habitantium; vt sicuti habitus est vnus, mensa vna, regula vna, vnusque viuendi modus; ita intelligant,

cor

cor omnibus debere esse vnum, animam vnam, conspirationem vnam ad regnum Dei consequendum. Materia verò vestis ac forma talis omnino sit, qua admoneantur mundo esse crucifixi & ipsis mundus.

74. Similiter in alijs omnibus necessarijs ex communi ærario, non ex peculiaribus cuiusque depositis, pro monasterij facultatibus, non in pecunia, sed in specie rerum, cuique quod opus habet, benignè ac paterna sollicitudine Præfecti subministrent: Neque vllo modo præbeant ansam vt aliqua ratione contra votam Deo paupertatem ac vitam communem aliquid agatur, & spes magis in humana cuiuslibet industria, quàm in Deo & paupertatis merito collocetur.

75. Ideoque curam in hoc omnem ponant, ne quod hactenus passim in multis monasterijs factum est, aliquis sibi aliquid operetur; sed vt præscribit in Regula sua D. Augustinus, omnia opera sua in vnum faciant, maiori studio & alacritate, quàm si sibi singula facerent propria. Ac proinde omnis pecunia vel res, quam monachus vel monialis, siue labore, siue industria, siue amicorum liberalitate, seu denique qualibet alia occasione acquirere potest; Superiori mox tradatur, in commune ærarium, vel commune vestiarium, vel aliàs in communes vsus reponenda, & ad nutum Superioris tanquam res, non quidem vni peculiaris, sed omnibus ex æquo communis, administranda; ne cõtingat in monasterijs illa peruersitas, vt qui diuites & liberales habet in sæculo consanguineos, etiam superfluis quibusque abundet, & alius frater necessarijs destituatur.

76. Quare si quis suis filijs, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, aliquam contulerit vestem, aut aliquid aliud inter necessaria deputandum, quod sit precioſius aut notabilius, quàm vt in communes vsus redigi posset, ne hinc murmura oriantur, aut alius ab alijs, in aliquibus deformis existat: illud vẽdatur, ita vt si vestis, vel pannus,

vel quæcunque res alia esse communis non poterat, eius pretium commune fiat. Exemplo D. Augustini, qui oblatum sibi preciosum Birrum putauit esse vendendum, dicens: *Forsitan (*eo vti*) decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum.*

De communi vita Clericorum serm. 2.

77. Porrò cùm non possit quisquam proprietatis deponere affectum, quamdiu ea habere permittitur, quæ ab eo cum proprietatis affectu possidentur, auferantur ea omnia quæ cum tali affectu possideri deprehenduntur. Sunt alij qui habent cochlearia, auriscalpia, dentiscalpia, alia que instrumenta argentea; alij qui cultros habent elegantius elaboratos, alij qui libros, nonnulli qui sudariola acu picta, vestes pretiosas, & si quæ sint alia, quæ non sine murmure resignare vellent; quæ cùm non fuissent religiosis permissa à primis Ordinum initiatoribus, & quia etiã erga res minimas potest esse inordinatissimus affectus, qui sit peccatum mortale; nec nunc religiosis à Superioribus permittẽda sunt: qui ad hoc à Deo constituti sunt, vt subditos suos in votis & sancto proposito iuuent, non solùm vitæ exemplo, instructione, consolatione & correptione; ad quod etiã quiuis Christianus pro donationis suæ mensura, ex charitatis tenetur officio; sed etiam auctoritatis imperio & coactione. Qua in re si qui negligentes fuerint, ij non modò innocentes non sunt, sed & in seipsos & in subditos suos, quibus exemplo Heli parcunt, crudeles existunt. Si qui igitur sint qui virtutis non ducuntur amore, & tanquam liberi sub gratia constituti, voluntariæ paupertatis exercitium ex animo non amplectantur; eos Præfecti formidine pœnæ in officio cõtineant; vt vexatio det intellectũ, & timor paulatim charitatem inducat. In quẽ finem innouandos duximus hos decretales.

1. Reg. 2. & 3. cap.

78. *Qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris, & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam. Quod etiam de vni-*

Li. 3. decret. tit. de statu monach. cap. Monachi.

de vniuersis religiosis præcipimus obseruari. Abbas autem qui ista diligenter non cauerit, officij sui iacturam se nouerit incursurum.

79. *Prohibemus districtè, in virtute obedientiæ, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprij, totum in cõtinenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam deprehensus fuerit habere, regulari monitione præmissa* (vel carcere, quod addimus, puniatur, vel) *de monasterio expellatur, nec recipiatur vlterius*, nisi pęniteat secũdùm monasticam disciplinã. *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis, extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quod B. Gregorius in Dialogo narrat se fecisse.*

Ibid. cap. 8. ad monast.

80. *Statuimus quod Abbates* (addimus Priores, & quicunque religiosorum Superiores) *excommunicationis sententiã semel in anno, sabbatho proximo, ante Dominicam Lætare, solenniter in Capitulo publicent. Et si post aliquis inuentus fuerit habere proprium, secundùm regulam puniatur.*

Conrad. Archiep. in statut. an. 1260. c. 12. pag. 16.

81. *Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, vt* (religiosi) *propria non habeant nec pecuniam, nisi cui hoc committitur ratione officij, vel administrationis sibi commissæ per Abbatem.*

Sifrid. in statut. ca. 3. pa. 73. & Cardinal. Cusanus in Constitut. data ann. 1452. p. 146.

DE CLAVSVRA.

82. Clausura à Patribus, & primis monasticæ religionis authoribus inuenta & vsurpata est, vt religiosi etiam in Ciuitatibus, & populorum frequentia, solitudinis & deserti commoda haberent, vt dum nec ipsi ad homines sæculares prodeunt, nec hos sese frequentare permittunt, atque ipsi in cœnobio statis horis & locis silentium seruãt, libera & quieta mentis vnione, sine animi distractionibus Deo iungantur, ac sine vllo impedimento contemplationibus vacent.

83. Cæterùm & in egrediendo, vel ad inuisendum amicos,

cos, vel ad videndum spectacula, aut discurrendum per plateas, & in admittendis ad interiora claustri quibusuis extraneis, & in inutilibus, frequentioribusque confabulationibus, cum fratribus, tanta libertate à multis religiosis peccatum esse comperimus, quasi clausura aut silentium nulla ratione ad eos pertinerent, & quæ super his in diuersis Concilijs statuta sunt, eos non obligarent.

84. Obtinuit apud quosdam consuetudo, vt religiosi vicissim ex ordine singulis annis animi duntaxat gratia, aliquò proficiscantur, vt tantisper dum extra monasterium sunt, animum à rigore disciplinæ relaxent. Cuius profectionis spe, quidam sibi vestes sæculares, gladium, & arma alia comparârunt, ac comparant, eademque cum proprietatis affectu seruant, vt instructi ceu milites aut mercatores iter aggrediantur. Quæ quidem paupertatis voto, & internæ paci ac tranquillitati non tantùm officiunt, sed prorsus contraria sunt, & animi vigorem, qui multo tempore, magnoque studio ac labore comparatus erat, breuis hora perdit; nec fieri potest, vt vitæ spiritualis aliquis in ijs succrescat profectus, quibus ista permittuntur. Neque enim potest in eis robur aliquod spiritus inualescere, quamdiu tanto studio, sollicitudine & desiderio prosequuntur ea, quæ suæ vocationi officiunt, & contraria sunt, & affectus à rebus infimis non absoluitur: sed contra in ijs magna deprehenditur animorum dissolutio, vt nec arrideat eis nec lubeat, quod in monasterio proficere cupientibus, toto corde amplexandum erat. Videre est eos in disciplina morum dissolutos, in conuersatione vanos & mundanos, in cæremonijs negligentes, in orationibus frigidos, in sacris meditationibus prorsus rudes & ignaros, ac in transgressione votorum sacrilegos.

85. Præterea honesta videtur nonnullis religiosis egrediendi causa, & foris prādendi, imò ad multa miliaria proficiscendi; si aliquis consanguineorum, affinium, vel amicorum, Martinalia, Regalia, Bacchanalia, nuptias, aut diē dedi-

dedicationis templi, vel Baptizati infantis, iucundo in vini potationibus conuiuio celebret. Atque vt ne desit affinitatis necessitudo, qua alijs deuinciātur; paruulos in Baptismo suscipiunt, & ad sacramentum Confirmationis, aut per se aut per alios Episcopo sistunt. Adhæc quo latius sese diffundat necessitudinis vinculum, adoptant sibi virgines, vel in monasterijs vel extra monasteria degentes, in sorores spirituales, vicissimque ab eis adoptantur in fratres. Denique alij aliena negotia suscipiunt curanda, rebusque se immiscent, quibus ne miscerentur, religiosi esse voluerunt. Sic videlicet non deest ipsis crebra exeundi occasio, vel quia cogunt eos amicorum, quæ receperunt curanda negotia, vel quia ab amicis inuitati sunt, vel quia ad alendum fouendumque amorem, amicos inuisere, eisque vinum propinare, humanitatis ratio postulat.

86. In quibusdam quoque virginum monasterijs hanc egrediendi monasteria licentiam sibi virgines quædam vsurpant, vt vicissim quotannis, aut tertio quolibet anno monasterium suum exeuntes, in habitu sæculari apud parentes & propinquos, per quatuordecim aut plures dies conuersentur. Quas parentes & propinqui, vt gratas sibi esse significent, vicissim & per ordinem conuiuio excipiunt. Illæ verò vt ad monasterium redeuntes pristinum habitum rursum induant, distractionem tamen animi & vanitatem sęculi, quam hauserunt, non tam facilè, quàm sæculares vestes deponunt. Quod ipsum etiam nonnullæ earum vehementer dolent & ingemiscunt, hancque egrediendi libertatem sibi præcisam & ademptam iri desiderantes, ea tamen pro inueterata consuetudine vti seu abuti coguntur, ne ab alijs sororibus, quæ aliter sapiunt, tanquam superstitiosæ & honestæ libertatis derogatrices odio habeantur, & patiantur persecutionem. Contra hos itaque abusus innouamus Patrum decreta.

87. Concilium prouinciale sub Hermanno Quinto, Anno 1536. celebratum cap. 15. parte 10. pag. 397. voluit, vt libertas

bertas illa peregrinandi, seu exeundi prætextu inuisendi parentes, aut amicos, aut moderaretur, aut penitus tolleretur. Quæ cùm moderata non sit, sed potius innouata & aucta, cumque tutius sit, longeque facilius ea sublata in monasterio cum animi tranquillitate, in ingi securæ mẽtis conuiuio Deo seruire, ac vocationi suæ satisfacere, quàm ea permissa non excedere: Nos eam tollimus, & hac Constitutione nostra interdicimus. Volumusque vt post hac religiosi, cuiuscunque Ordinis sint, huiusmodi peregrinationes non faciant, neque ad nuptias aliaq; prædicta aut similia conuiuia accedant.

Conc. Antisiodoren. c. 24. Conc. prouin. sub. Adol. 3. cap. Quamuis, in censuris & decretis p. 449. d.

89. Statuimus præterea cum Sifrido & Nicolao Cusano, vt nullus monachus, etiam si sit monasterij officialis vel monialis Exitrix, claustrum suum exeat, nisi ex causa iusta & vrgente, ac non nisi cum speciali Prælati sui vel Prælatæ licentia, quam concedi nolumus, nisi monasterij vtilitas, vel causa sufficiens, quæ sine incommodo negligi non potest, requirat. Sed nec ante *Primam*, nec post *Completorium* quisquam monasterium exire permittatur, nisi causæ necessitas dilationem non patiatur.

90. Quando aliqui ex religiosis extra prouinciam proficisci coguntur, vel in eadem prouincia ad ignotos diuerti contingat, seruetur Constitutio Sixti Quinti superius publicata, & à nemine recipiantur, nisi litteras obediẽtiæ, aut expressam licentiam Superioris sui in scriptis exhibeant.

91. Quam Constitutionem etiam à quibuscunque sanctimonialibus volumus obseruari: quę præter litteras Superioris sui monasterij, aut si illa obierit vel ab Ordine defecerit, sui Generalis aut Prouincialis, vel Visitatoris, etiam Ordinarij, cui monasterium vnde exierunt subest, permissionem in scriptis habere teneantur. Cùm vt Superiores vel hac occasione, eam quam ouibus suis debent curam ac sollicitudinem impendant, nec eas sinant, quocunque eis libet errare, tum vt ne Apostatæ & inobedientes la-

tes latere possint, & à disciplina patris aut matris suæ se subducere.

92. Porrò ne propter affinitatem spiritualem vel propter necessitudinem ex adoptione fictitia coalescentem, aliqua ex parte monasticæ quieti & solitudini, aliquid distractionis adferatur; iuxta Constitutionem Concilij Prouincialis, anno 1549. sub Adolpho 3. celebratum, pag. 449. sub pœna grauioris culpæ à Superioribus in contraueniẽtes infligenda, vtriusque sexus religiosis, tam Superioribus & Prelatis quàm subditis prohibemus, ne paruulos in Baptismo per se aut per alios suscipiant, vel baptizatos ad Confirmationem Episcopo sistant, vel aliàs, adoptione quauis, necessitudinis aliquod vinculum ineant. Si quod autem huiusmodi vinculum initum fuerit, illud per obedientiæ vinculum, quam hisce Constitutionibus debent, non tam solui quàm rescindi volumus.

Conc. Artisiodoren. c. 25.

93. Contra eos verò qui aliorum negotia curanda suscipiunt, seque vbi non est necessitas, curis immiscent alienis; iam olim à Friderico & VVilhelmo, grauissima pœna prolata fuit, quam nos pro modo culpę moderandam vel augendam Superiorum iudicio relinquimus; sic tamen vt conniuentia vel indulgentia non peccent, nec ipsi in ijs quæ corrigere deberent culpabiles inueniantur, si Dei omnipotentis ac nostram indignationem euaderevelint, & vltionem effugere.

Frideric. in statut. anni 1371. postridie Remigij editis, ca. 6. pag. 190. VVilhel. in statut. anni 1357. vlt. Septemb. edito cap. 25. pag. 174. a. b. C Quanto de offi Ordinar. Clem. ne in agro. § quia verò de statu Monach.

94. Ne quis Regularis ratione obsequij, quo se prætextu prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pij operis subiecit, aut subijcere posset alicui Prælato, Principi, Vniuersitati, aut Communitati, vel alteri cuicunque personæ, seu loco, eundi vel manendi extra monasterium, aliquam habere occasionem possit: Prohibemus, ne quis se huiusmodi obsequio subijciat, sine sui Superioris licẽtia; neque ei aliquod priuilegium, aut facultas ab alijs super ijs obtenta suffragetur. Quod si contra fecerit, tãquam inobediens arbitrio Superioris puniatur.

95. De Monialibus verò in ſtatutis Henrici Anni 1310. cap. 28. pag. 84. præſcriptum eſt, vt moniales in ſuis monaſterijs ſub perpetua clauſura maneant, & publicata Conſtitut. Bonifacij Octaui de ſtatu regularium cap. *Periculoſo & deteſtabili*, qua præſcribitur vt nulli monialium tacitè vel expreſsè profeſſæ, cuiuſcunque religionis ſint vel ordinis, in quibuſlibet mundi partibus exiſtentibus, ſit vel eſſe valeat, quacunque ratione vel cauſa, monaſteria ipſa egrediendi facultas; niſi fortè tali & tanto morbo euidenter aliquam laborare conſtaret, quod nō poſſet cum alijs; abſque graui periculo vel ſcandalo commorari: nulliq; perſonæ ingreſſus vel acceſſus pateat ad eaſdem, niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, & ad illius, ad quem pertinet, ſpeciali licentia.

96. Idē Henricus in ſtatutis, quæ anno 1327. poſtridie Remigij ædita ſunt, pa. 98. b. eadem innouans & confirmans, inhibuit ne moniales, extra monaſterium vagantes, ad diuina admittantur; niſi ex rationabili & manifeſta cauſa, & de illius, ad quem pertinuit, licentia ſpeciali exirent, & de hoc diuina celebrantibus, & eas hoſpitio excipientibus, prius ſufficiens fides fiat. Aliàs ſcienter eis præſentibus diuina celebrare præſumentem, ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & eas ſic diuagantes, hoſpitio recipientem excommunicationis ſententiam incurrere declarat.

97. Quibus inhærentes pro maiori monialium cuſtodia iuxta Conſtitutionem Pij Quinti Anno 1569. 9. Calen. Februarij, Pontificatus eius anno quinto æditam, cuius initium eſt, *Decori & honeſtati:* Ordinamus & ſancimus, nulli monialium de cætero, etiam infirmitatis prætextu, ſeu aliorum monaſteriorum, etiam eis ſubiectorum, aut domorum, parentum, aliorumue conſanguineorum viſitandorum, aliaue occaſione, niſi ex cauſa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ, quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura

Mona-

Monasteriorum imcumbet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinariũ, etiamsi monasteria ab Episcoporũ & Ordinariorũ iurisdictione exempta esse reperiãtur, cognita & expressè in scriptis approbata sit, à Monasterijs suis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licere. Aliter autem quàm vt præfertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas aut sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas vel extraneas, excommunicationis latæ sententiæ vinculo, statim eo ipso absque alia declaratione subiacere, à quo præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant. Et insuper tam egressas quàm præsidentes, & alios Superiores prædictos, eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs & administrationibus, per eas, & eos tunc obtentis, priuamus, & illas & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinẽda inhabiles decernimus, & reliqua quæ in eadem Constitutione sequuntur inuiolabilem apud omnes authoritatem obtinere volumus.

98. Cæterùm cùm viris religiosis non desint occasiones, quibus vel propter Monasterij vtilitatem, vel aliam necessitatem, non rarò Monasterium egredi coguntur: cauendum quoque erit, ne ea occasione aliò digrediantur, quàm quò eos necessitas ire coegerit, neque aliter sese in plateis gerant, quàm vitam monasticam decet.

99. Itaque siue egrediendum fuerit ad diuina mysteria, siue ad prædicandum verbum Dei, siue ad audiendas confessiones: præscribatur illis hora ante quam domum redijsse debeant, & Superiori suo à reditu se præsentasse. Habeatur præterea à religiosorum Superiore delectus, vt non alios ad huiusmodi functiones emittat, quàm qui ea, quæ præscripta sunt religiosè sunt obseruaturi.

100. Si eos foris prandere monasterij vtilitas aut aliqua necessitas aliquando coëgerit, quod etiã in exequijs paren- *Pa.17. c.26. ibid.cap.17.*

tum, fratrum & sororum eis à Conrado permissum esse legimus, nunquam tamen tam diu mensæ assideant, vt decantandis vespertinis precibus interesse omittant. Si qui non obtenta facultate hoc neglexerint, his postmodum nunquam foris prandendi detur facultas, aut saltem non primis duobus aut tribus proximè subsequentibus annis, vt hac animaduersione discant, vocationis ac honoris sui habere rationem, & conuiuia cùm adlubescunt incidere.

101. Cùm in ista egrediendi & foris prandendi libertate, quę hactenus religiosis multis irreligiosè vsurpata fuit, frequēter conuiuatoribus, causa eos inuitādi, religiosorū liberalitas fuerit; vt quorum aliqui nunquam ferè ad prādium amicorum comparerent, quin liberaliter conuiuatoribus vinum propinarent, vel alia aliqua dona offerrent; ideoq; conuiuatores potius religiosorum dona quā eorum præsentiam quærerent, nec tam in religiosorum gratiam, licet id prætenderent, quàm in suum commodū, alijs inuitatis religiosos adiungerent: seuerè prohibemus, ne religiosi cùm foris prandere cogentur, vinum propinari conuiuatoribus curent, vel dicam, symbolum, chirographum, aut aliquid aliud dent, per quod illud procurari possit. Sed professionis suæ semper ac vbique memores, sicut ad altare Dei, seu ad mensam Christi aliquod tēporale munus eos offerre, nec eorum paupertatem decet, nec statuta Synodalia permittunt: Ita ad mensam hominis, aliquid ab eis offerri, multo minus sanctitatem suam decere cognoscant. Illa siquidem non propinatione vini alijsque muneribus, quæ paupertas religiosa ac sanctus amor non habet, sed vitæ continentia commendari solet.

Conrad. cap. 27 p.1. 17.d.

102. Ne Religiosi prætextu curandi aliquid necessarij, obtenta à Superioribus egrediendi facultate, aliò diuertant, quò eundi à Superioribus, si eis indicassent, licētiam non obtinuissent; vtque similes palliatæ egrediendi rationes deinceps locum non habeant: non cuique cœnobitæ procu-

procurare sibi, quæ necessaria ei sunt, permittatur. Sed vt sit, quod dicitur, verè cœnobitica vita; vnus omnium curã gerat, ac omnibus necessaria, prout statui paupertatis quam professi sunt, conuenit, Superioris arbitrio ex communi ærario prouideat; ita vt nullus nec voluntatem nec desiderium quidem habeat aliquid sibi emendi aut procurandi, nisi Superior intellecta egentis necessitate, id faciẽdum iusserit.

103. Et ad honestatem ac decorem religiosæ vitæ, & ad solatium atque continentiam religiosorum pertinet, vt nunquam frater sine fratre ambulet, vt alter alteri sit religiosæ vitæ custos, arbiter, & testis. Hoc quamdiu iuxta primam cuiusque Ordinis institutionem sollicitè obseruatum fuit, religiosorum Ordines, non solùm sine nota dedecoris & infamiæ irreprehensibiles perstiterunt, sed magna & religionis claritate, & sanctissimæ existimationis testimonio fuerunt illustres. Mox verò vbi remissa fuit hęc obseruatio, omnis Ordinum decor & gloria obfuscari cœpit atque euanescere. Videre nunc est religiosos sæpius solos, quàm comitante aliquo fratre incedere, ire quò lubet, loqui sine arbitro, facere quæ religiosum non decent, & si subinde aliquem per plateas habeant comitem, is nõ frater est, aut eiusdem Ordinis professus, sed frequenter homo sæcularis, videlicet conuictor aut famulus, vel alius qui eis conuictus causa, vel alia aliqua ratione deuinctus & obligatus est; quem tempore prandij dum foris prãdent, vel aliquid secretius agere cupiunt, à se ablegant, & certa hora redire iubent. In quo etiam Prælati quidam, qui suo exemplo subditis suis prælũcere deberent, patrios honores nihili habentes, & mundanas glorias optimas arbitrantes, grauiter delinquunt.

104. Volumus igitur ne Religiosi, nec Prælati quidem aliquò eant, quocunque ire necesse fuerit, nisi comite aliquo ex fratribus professis, quem donec domum reuertantur, nusquam à conspectu suo dimittant, etiãsi foris pran-

dendum sit, atq; vnus tantùm fuerit inuitatus. Ita vt frater fratri semper adsit, tanquam arbiter & testis omnium actionum atq; sermonum. Nam si D. Gregorio credimus, Religiosus qui sine teste ambulat, rectè non viuit, & dignus non est, qui alijs præsit, alijsque regulam teneat, qui eam sibi tenere nescit. Quo nomine Constantium quendam, quod semel solus visus fuisset ambulare, in Abbatē iudicauit non esse promouendum.

Lib. 10. Epistolarum ca. 22. indict. 5 epist. 21.

105. Socius autem fratri exituro non ipsius, sed Prælati iudicio adiungatur, ac talis sit qui vel fratrem custodire, vel ab eo custodiri possit.

106. Cùm nunc ob suspectam multorum fidem, proditiones, & diuersa itineris pericula, homini religioso procul proficisci tutum non sit, nisi veste seculari religiosum se esse tegat: In arbitrio Prælatorum sit, quando religioso, propter ineundum iter habitus mutandus erit, isq; vel ex communi vestiario donetur, vel aliâs sumptibus monasterij, aut ex eleëmosyna prouideatur, non autem (vt peculiaritas vitetur) fratres eum sibi comparare, aut cogantur, aut permittantur. Eritq; talis, qui religiosam paupertatem, & modestiam deceat, minimè verò qui aliquam vanitatem, superbiam, aut diuitiarū iactantiā præ se ferat.

107. Si qui verò ex religiosis (cuiuscunq; Ordinis sint) vestes seculares, aut gladium, vel aliquid simile, in vsus peculiares sibi comparauerit; eadem statim à cognitione huius Decreti in cōmune vestiarium ad communes vsus disponi volumus; aut si vsui futura non sint, vendi aut commutari, vt pecunia vel alia quæcunq; res commutatione accepta, eorum loco communibus vsibus seruire possit. Si quis rebellis hoc facere noluerit proprietatis iudicio condemnetur.

108. Cessante hac causa, & persecutionis metu, omnes vtriusq; sexus religiosi, proprium ac distinctum Ordinis sui habitum, iuxta præscriptionem statutorum, ac regulæ quam profitentur, semper & vbiq; palam deferant. Qui temerè

temerè contra facere præsumpserint, etiam si Abbas, Prior, vel alio nomine vocandus religiosorum Prælatus fuerit, illos excommunicationis sententiam à Sifrido cap. 3. pag. 37. à VVilhelmo in statutis Anni 1360. c. 6. pag. 180. d. & à Friderico in statutis anni 1371 cap. 6. pag. 190. nec non ab Adolpho 3. in statutis Anni 1549. 6. April. datis, pa. 445. in eos qui alium induunt habitum, quàm suæ religioni conuenientem, prolatam volumus incurrere.

109. De monialibus autem quæ ab Hæreticis ex monasterijs suis ejectæ, ex adiunctis Prouincijs in hac Diœcesi exules atq; extorres degunt; donec aliud de eis statuerimus: ordinamus, vt si cætera non possint, saltem capitis sui integumentum, iuxta morem Ordinis ac Regulæ suæ componant. Cùm vt hoc signo à sæcularibus virginibus manifestius dignoscantur, & professionem suam sese nõ erubescere declarent, propter quod nec occultè quidem religiosis, habitum suæ religionis deferendi licentiam dari iura permittunt; tum vt hac ratione professionis ac votorum suorum quotidie admonitæ, recogitent, cui quid debeant, nihilq; faciant, quod istum habitum, istamq; professionem dedeceat. Reliqua verò corporis indumenta, si non sint omni ex parte constitutionibus Ordinis sui conformia, talia tamen sint in materia & forma, quibus fidem faciant, se non tantùm verbis, quod hypocrisis & sacrilegium esset; sed toto corde regnum mundi & omnem ornatum eius contempsisse; paupertatem verò, humilitatem, modestiam ac fugam sæculi, in omnibus amare. Magnũ est quod vouerunt, & propter quod gratis persecutionem ab iniquis patiuntur: at non in pace tantùm, sed & maximè sæuiente persecutione votum adimplendum est. Hoc satagant ex animo, vt non tantùm lampades, sed & oleum in lampadibus suis habere à sponso inueniantur, cùm media nocte clamorem audituræ sunt: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* *Conci. Trid. c. 19. sess. 25.*

NON

NON FACILE ADMITTENDOS ESSE *quosuis, ad Religiosos inuisendos.*

110. Sicut ad Clausuram & solitudinem pertinet, vt religiosi non nisi necessitate coacti exeant: Ita ad eandem quoque spectat, ne à quibusuis quolibet tempore inuisantur. Qua in re vel inexcusabili ignorantia, vel supina negligentia à multis peccatum est. Reperire est alibi, monasteriorum portas, quibusuis accedentibus semper patere, aut si clausæ sint, pulsantibus mox integrum fieri, vt sine vlla aut cognitione aut consensu Prælati, religiosorum cellas accedant, longè liberius quàm in sæcularium domibus, aut Principum aulis, cuiuis quosuis accedendi est facultas.

111. Sic in quibusdam virorum monasterijs, siue per cõmunem monasterij portam, siue per templum, etiam vsque ad fratrum cellas mulieribus patet accessus: Sic alibi quoque non virginibus tantùm & mulieribus, verùm etiam viris, adeoque petulantibus adolescentibus, non ante cancellos tantùm, sed & in monasterij penetralibus cum sponsis Christi, virginibus velatis sedere, confabulari, compotare, ridere, iocari, permittitur. Et quasi vinum & adolescentia non satis magna forent voluptatis incentiua, adhibetur etiam lira & cithara, vt non videantur virgines illæ mundum reliquisse, sed mutasse duntaxat, & votum castitatis aliaque vota fecisse, ad irritandam bonitatem diuinam, & prouocandam iram Dei super nos ad maiorem damnationem suam, Ecclesiæque deformationem.

112. Contra quæ supersunt argumenta, tam arctam olim hîc clausuræ habitam fuisse rationem; vt virgines moniales ne virorum quidem conspectibus patere possent. Nam præterquam quod in templo (vbi tamẽ minus periculi est) loco eleuato, & arctissimè concluso, ab omnium hominum aspectu separatæ diuinum peragunt officium:

ficium: etiam pleriſq; locis ſuperſunt collocutionis cubicula; vbi cancellis virgines ſanctimoniales ab extraneis ſeparantur, quando ibidem conueniuntur; neq; hoc tantùm; ſed alicubi quoque videre eſt cancellos velo obductos, quod tamen frequenter ſine cauſa remouent, quando eſt qui cum eis colloqui cupit.

113. Nec in virorum monaſterijs veſtigia deſunt, quæ maiorum diligentiam & ſollicitudinem in cauendo mulierum ingreſſum in eorum monaſteria, euidenter arguunt. Siquidem illorum aliqua etiam num cancellos ſuos habent, & interſtitia, quibus olim à mulieribus, dum illæ eos conuenire cupiebant, ſeparabantur. Quare cùm nunc nec religioſi in virtutibus perfectiores, & conſtantiores ſint, quàm fuerint Patres eorum, nec à ſæcularium conuerſatione, minus nunc eis ſit periculi, quàm religioſis viris olim fuerit, & cæt. Eadem quæ à maioribus pro ſeruanda integritate monaſticæ puritatis, prudenti deliberatoq; conſilio ſancita fuerunt & vſurpata, in vſum reuocare cupientes: præcipimus vt in vtriuſq; ſexus monaſterijs, vbi huiuſmodi ſepimenta & cancelli, aut collapſi aut deſtructi ſunt, rurſum conſtruantur, & vbi nunquam fuerunt, intra duorum menſium ſpatium, de nouo erigantur.

114. Ad hæc cùm in ſtatutis Adolphi III. in formula inquirendi in monaſterijs monialium, pagin. 45. requiratur, vt virginibus monialibus ne conſpectus quidem virorum permittatur: Mandamus, vt quemadmodum etiam num quædam virginum monaſteria, velum antè cancellos habent, vbi ad colloquendum cum extraneis conueniunt: ita in omnibus virginum monaſterijs, velum antè cancellos ita componatur, vt cùm ad colloquendum cum extraneis prodeunt, nunquam refigatur. Quandoquidem ne illos viderent, non ſolum illud affixum, ſed ſe quoque velari voluerunt.

115. Parentes tamen, fratres & ſorores, fratrũ quoq; vxo-

res ac filios, vt aliquãdo videant; si tamen soli cõpareant, ac nullos alios qui cum ipsis videantur, permittimus. Eosq́; vt monet D. Hieronymus sic videant, vt per eos alios non videant, quorum vultus cordi hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus.

Epistola ad Rusticum.

116. Vt hæc obseruentur & perficiantur, singulis Archidiaconis negotium damus, vt confecto hoc temporis interuallo, singula monasteria vtriusque sexus, in sua regione constituta, in propria persona sua obeant, atque perlustrent, an huic constitutioni & voluntati nostræ fuerit satisfactum, nobisque seu Ordinario aut coram verbis, aut absentes scriptis referant, si cubi quid desit, aut neglectum sit.

117. Sed ne occlusa firmiter porta, fenestra aliqua aperta maneat, per quam viris aut fœminis in monasteria monialium, ac fœminis in monasteria virorum, sine legitima causa & facultate pateat intrandi via; obseruari hic volumus Constitutionem Gregorij XIII. cuius initium est, *Vbi gratiæ & indulta, datam* Anno 1575. Idibus Iunij Pontificatus eius Anno 4. vnà cũ eius declaratione quæ incipit: *Dubijs quæ emergunt, data* anno 1581. die 23. Decemb. Pontificatus Anno 10. quibus reuocat omnem licentiã ingrediendi monasteria monialium & virorum, ac sub grauissimis pœnis prohibet, ne habentes licentiam ab Episcopis vel Superioribus in casibus necessarijs ingrediantur monasteria monialium, nisi vrgentibus dũtaxat necessitatibus, & à paucis ijsq́; senioribus, ac religiosis personis comitati, prout latius in ipsa Constitutione, eiusq́; declaratione, hisce decretis nostris subiunctis videre est.

118. Si quæ sint virginum monasteria, quorum templum aut sacellum, ita constitutum est, vt Sacerdos celebraturus illud ingredi non possit, nisi ingrediendo aut trãseundo monasterij clausuram; ineatur ratio, qua vel per circuitum, vel alio modo sacerdoti in templum alia via aperia-

aperiatur ingressus. Quod si omnino fieri non possit, nullus ibidem ad celebrandum admittatur, nisi qui aut ab Ordinario aut Vicario in spiritualibus ad hoc obtinuerit facultatem. Quod si quis non obtenta hac facultate celebrare in eiusmodi loco præsumpserit, suspensionis à diuinis, & Præfecta quæ eum admiserit, excommunicationis pœnam ipso facto incurrat.

119. Sacerdos qui celebrauerit in virginum monasterijs Missę sacrificium, nequaquam ibidem sumat ientaculum, quod quibusdam statim à peracto sacrificio ex humanitate quadam seu potius amore non sancto, ac periculosa familiaritate, citra famem ac sitim, à monialibus alicubi offerri intelleximus. Quod si sacerdos pauper sit, nec habet domi quod manducet, ideoque in eo Christum pascere cupiant: vel iubeant eum redire ad prandium, & ante cancellos vbi solent tractari hospites, religiosè eum reficiant; vel potius pecuniaria eleemosyna eius indigentiæ liberaliter subueniant, aut esculenta & poculenta ad hospitium eius perferri curent.

120. Tempore supplicationum seu processionum, quæ per ambitum monasterij quibusdam locis subinde institui solent, diligenter claudantur illa ambitus ostia quà itur ad monasterij interiora: vt ne illi, qui curiositatis magis quàm deuotionis, aut pietatis causa aduenerunt, hac diuertant, ac ad penetralia monasterij curiosi peruadant.

121. Quando Sacerdos aut Confessarius ad charitatis officia ægrotantibus monialibus impendenda, monasterium monialium ingredi cogetur: Item quando medicus, chirurgus, vel alij viri ad necessariam operam in huiusmodi monasterijs præstandam, erunt admittendi, à Præfecta monasterij, & vna ex antiquioribus vel duabus, facie oretenus velatis, introducantur

&educantur;reliquis omnibus virginibus quoad eius fieri potest semotis.

112. In singulis monasterijs ad monasterij portam certus constituatur ianitor, vir moribus & ætate maturus, fidelis, mansuetus, & longanimis, cui incumbat illam semper clausam obseruare, & si quis fuerit, qui aliquem cœnobitarum voluerit conuenire, id ad monasterij Præfectum deferre. In huius arbitrio erit, an admittendus sit ad colloquium Cœnobitæ, quem conuentum cupiebat, an non; neque illud permittet, nisi causa vrgens & rationabilis existat.

113. Si permiserit, non tamen permittetur extraneus cœnobitam quem volebat per monasterium quærere; sed quæret illum ianitor, & vnà arbitrum ac testem ex fratribus, quem Superior ad hoc vocandum decreuerit, qui simul ad collocutionis locum conuenient. In quem vsũ certus in virorum monasterijs decernatur locus, qui sit in propatulo, & vbi frequens cœnobitarum est transitus, sitque amplus; vt si diuersi à diuersis eodem tempore conueniendi sint, id commodè & cum honestate fieri eodem loco possit. Dura videbuntur hæc multis, sed ea facere nolẽtibus. Cæterùm si faciant, quæ difficilia non facientibus sunt, statim (vt testis est D. Prosper) facilia fiunt. Non ergo operis impossibilitas facit hæc dura, sed nouitas: Non quod noua præscribimus, sed quia olim præscripta, & exactissimè obseruata in dissuetudinem venerunt. Neque hîc dicatur nobis, si iste in admittendis extraneis obseruetur in monasterijs rigor; rarissimos aut nullos fore, qui monasticam professionem amplecti velint; sed certo sibi persuadeant cuiuslibet Ordinis Religiosi, quia in his & alijs se primæ suæ origini & seueritati non satis conformant; raros nunc esse qui id faciant, & si qui sint non magnos illos in religione facturos esse fructus (etiam si magni sint) quamdiu magis ad disciplinæ monasticæ remissionem, quàm illius intentionem se conuertunt. Quinimò

Lib. 2. de vita contemp. ca. 10.

mò certissimè intelligant, quod fugiendo mundum, mũdum ad se alliciant, omnibusque admirationi fiant. Conuersando autem cum mundo, mundani fiant, seque mundo submittendo vilescant, ac nimis despicabiles appareant.

114. Ne tempore prandij aut cœnæ ianitor aliquem intromittat, aut emittat, quem non debuisset; aut aliquid aliud vel infideliter, vel inconuenienter agat: tantisper portarum claues apud Prælatum vel Superiorem deponantur, idque semper fiat, quando similis posset esse occasio.

115. Si quando vel literæ, vel aliquid aliud ianitori ab extraneis tradatur, cœnobitæ alicui tradendum; id ad cœnobitam non perferat, nec contra, aliquid à cœnobitis foras efferendum, aut alicui extraneo tradendum accipiat, nisi præuio examine & consensu Prælati aut Superioris. *In conc. pro. uinc sub Herm̃ano 5. p 10. c. 18 Adolp. in for. inquir. rend. p. 495. c.*

116. Vt vitetur frequens extraneorum ad cœnobia accessus, Cœnobiarchæ erit visitantem diligenter examinare, causamque aduentus cognoscere, & si ipsis satisfacere possit, ijsdem paucis & amicè satisfacere.

117. Quod si qui fratres aliquid operis pro extraneis perficiendum susceperuri sint, non ipsi de precio cum eis conueniant, sed Superior, aut quem ille idoneum huic rei præficiet. Quod non tantùm ad vitandum frequentem extraneorum ad monasteria accessum seruiet, sed & ad prohibendas furtiuas religiosorum occupationes, ac ad auaritiæ & proprietatis excludenda peccata.

118. Non facilè permittat Cœnobiarcha, vt fratres sui se visitantibus, vinum aut cereuisiam propinent; cùm vt excludantur, qui eo solùm nomine vt bibant prætextum conueniendi cœnobitas quærunt, tum vt cœnobitæ satisfaciant vocationi suæ. Quia eis præscriptum est, vt dom̃ent carnem suam, abstinentia cibi & potus, quantum valetudo permittit, & vt extra horam prandij nihil alimentorum sumant, nisi cùm ægrotant.

129. Quod quidem primis monasticæ religionis magistris ita curæ fuit, vt subditos suos non tantùm intra metas sobrietatis & temperantiæ continere, sed & per abstinentiæ à cibo & potu semitas deducere voluerint. Ideoq; eis præter Ecclesiæ ieiunia, cuiuis Christiano præcepta, certa regulæ suæ ieiunia obseruanda præscripserunt. Quæ quidem ab omnibus, iuxta cuiusuis Ordinis regulam ac statuta obseruari præscribimus.

130. Si quibus aliquando cereuisia aut vinum propinã-
Cap.13 p.16. dum erit, id ex mente & voluntate Conradi, non à quibusuis fratribus, sed tantùm ab Hospitario fiat.

131. Diebus Dominicis & Festis, item diebus ieiuniorũ, tam illis quibus ex statuto Ordinis, quàm ex Ecclesiæ præcepto ieiunandum est, & quando propter excessus suos pœnitentiam agunt, nemo ad colloquendum cum religiosis, admittatur, vt vel tum saltem in quiete Deo toti vacare queant, & si in pœnitentia sint, ea hoc modo magis mordeat & efficacior fiat.

132. Eo item tempore, quo solent religiosi suas habere recreationes, nullus extraneus eis misceatur, ne aut ab eis scandalizentur, aut eos scandalizent.

133. Religiosi qui in loco vbi degunt, multos habent amicos, à quibus frequenter & importunè inuisuntur, aut quos frequentius inuisere coguntur, ad aliud eiusdem Ordinis Monasterium ablegentur, vbi similis non poterit esse occasio.

134. Quod vt in posterum quantum fieri potest præcaueatur, cæteris paribus, potius assumendi erunt ad Ordinem, qui in loco vbi Monasterium situm est, nullos aut quàm pauciſſimos habent amicos, quàm qui multos & potentes ibidem amicos habent. Aliter nunc sapiunt multorum monasteriorum Præfecti, qui monasterij sui profectum in temporalibus hac ratione quærentes, non minus temporalia quàm spiritualia perdiderunt. Quod si tamen tales aliquando assumendi erunt, ad aliud eiusdem

dem Ordinis Monasterium procul ab amicis ablactandi mittantur. Frustra enim ad perfectionem vitæ Christianæ contenditur, quamdiu illud humani affectus vinculū non inciditur, quo quis carni & sanguini inordinatè colligatur. Qua de re amici in receptione nouitij ne offendantur admonendi erunt.

135. Prouideat quoq; Cœnobiarcha, vt ne singuli fratres singulas habeant lotrices; sed vel vna constituatur omnibus lotrix, aut potius vnus lotor; qui non à singulis fratribus, sed ab vno qui omnia lauanda colliget, lauanda accipiat: vel vt fecerunt primi Ordinum initiatores, & sicut adhuc quidam faciunt, ipsimet omnia lauanda lauent.

136. Postremò vt nihil hîc prætermittatur, quod ad quietem & tranquillitatem monasticam aliquo modo spectat, prohibemus, ne in Monasterijs conuentus fiant, & strepitus iudiciarij, atque arbitramenta, quæ non rarò, vt intelleximus fieri solent. Nam ab huiusmodi strepitu, & diuersorum hominum conuentu, maximè cùm mulieres vanas, & earum petulantes pediſſequas aliquando in eis adesse, & per Monasterium peruagari contingat; Monasteria volumus prorsus esse libera & immunia.

DE CLAVSVRA ET SOLITVDINE IN ipso quoq; Monasterio constituenda.

137. Quemadmodum ad conseruandam ciuitatem nō sufficit vt contra hostes, qui foris sunt, firmo muniatur præsidio; nisi caueatur, vt ne in ipsa ciuitate aliquæ sint factiones, quibus concordia, & quæ est inter ciues animorum vnitas, ac conspiratio dissolui possit: ita ad conseruationem monasticæ disciplinæ, non solùm necessarium est, vt religiosis ad exeundum & extraneis ad ingro-

ingrediendum Monasteria certi sint limites præfixi: nisi & in ipso Monasterio omnia sint ita ordinata, vt nihil in eis reperiatur, quod internũ animorum quietẽ ac vnionẽ cum Deo aliqua ratione perturbare possit. Quo in primis spectat, vt obstruantur fenestræ & foramina, si quæ sint, è quibus extra monasterium prospici possit, vel litteræ, aut quidvis aliud foris accipi aut foras mitti. Deinde vt ostia interioris clausuræ & dormitorium statis horis claudantur, & aperiantur, nè religiosi per monasterium vagabundi, & ocioſi discurrant. Vt ne item extranei per templum claustri loca intrare possint. Habenda insuper est ratio vt talis cõstituatur custos, de quo nulla possit esse suspicio, ne extraneos per templum ad colloquendum cum cœnobitis admittat, qui etiam testimonium ab omnibus habeat, quod ipsemet hac in parte non peccabit. Curandum præterea ne cœnobitæ vsque ad exterius templum absoluto diuino officio peruenire queant, & ibidem extraneos quos velint conueniant; multo minus vt templum exeant, & vel in ostio templi transeuntes obseruent, vel ad vicinos confabulandi gratia procedant.

128. Si quæ monasteria alant conuictores, eorum habitatio ita à cœnobitis sit distincta, vt non secus quàm extranei cœnobitas accedere non possint, aut cũ ijs colloqui, nisi habita à Cœnobiarcha facultate. Cuius rei cùm multæ possint dari rationes, hæ sufficiant, vt ne furtiuè per illos adferri aut nunciari curent quæ Superior si cognosceret non permitteret; & ne ex ijs intelligant quid foris agatur, quia inquit D. Benedictus plurima destructio est. cap. 67. reg.

129. Ijdem non admittantur, ad commune Religiosorum refectorium, nisi rarò, & in summis festiuitatibus, quando Corpori Christi sacramentaliter communicaue runt; aliàs verò loco prandeant separato. Nam vbi quotidiana laicis cum religiosis eadem mensa est facilius religiosi induunt laicorum mores, quàm vt laici eorum vi-

ta &

ita & conuersatione ædificentur.

140. Super his monasterij Præfectus diligenter debet intendere, vt irreprehensibiliter viuant & Ecclesiæ præceptis pro vocatione sua satisfaciant, nihilq; committant, ꝙ in scandalū monasterij quouis modo redundare possit. Si quando autem aut comessando, aut compotando, vel quauis alia ratione peccauerint, pro modo culpæ corrigantur. Neque verò circa hoc solum, super hos debet Cœnobiarchæ cura vigilare, vt à peccatis & criminibus eos contineat, verùm etiam vt ad omne opus bonum illos incitet & alacriores faciat: Si sint in fundamentis fidei rudes, eos erudiat; si prouecti, eos vlterius prouehat, & ad beatam vitæ consummationem facilem viam oportunè & importunè commonstret.

141. Eadem de conuictricibus virginibus apud monialis debet esse sollicitudo, & nisi perpetuam cum monialibus clausuram seruent, ac in cæteris omnibus se illis planè conforment; eadem ratione ab ijsdem seiungantur, & non aliter vestiantur, quàm decet virgines inter sponsas Christi versantes. Ita vt earum vestitus cum monialium vestibus materia planè conueniat, forma verò etsi nonnihil dissimili, ita tamen religiosis vestibus conformi, vt cum mundi vanitate affinitatem nullam habeat, sed prorsus ab ea abhorreat: ne vel ipsas puellas in vestibus sibi cõplacentes, in vanitate mundi detineat, vel religiosas aliquas, quæ earum aspectu capiuntur, religionis suę pœnitere incipiat.

142. Ne pietas hæc suscipiendarum in monasterijs & educandarum puellarum, auaris in occasionem auaritiæ vertatur, aut puellis laqueum inijciat: parentum suorum impensis puellę huiusmodi, nisi illi verè pauperes sint, vsque ad annum probationis, alantur & vestiantur: ac quotiescunque conuenire videbitur, maximè appropinquantibus annis discretionis, prudenter & circunspectè moneantur, quod nec nouitiæ nec religiosæ sint; sed quod quo-

 uis tem-

uis tempore exire vel dimitti possint; doceanturque quanam ratione de genere vitæ deligendo rectè statuere certum quid poterunt.

143. Ad bonũ porrò solitudinis monasticę in ipso monasterio perfectè consequendũ pertinet etiam silentium. Huius igitur habenda quoque diligens ratio est, curandumq; ne religiosi inter se crebrius colloquantur, quàm eorũ statuta permittunt, & vt non alia de re loquãtur, quàm quæ eos in sancto proposito possit confirmare, & excitare.

144. Cùm verò litteræ sint colloquium absentis cum absente, sollicitè aduigiletur, ne aliqui aut clam litteras ab alijs accipiant, aut ad alios perferri curent.

145. Visitentur quoque crebrò eorum cubicula, & perueſtigetur, num libros aut picturas habeant, vel quicquam aliud, quod ad religiosam vitam non conducit. Displicet nobis valdè, tam paruam huius rei haberi rationem, vt nihil ferè nouarum rerum aut nugarum edatur, quin calente adhuc prælo, in monasteria inuolet, cum magno castitatis, & totius religionis damno.

146. Communis quoq; totius monasterij Bibliotheca nullos habeat libros, nisi qui ad profectum religiosæ institutionis seruire possint. Si qui sint alij, religiosis parum vtiles, illi ita recludantur, vt nulli eorum possit esse vsus, nisi de speciali Superioris licentia, quam non concedet, nisi certam huius concessionis vtilitatem cognoscat.

147. Ad colendam arctius solitudinem, multa vtriusque sexus monasteria, maiorum nostrorum consilio procul ab vrbibus in agris & syluis fuerunt extructa, verùm cùm ea nunc per temporum iniquitatem, malorum hominum prædæ, & alijs facinoribus sine vlla sæpe custodia sint exposita: aut ita destructa, vt non sine maximis sumptibus restitui possint: cumq; partim ijsdem occasionibus, partim mala bonorum administratione, multorum res ita accisæ sint, vt vix pauculis personis sustentandis sufficiant; expedire iudicamus, & hortamur; vt religiosi illo-

illorum Monasteriorum, quorum res ita constituta est, sese eiusdem Ordinis Monasterijs in vrbibus constitutis vniant, & ex duobus vnum faciant. Aut si hoc fieri nequeat, desolata potius in vrbibus loca, si quæ comparare possint, quàm ea quæ extra vrbes habent reædificent; cùm, ne ea quę extra vrbes reędificaturi essent, ijsdem periculis exponantur; tum vt ne vana æquiorum temporum expectatione in personis talis monasterij, monastica disciplina prorsus intereat & emoriatur.

DE TRADVCTIONE TEMPORIS.

148. Olim cùm in Monasterijs diligentissima habebatur temporis ratio, & omne id quod à diuinis officijs sacrisque meditationibus, atque alijs spiritualibus exercitijs supererat, aut scribendis libris, aut alicui honesto & religioso operi manuali tribuebatur, vigebat in monasterijs pietas & vota cum animi hilaritate, magnoque deuotionis feruore Deo reddebantur. Nunc verò cùm plerisque locis penè omne tempus, quod à decantato diuino officio supereſt, in ocio pereat, varia desideria, quæ ocium parturit, religiosorum occidunt animas, & multis locis vt alia taceantur, potationibus & comessationibus monasticæ disciplinæ seueritas dissoluta iacet. Quam vt pro Legationis nostræ officio restituamus: constitutam esse volumus in singulis vtriusque sexus monasterijs necessariam temporis deductionem, vt singuli religiosi, ex Superioris sui arbitrio & definitione sciant, quid qualibet hora ipsis faciendum incumbat.

149. Sit itaq; eis manè antequam ad templū veniant, paulum temporis præfixū, quo sese à somno colligant, totūq; diem atq; incūbentia sibi eo die onera per singulas horas, adeoque singularum horarum momenta disponant, & quo animi feruore quęq; ad gloriā Dei ac Sanctorum eius honorem, animæque suæ maiorem beatitudinem pera-

gere velint, cum inuocatione gratiæ Dei firmiter constituant. Idque non segniter aut remisse faciant, velut rem parui momenti; sed quantacunque possunt animi alacritate; quæ tam efficax sit, vt per singula opera, perque singula diei momenta, ipsis freni & stimuli loco sit: huius quidem ad promptè faciendum opera bona; illius verò ad continendum se ab illecebris peccati, prauisque inclinationibus superandis.

150. Huius propositi paulum antè prandium, rursumq; vesperi à cœna antequam cubitum vadant, à se exigant rationem, considerētque an sibi per omnia satisfecerint; an non alibi obliuione; aut negligentia aut humana infirmitate lapsi fuerint; an nihil præter expectationem occurrerit, ad quod se deprehenderint imparatos, imbecilles, inarmatos, vbi vt S. Petrus ait peregrinabantur. Contra quæ ad Dominum Deum vnicum auxiliatorem & liberatorem suum sese toto corde conuertentes, eius præsentiæ auxilium & excitantis, cooperantis, perseuerantisque gratiæ præsentiam implorantes, maxima animi contentione, in seipsos exardescant, & in similes casus sese præmuniant, & manibus suis ad bellum, digitisque suis ad prælium eruditi, semper fœliciter contra hostem suũ pugnent, & seipsos vincentes quotidie magis magisque proficiant.

1 Pet 4.

151. Hoc qui ceu nouus tyro obseruare inceperit, mox luctam experietur, & pugnam quam antè non senserat. Nam qui ocioso viuebat animo ac inimicum non exacerbabat, forsitan ei etiam seruiebat; in pace erāt omnia quæcunque ille possidebat. Nunc autem vbi contra illum prælium instituitur, cogitur sentire quàm multis animæ suæ regionibus, adeoque in præcipuis eius claustris, & egressibus hostis ille, qui circuit quærens quem deuoret, castra sua posuerit, eaq; se dormiente, firmissimo præsidio munierit. Videtque quàm multi sint alieni, qui insurgunt aduersus se, & fortes qui quærunt animam suam, quàm

multæ

multæ adhuc in se lateant animæ affectiones, rationis imperio validè repugnantes, in quibus experitur eum Dominus, vtrum custodiat viam suam & ambulet in ea, sicut fecerunt sancti Patres, an non. Contra quas nisi certare inceperit, & habere præliandi consuetudinem, nisi præseruetur singulari Dei gratia, nihil obstat, quin tradatur in manus hostium suorum, fiatque omnium peccatorum seruus & mancipium.

Allusio est ad finem c. 2. li. Iudicum, et initium 3.

152. Præter hoc exercitium opere quidem paruum & despicabile, sed fructu lõgè maius ac nobilius, quàm paucis explicari possit, singuli certo diei aut noctis tempore, quando id sine omni perturbatione commodissimè fieri poterit, quieta mente, animoque ab omni cura ac sollicitudine libero expendant, ad quid creati, ad quid redempti sint. Excutiant etiam quid eorum status & vocatio, quidque postulet officium quod eis incumbit; quomodo his satisfaciant, atque ad horam mortis & tremendum iudicij diem, ad reddendam de omnibus rationem sese inueniant paratos, exquirant. Et si quid sit aliud, quod cuiusq; animum pro maturitatis suæ ætate innouare poterit, hoc ad consequendum hunc fructum, studiosa mentis inquisitione, in silentio secum voluant ac reuoluant. Quo in genere seruiunt omnia & singula redemptionis nostræ mysteria, vitæ item Sanctorum. Ex quibus omnibus per singulos septimanæ dies varietas esse poterit, vt vno die dẽ Creatione, alio de Redemptione, tertio de officio proprio, quod sibi incumbit, quarto de morte, quinto de iudicio extremo, sexto de damnatorum pœnis, septimo de gaudijs beatorum, meditationem instituant. Si autẽ dies festus incidat, prætermisso eo quod ex ordine recurrebat, ex præsentis diei occasione, sanctæ cogitationis occasionem accipiant. Cuius meditatione exardescat ignis, qui totum hominem incendat, & ad omne opus bonũ faciat alacriorem.

153. Meditationem sequatur priuata oratio, quæ ita sa-

pere debet viro religioso, vt eius nunquam sentiat satietatem. Nam cùm tota vita religiosa in exercitio fidei, spei, & charitatis consistat, eaque nulla alia in re aut facilius exerceantur, aut faciliori compendio maiores vires quã oratione acquirant: prorsus manifestũ est, parum in eo vitę esse, cui oratio non viuit. In hac religiosus omnẽ spem, refugiũ, fiduciam, virtutẽ, ac fortitudinem suam ponat; hac se lassum reficiat, hac excitet se torpentem, hac tristitiam suam excutiat, tentationes vincat, virtutes acquirat; hac gaudium suum alat, metum superet, suamque spem confirmet, ac certam faciat. Et omnino nihil bonorum sit, quod orationis humilitate, fide, spe, charitate, ac instãtia se consequi posse diffidat. Hoc qui vsu ac experimento gustare meruit, omne tempus quamuis longum, sola oratione bene locare nouit.

154. Assignabitur præterea singulis, pro ratione temporis hora vna vel plures, qua ex certis authoribus colligant, atque in libello ad hoc conuenienti describant sententias verbis breues, virtute graues, ad illuminandum intellectum lucidas, ad defecandum iudicium probatas, & ad accendendam voluntatem ignitas: ex quibus intelligẽtes quæ sit voluntas Dei in omnibus bona, beneplacẽs atque perfecta, ex falsis vera discernant, ex veris autem & bonis optima quæque præ minimis eligant; & nihil faciant, nisi quod Deo intus iubente didicerint faciendum, & ad hoc ipsum tota virtute conualescant.

155. Hoc vt ordinatè & maiori cum fructu faciant, ac in omni virtutum genere sese extimulent, atque contra vitia quæque variasque animi perturbationes illas maximè, ad quas propendent, sese salutaribus consilijs, & documentis ante diem prælij præmuniant, atque componant, à magistro suo, viro in huiusmodi exercitato, tyrocinij sui tempore manu ducendi sunt.

156. Non persuadeat sibi quisquam hunc laborem frustra collocandum, eo quod variorum authorum libri extent,

tent, qui ea omnia quæ ad conflictum virtutum atque vitiorum homini religioso sunt necessaria, copiosè explicant. Quisque enim suum donum habet, & alius quidem ducitur sic, alius aliter; longeque magis afficiunt, & efficacius intellectum ac voluntatem transformant, quæ quisque legendo, colligendo, & meditando quasi comedit, masticat, sibique incorporat, ac propria & familiaria sibi facit; quàm quæ vt aliena aspicit, & ad quæ, vt ea sua faciat, sese toto animo & studio non conuertit.

157. Huic studio seruiunt in primis sacræ scripturæ libri omnes. Deinde tractatus D D. Basilij, Hieronymi, Augustini, aliorumq; Ecclesiæ Patrum, præcipuè in quibus de vita monastica, vel de virtutibus & vitijs tractāt, ac nominatim moralia D. Gregorij Papæ: omnia item, exceptis Epistolis paucis, D. Bernardi opera. Huc etiam referendæ sunt vitę Sanctorum, illorum maximè, qui religiosorum duces, & institutores fuerunt, vt est inter alias, vita S. Hilarionis, Antonij, Martini, Francisci, Fulgentij, & cæt.

158. Si præterea, vel ex lectione quæ in refectorio fit, tempore refectionis, vel ex concione, vel in confermocinationibus cum fratribus, aliquid obseruatu dignum occurrerit, animumque vel ad pietatem in Deum aut proximum, vel ad amorem virtutis, aut odium iniquitatis potenter concitauerit; id magno cum fructu & spiritualis hominis profectu, in hoc libello annotabitur, ac maiori cum vtilitate, iterum iterumque, per interualla temporum legetur & relegetur.

159. Quæ quidem vt in vsum ducantur, necessariū erit, vt Præfectus, aut cui eius arbitrio hoc incūbet (quod etiā in cunctis alijs operibus & exercitijs frequenter faciendū erit) hosce libellos sæpe inspiciat, & examinet, & collocutionis tempore à singulis exigat, quid eo die, vel ex lecta, vel

vel audita lectione notatu dignum obseruauerit. Adhoc enim seruiunt colloquia, quæ alibi singulis septimanis semel atque iterum; alibi quotidie instituta sunt, vt singuli à singulis ædificarentur, & quisque quasi symbolum conferret, ad instituendam iucundam animi exhilarationem, in qua longè apertius & infallibilius, quàm in ebrietate vini aut quouis lusu, quisque cor suum effunderet, ac recondita animi sui secreta palam manifestaret. Ob quod vel maximè hic præsens adesse debet Præfectus, vt cuiusq; ingeniũ exploret certius, & affectus percipiat.

160. Sed vt in alijs, ita in his collationibus Superiorum negligentia multum à prima origine declinatum est; ita vt alicubi non tantùm vana ac otiosa, sed murmura, detractationes, lites, aliaque, quæ fuerunt totius monasticæ disciplinæ dissolutio, loco piarum collationum vsurpata fuerint. Quod religiosorum Præfecti, præscripta, vel quacunque meliori ratione reforment, vel eiusmodi colloquia prorsus tollant,

161. Poterit religiosis quoque permitti, vt aliquid eis iniungendum, certo diei tempore manibus operentur, in quo remittatur ad horam animus, non resoluatur. Vnde, vt inquit D. Bernardus, mox vt sibi, ad se ipsum redeundum fuerit visum, se facilè expediat, sine controuersia inhibentis delectationis vel memoriæ imaginantis. Ad quod ea exercitia magis conuenire videntur, quæ cum spiritualibus maiorem habent similitudinem & affinitatem.

Epistola de vita solitaria ad fratres de monte Dei, quæ digna est vt ab omnibus religiosis frequenter legatur.

162. Est aliud quod non tantùm ad vtilem temporis deductionem foret opportunum, sed ad corrigendam animi quoque dissolutionem valde conueniens & religiosum, atque ad erudiendam multorum intollerabilem in negotio religionis ignorantiam, necessarium; nempe vt præter institutorem monasticarum obseruationum, habeant

beant religiosi Theologum, virum pium ac doctum, qui eis explicet Catechismum, casus conscientiæ, sacros psalmos, aliaque quæ ad monasticam eruditionem spectant: quod fieri voluit Concilium Prouinciale sub Hermanno Quinto, anno 1536. habitum. Voluit item Archiepiscopus Adolphus 3. idipsum, & nos cùm omnibus, tum ijs præcipuè religiosis, qui animarum curam suscipiunt, & quibus incumbit verbum Dei prædicare, ac fidelium confessiones excipere, in virtute obedientiæ præcipimus: vt ne dum cœcus cœcum ducit, ambo in foueam cadant, & aliorum fiant magistri, antequam fuerint discipuli. Quod si hîc aliqui monasteriorum Præfecti, temporum excusare velint difficultatem, vixque esse sibi vnde viuāt, multo minus superesse vnde lectorem alant: videant illi, an ne in alijs non obstante eadem difficultate, in quibus minus oportebat, plus æquo profusiores sint. Hîc itaque, si æqui & boni haberi velint rerum æstimatores, sese temperent, vt illud præstent: vel saltem ex suo Ordine, in Capitulis generalibus vel Prouincialibus, virum talem singulis monasterijs designent, qui huic muneri idoneus sit, & satisfacere possit. Quod si non tā multos in Ordine suo doctos viros inueniāt, vt singulis monasterijs lectorē prouidere possint, habeāt verò aliquos, vt aliquibus monasterijs prouideant; constituātur illi in monasterijs quæ accōmodata sint, cōmodoq; loco sita, ad suscipiendos vicinorum monasteriorum studiosos, qui ibi aut suorum monasteriorū, aut totius Ordinis sumptibus, tanquā in seminario totius perfectionis, certis annis informētur, & instituantur. Si autem in toto Ordine suo (quod admodum inde eorum esset) nullos habent, quibus huiusmodi lectionem committant, neque vlla ratione propter rei familiaris angustiam, alium non sui Ordinis sustentare in hoc officio possunt: nihil aliud restat, quàm vt aliquo ex fratribus mortuo, aut ad aliud eiusdem Ordinis Monasterium ablegato, in eius locū Lectorem assumant, ac tantisper do-

Herman. parte 10. c. 5. pa. 394. d. Adolp. in formula inquirendi, pagin. 492. §. 9.

nec temporis & facultatum angustiæ cogunt, potius aliquo fratre, quàm pio ac docto viro careant, cui vnicum hoc studium sit, vt eos doceat meditari in lege Domini, & ea quæ vocationis eorum sunt intelligere & amare.

163. Ad hanc sacram lectionem, omnes religiosi conueniant, exceptis ijs duntaxat, qui propter commissam sibi rerum sui monasterij administrationem legitimè impediuntur. Ipsi quoque Abbates, alijque monasteriorum Præfecti, cùm vt subditos in officio contineant, tum vt Lectori animum addant, non indignum se putent, frequenter in auditorio comparere, & quasi vnum ex auditoribus sese præsentare.

164. Si qui ex religiosis tam peruersæ inueniantur esse voluntatis, vt sacras lectiones odiant, & ad hoc laborent, vt fratres suos ad eas odiendas inducant, illi vel procul ad alia eiusdem Ordinis Monasteria proscribantur, datis eis ad Monasterium litteris, quæ proscriptionis causam contineant; vel ita domi à reliquorum fratrũ separentur consortio, vt ne sibilis aut prauis suggestionibus, fratres suos seducere queant.

Conc. Prouin. sub Herman no 5 part. 10. ca. 5 pa. 394. 165. Adolescentes ingenio docili, & ad formandum facili, qui virtute totũ sunt, quicquid esse possint, ab huiusmodi lectionibus sine iusta causa non impediantur. Ex quibus si qui cùm iam aliqua studiorum iecerint fundamenta, spem magnæ eruditionis dederint, vt ob hoc præceptorum suorum iudicio ad Vniuersitates mittendi iudicentur: hoc ita fiat, vt illic non alibi quàm in monasterijs, sub cura & oculis Præfectorum illius loci arctè contenteque habeantur; ne bonis ac sanctis studijs destinati, mores imbibant minimè monasticos, alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur.

Ibid. cap. 7. 166. Postremò cùm à veteri illo religiosorum instituto, quando Monasticus Ordo, & personarum numero, & pietatis ac eruditionis claritudine erat illustris, nequaquã discrepet scholas externis adolescentibus aperire, atque iuxta

iuxta Synodalem sanctionem, monasteria, præsertim quę Ecclesias parochiales incorporatas habent, scholam erigere teneantur, in qua iuuentus Christiana artem legendi, scribendiq; doceatur, inq; Christianæ religionis fundamentis erudiatur: non solùm pio hoc exercitio occasionem habebũt religiosi tempus bene locandi, sed & de suo Ordine, totaque Repub. Christiana optimè merẽdi, multorumque animos sibi conciliandi, atque Monasteria sua eadem ratione, qua primùm fundata fuerunt in integrũ restituendi. Quare cunctis monasteriorum vtriusque sexus Prælatis, & Superioribus præcipimus, vt vbicunque Ecclesias parochiales incorporatas habent, Synodalibus institutis satisfaciant. Vbi verò eiusmodi Ecclesias non habent, cùm occasionem & modum viderint, se instituẽdo iuuentutem, Ecclesiæ Catholicæ magnum præstare posse beneficium, eam minimè negligãt; sed propter eius amorem, cui se totos consecrauerunt, faciant quæcunq; pro vocatione sua facere poterunt.

Synodus sub Adolpho 3. habita anno 1550. 28 Februar p. 465. a. b. c.

167. Hæc omnia quæ de temporis traductione præscripta sunt, non tãtùm à viris, sed etiam à sanctimonialibus & Canonissis, quatenus eis conuenire & prodesse possunt obseruentur, sitque apud eas Ludimagistra seu scholæ præfecta, quæ Latinè norit, ac virgunculas iuniores sedulò in fundamentis Grammatices instituat, & ad pietatem ac Religionem formet. In vigilijs dierum festorum, ipsisque festis, Hymnos, Sequentias, Epistolam, & Euangeliũ diei; alijs verò diebus Psalterium ad litteram exponat.

DE TRACTANDIS HOSPITIBVS.

168. Cùm tractandi erunt hospites, ab eo qui mensæ præest, vel ab alio quem ille constituet, initio refectionis ex pio aliquo libello Latino vel Germanico, pro eruditione & captu hospitum, vnum caput legatur, vnde inter prandendum, aut cœnandum, piè consermocinandi sumatur occasio, ne ad ociosa aut quoc

peius; ad detractiones lingua ad lapsum facilis prolabatur. Quod ipsum in mensa Abbatis, & cuiuscunque alterius Superioris, etiam si solus prandeat, aut cœnet semper obseruetur.

169. Sit sanctum ac religiosum mensæ ornamentum frugalitas. Ebrietas verò quæ inter Christianos nec nominari debet, multò minus apud perfectionis studiosos esse, tanquam præsentissimum animæ venenum, & totius religionis subuersio, nullum hîc aditum habeat; imò ne rima quidem pateat, per quam irrepere aut surrepere possit. Ideoque non admittantur potationes ad haustus æquales, neque religiosi quemquam ad largius bibendum inuitent. Quod vt facilius obseruetur, auferri ex Abbatijs & quibuscunque monasterijs volumus, omnia vasa & arma ebrietatis, vt sunt calices & magni scyphi, siue testacei isti sint, siue vitrei, siue argentei & inaurati, quæ omnia vẽdantur, & ex eorum precio emantur vel instrumenta sacra ad ornatum templi, & diuini officij maiestatem, vel pij libri, aut fiat eleëmosyna pauperibus.

170. Proscribimus ex Monasterijs, sicubi irrepsit, & ab omnium Ecclesiasticorum, imò quorumlibet Christianorum consuetudine, semotam volumus illam barbaram Bacchi cæremoniam, qua cogitur amicus hospes, si ibidem nunquam antea illi propinatum fuerit, maximũ euacuare calicem vino à summo plenum.

171. Præcipimus quoque, ne tempore prandij aut cœnæ ambulatorium aliquod vitrũ dari permittatur, quod singuli vel ex ordine, vel ordine incerto euacuare debeãt. Sed singuli sua habeant vitra, illaque non commutent, nec ad alios transmittant.

172. Absoluto prandio vel cœna, cùm homines sæculares ferè solent hospites suos à mensa stantes copiosiori vino ingurgitare, quam toto prandij vel cœnæ tempore bibitum fuerat: viri religiosi, vt religiosè & secundùm faciem Sanctorum hospites suos tractent, nequaquam tunc vinum

vinum propinent. Huiusque præcepti inter prandēdum vel cœnandum hospites suos (si expediat) admoneant, vt ne expectatione vel timore huius consuetudinis sibi nimis temperantes, sese deceptos inueniant. Turpe enim & ignominiosum nimis est, viros religiosos ac professione sanctos, in his sæculares luxu ac dissolutione superare, sibique persuadere quod non bene tractauerint hospites, ac conuiuas, nisi illos fecerint ebrios. Qui tales sunt, cuiuscunque fuerint Ordinis, necdum religionis Christianæ fundamenta iecerunt, multo minus perfectionem aliquam consecuti sunt.

173. Cùm religiosi non solùm in cella, aut in templo, vel in communi refectorio apud fratres, sed omni omnino loco ac tempore, & apud quosuis, professionis suæ debent esse memores, & ad summam vitæ perfectionem se extendere, eoque maiori contentione huc sese impellere, quo humanæ consuetudinis flumine vehementius in cōtraria rapi se vident; & vt hospites intelligant religionem scholam esse, in qua docetur alimenta vt medicamenta esse sumenda, & insatiabilia carnis desideria domantur: vt iuuemus eos, qui sine adminiculo hic progredi nō possent, pro conuiuarum numero, certus præscribendus videtur mensuræ vini modus, quem excedere apud religiosos nunquam licitum sit, etiamsi ab hospitibus vinū propinetur, & sint maxima authoritate præcellentes, qui illud propinare cupiunt. Magis enim Deus timendus est quàm homo, longeque maior ille, cuius regulam sectari & vitam imitari se profitentur, quàm mortalis homo, à quo eis vinum propinatur. Itaque mensura singulis præscribenda, heminam aut dimidium poculum non excedat, ita vt præter cereuisiam non plus vini fundatur, quā vt si omnes æquè multum biberent, singuli tantum dimidium vini poculum bibere possent, non autem vt singuli tantum bibant. Tantùm enim religiosæ recreationi, valetudini corporis & sanitati animæ, vna refectione abundè suf-

D Benedictus cap. 40.

Regulæ putauit heminam singulis fratribus suffice re per diem.

dè sufficere arbitramur, & quod hoc abundantius est, à malo esse videtur & ad gulam, ad cruditatem atque indigeriem spectare, quæ nunquam nec in religioso, nec apud religiosos esse debent.

174. Quotiescunque hospites tractandos susceperint, nunquam tamdiu mensæ assideant, vt decantandis vespertinis precibus interesse omittant, neque vnquam vltra sesqui horam aut duas horas hospites ad mensam detineant. Vesperi verò hospites ciues, aut incolas loci, vbi Monasterium situm est, ante horam octauam domum dimittant; extraneos verò in Monasterio pernoctaturos, si ad hoc extra clausuram loca conuenientia habent, ante horam nonam cubitum ducant, vt Cellarius vel quicunque hospitibus præfuerit aut adfuerit, eadem hora cubiculum hospitum clauserit, & ad dormiendum vnà cum alijs domesticis qui hospitibus adfuerint, ascenderit.

175. Si quæ mulieres in Monasterio tractandæ, ac prandio vel cœna excipiendæ erunt, tractentur in loco Collocutionis, ante cancellos, etiam in Professionum solemnitatibus, nec etiam tum sub pœnis superius positis, permittantur Monasterium ingredi, & perlustrare: Nam si viris religiosis, mulierum & virginibus monialibus, virorum conspectus semper fugiendus est, tum præcipuè fugiendus erit. Quandoquidem comptius, ornatius, maioribusque illecebris, tunc ferè ostentare sese solent, & vino plus satis calefacti, imprudenti animositate petulantius agere. Estque idipsum verè religiosis virginibus graue admodum, vt cùm perpetuò à virorum atque sæcularium mulierum conspectu abstinuerint, tum eos videre cogantur, eorumque per monasterium discursu perturbentur.

DE MONASTERIORVM OFFICIALIBVS.

176. Cùm pleraque Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus &

tus &c. ex mala rerum temporalium administratione nõ leuia passa fuerint detrimenta, cupientes huic malo aliquod adhibere remedium, eiusque occasiones quantum possumus in posterum præcauere: Mandamus ne religiosorum Officiales, vel administrationem bonorum habẽtes, contractus ineant, locationes, emptiones, venditiones, vel alienationem quarumcunque rerum mobilium vel immobilium faciant, nec pecuniam mutuam sumant, fideiubeant, neque lucri causa negotiationes exerceant, absque conscientia & consensu Superioris sui, & Conuentus. Quod si contra fecerint, contractus sit irritus, & excommunicationis sententiam, iuxta statuta Sifridi cap. 3. pag 37. & cap. 13. statutorum Henrici Anni 1307. pag. 72. incurrant.

177. Innouamus similiter, quod sub eadem excommunicationis pœna, ab eodem Henrico in statutis Anni 1324. postridie Dominicæ Inuocauit editis, prohibitum est; Ne religiosi sui Monasterij Curtes, sub certa pensione annua conducant. Pag. 95. 96.

178. Ne qua possit esse fraus, deceptio, seu infidelitas, in Officialibus; aut si quæ facta sit, quàm primùm deprehendi possit, & minimo damno caueri: quater in anno acceptorum & expositorum, Superioribus suis, ac maioribus sui Monasterij, reddant rationem.

179. Non liceat Officialibus ratione officiorum vel ministeriorum pecuniam corradere, aut conseruare, etiamsi in pios vsus conuertere velint; sed omnia in communem vsum conuertantur.

180. Sint Officiales & rerum Monasterij dispensatores, ad nutum Superioris amouibiles. Quod si Superiore exigente dispensationi suæ renunciare nolint, à proprietatis vitio sciant se non esse immunes. Ac similiter proprietatis vitium incurrunt, quãdo bona communia vt propria dispensant.

181. Abbates quoque & Abbatissæ, alijq; Monasteriorũ Præfe-

Præfecti, meminerint se non esse dominos bonorum monasterij, neque se pro arbitrio & voluntate sua dilargiri ea posse, sed secundùm Ecclesiæ intentionem, & piorum fundatorum voluntatẽ dispensare. Quod si ex bonis, vel fructibus sui monasterij ditẽt propinquos, vel eadem in superfluo fastuoso comitatu & famulitio, aut nimio equorum sumptu vel numero, aut aliàs inutiliter consumant; eo se præ subditis inordinatius peccare agnoscant, quod regulam quam alijs tenere debebant, sibi ipsis tenere non sciant.

182. Vt prohibeantur prædæ illæ bonorum mobilium, quæ post mortem Prælatorum, per quosdã fieri solent, vt indicat ca. 14. part. 10. Conc. Prouinc. sub Hermanno 5. habiti, p. 397. Episcopus aut eius Vicarius in spiritualibus, vel is, cui hoc Episcopus iniunxerit, per seipsum accedens monasterium, in-uentariũ faciat omnium bonorũ, maximè pretiosorũ ipsius Monasterij, & aliquot eiusdẽ religiosos Oeconomos cõstituat, à quibus iuramentum accipiat, de nihil alienando sine consensu ipsius, & fideliter administrando, vsque dum de Prælato prouisum fuerit. Similiter & Officiarios quoad spiritualia prius administrationem habentes, vtpotè Priorem & Confessarios, & alios confirmet, & sua ordinaria auctoritate adiuuet.

DE HIS QVAE AD CVLTVM DEI IN diuinis officijs, & quæ ad Sacramenta animarumq; curam.

183. Quæ hactenus digesta sunt, eò seruiunt vt Religiosi sese ab omnibus expediant, quæ quoquo modo vnionẽ mentis cum Deo impedire possent, & summa animi quiete diuinis vacent officijs, qui vnicus omnium monasticarum obseruationum finis & scopus est. Quæcunque igitur inferius titulo de diuinis officijs statuta sunt, ea omnia tanto diligentius seruent, quanto & ipsi ad perfectiorem

rem vitam magis quàm alij obligantur, & in his cultus noster immediatius circa Deum, & ea quæ Dei sunt versatur.

184. Quod verò peculiariter ad ipsos pertinet, cùm deceat religiosos vnius Ordinis, in omnibus monasticæ vitæ exercitijs esse vniformes; tum vel maximè id curandũ est in diuino cultu & ritibus sacris: quare sine dilatione, commodam inter se ineant rationem, vt in his nulla inter eos sit differentia.

185. Quod in Concilio Prouinciali sub Cardinali & Legato à latere Nicolao Cusano pagin. 250 §. 15. & sub Hermanno Quinto parte 4. cap. 7. Nec non ab Archiepiscopo Adolpho 3. in statutis Synodi, anno 1549. 6. Aprilis peractę, constitutum fuit: Ne quis fratrum Ordinum mendicantium sæcularium confessiones audire præsumat, nisi legitimè & secundùm formam iuris fuerit præsentatus, & de his quæ ad officium illud pertinent probè informatus, ac iudicatus idoneus; & quod Priores ac Guardiani, si non compulerint suos fratres ad ordinationis huius obseruationem, sed dissimulauerint, ab omni ministerio Ecclesiarum essent submouendi: Hoc nos innouantes ad omnes in vniuersum religiosos extendimus. Declaramus insuper atque decernimus, absolutiones Sacramentales aliter factas, nullius esse iurisdictionis, irritumque esse ac inane, quod secus super his quauis auctoritate contigerit à quoquam tentari, etiam si illi fuerint Lectores, aut in Theologia, etiam de suorum Superiorum licentia graduati, vel promoti, vel à suis magistris Generalibus vel Prouincialibus ministris, sæcularium Confessionibus audiendis præpositi, periculo duntaxat extremæ necessitatis excepto, quo cuiuis Sacerdoti iurisdictio in quoslibet conceditur.

Extat hac de re Constitutio Pij 5. cuius initium est: Romani Pontificis, *data anno 1571. 8 Idus Aug. Pontificat. ann. 6.*

186. In Constitut. VVilhelmi anno 1356. facta, pag. 166. ad defensionem Censuræ Ecclesiasticæ sancitum est, ne religiosi in præiudicium Pontificalis dignitatis, & deceptio-

nem multarum animarum, &c. absoluerent à casibus Episcopo, eiusque Pœnitentiarijs, reseruatis, & in Synodo Diœcesana, sub Adolpho 3. anno 1549. die 2. Octobris celebrata, pag. 462. vetitum est, ne Monachi Laicos sine suorum curatorum consensu scienter communicent, sub pœnis Canonum ipso facto incurrendis. Quod cùm non minori ratione de administratione extremæ Vnctionis, & multo magis de solemnizatione aut benedictione Matrimonij statuendum fuisset: ideo totum Canonē, qui habetur in Clementinis, titul. de priuil. & excessibus priuilegiatorum, cuius initium est, *Religiosi qui Clericis*: in quo præmissa omnia cauentur, in omnibus suis articulis obseruādum decernimus, & ne quem lateat de verbo ad verbum hic subijcimus.

Religiosi qui Clericis aut Laicis Sacramentum Vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, Matrimonia solennizare, non habita super his Parochialis presbyteri licentia speciali; aut qui excommunicatis à Canone præterquam in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententijs per statuta Prouincialia aut Synodalia promulgatis, seu (vt verbis eorum vtamur) à pœna & culpa absoluere quenquam præsumpserit, excommunicationis incurrant sententiam, ipso facto, per sedem Apostolicam duntaxat absoluendi, quos etiam locorum Ordinarij (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publicè nominari, donec de absolutione eorū, eis fuerit facta fides, nullo religiosis eisdem super hoc priuilegio suffragante.

187. Pro cuius decreti confirmatione facit, quod Gregorius Decimustertius habita congregatione Cardinalium, de sententia Congregationis consultationi Archiepiscopi Mediolanensis censuit respondendum, Regularibus ex facultatibus per mare magnum, aliaue priuilegia eis concessa, non esse potestatem absoluendi, in casibus sibi ab Episcopo reseruatis.

Vide Enchiridion Fœliciani de Censuris & irregularitate tit. de excommunicationibus Episcopalibus, pa. 75.

188. Quamuis Superiores regularium pro suorum subditorum

ditorum confessionibus audiendis Confessarios deputare possint, neminem tamen deputēt, nisi quem seu per se, seu per alium idoneum examinauerint, omnibusque quę ad Confessarij munus ritè obeundum necessaria sunt, sufficienter instructum esse cognouerint.

189. Præter ordinarium sanctimonialium Confessarium, bis aut ter in anno offeratur eis extraordinarius, ab Ordinario loci deputatus, aut saltem approbatus, qui omnium confessiones audire debeat, aut cui saltem omnes præsentare se debeant, & confiteri quæ voluerint. *Conci Prou. sub Herm. 5. ca. 8, par 10. pag 396. Conci. Prou. sub Adol. 3. anno 1549. celebratum, pa. 455.*

190. Quam Confessionis libertatem, à virorum Monasterijs prorsus excludendam non putamus: sed vel similiter probum ac doctum virū, ad monasteria hoc nomine esse accersendū; vel religiosis qui hoc petierint, bis aut ter in anno, vt talem eius rei gratia conueniāt permittendū.

191. Monialium Confessarij ordinarij, seu Rectores, ne careant iurisdictionis potestate; legitima auctoritate instituantur, & ab Episcopo approbentur: sintque viri graues ac tales omnino, qui inter sponsas Christi, personā Christi gerant, atque officium præstent; nihilq; prætermittant, quod ad vitam sponsis Christi dignam, rectè formādam expedire cognouerint. Caueant vt sint eis familiares, solique cum solis prandeant, bibant, aut loquantur. Munuscula verò aut eis dare, aut ab eis accipere sibi arbitrentur esse indignum, tantumque authoritati suæ decedere, quātum in his se demittunt. In reliquis porrò statutis Hermāni 5 parte 10. cap. 8. alijsque decretis illos tangentibus sese conforment. *Ca. qui religiosis, 18. quæst. 2.*

192. Confessarius sanctimonialiū, quæ ex Monasterijs suis per Hæreticos sunt expulsæ, vel aliàs legitima authoritate extra Monasterium suum degunt, eas non absoluat, nisi capitis saltem sui integumentum, ex regulæ ac Ordinis sui præscripto gerant; ac reliquo habitu humilitatē ac contemptum sæculi præ se ferant. Cogant etiam eas ac consilijs iuuent, vt silentiū, solitudinem, fugā sæculi, ieiu-

nia Ordinis, paupertatem, ac sub idonea persona obedientiam, & reliqua Ordinis substantialia, ac peculiaria vota, quantum in ipsis est custodiant, habitationem etiam suam, si non in monasterijs, saltem non apud vanos ac sæculares, aut etiam apud coniugatos homines, sed apud religiosos & Deum timentes habeant, qui eas etiam authoritate, & reuerentia sua in officio continere poterunt.

193. Nihil tam debet esse proprium religioso, quàm pacem habere cum Deo, & in eius solius adiutorio habitare perpetuò. Quare omnes, etiã Laici seu Conuersi, quos vocant, & quotquot religionis habitum gerunt, si non frequentius, singulis saltem mensibus, & celebrioribus, præterea Christi, B. Marię, nec non pręcipuorum Sanctorum Ordinis, Diœcesis, atque Ciuitatis quam incolunt, Patronorum festiuitatibus, Confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; vt eo salutari præsidio, non tantùm se muniant, ad omnes Dæmonis oppugnationes fortiter superandas; sed & se Deo amicos faciant. Atque quod eis præcipuè incumbit, tanquã Noë, Iob, & Daniel, aduersus omnes ingruentes populo Dei afflictiones, ceu firmissimas arces sese opponant, & contra inflictas ac iam immissas calamitates, tãquam strenui expugnatores excurrant. Quod nunc eo maiori contentione faciendum est, quo quotidie magis magisque augentur afflictiones.

194. Ministri altaris qui non sunt Sacerdotes, non tantùm singulis mensibus, alijsque festiuitatibus, sed singulis etiam diebus Dominicis, secundùm cap. 2. statutorũ Conradi, corpori Christi communicent. Decet enim eos, qui ad Sacerdotium aspirant, & Sacerdotes facti, quotidie sacrificium Missæ facturi sunt, vt frequentiori corporis Christi communione, sese ad hoc comparent atque disponant. Pag. 15. c.

195. Alijs porrò diebus non tantùm festis, quando hoc omnibus Christianis præceptum est, sed diebus quoque feria-

ferialibus, singuli religiosi hora conuenienti, à Præfecto eis assignanda, Missæ sacrificium audiant, & qui in hoc negligentes inuenientur, salutari afflictione puniantur, & admoneantur, quod parum religiosi sint, quamdiu ad hæc cogi debent.

196. Cùm quædam sint Virginum Monasteria, vbi diebus festis, quando omnes Christiani tenentur Missæ officium audire, subinde à nullo Sacerdote sacrificium fiat, partim negligentia Sacerdotis, qui ad hoc tenebatur, partim ob temporum iniquitatem, quod redditus, & piæ fundationes, quæ in hunc vsum seruiunt, non soluantur: nos quod ex officio, cura, & auctoritate nostra erit, nihil prætermittemus, vt quemadmodum iam diu incœpimus, fundationum solutionem, quæ ex publico Ecclesiæ ærario debetur, quantum possumus, promoueamus. Interim sanctimoniales virgines, & earum Præfecti suo non desint officio. Et si quis Sacerdos annuam fundationis solutionem, pro Missarum officio percipiens, officium sũ præstare neglexerit: quemadmodum in Lateranensi Con Cap. 9. cilio de his qui horas Canonicas non recitant, definitum est; pro rata omissionis officij, fructus suos non faciat, sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricam ipsius beneficij restituere teneatur, & tantundem in pœnam neglecti officij, in eosdem vsus erogare. Si autem negligentia officij ex defectu solutionis sit, atque monasterij paupertas nouos sumptus, donec fundationis solutio fiat, facere non possit; non erubescant eius Monasterij Moniales spiritualem emendicare Eleëmosynam. Et si quos nouerint Sacerdotes, qui non tenentur diebus festis ex officio sacrificium Missæ offerre, aut non certo loco id facere; eosdem aut per se, aut per alios inducant, vt in suo Monasterio hoc facere velint. Qua ratione occasio esse poterũt, vt Sacerdotes, qui aliàs non fuissent sacrificaturi, sacrificent. Habituræ idcirco, præter refectionem internam, ac sacrificij virtutem, etiam meritum studiosæ voluntatis,

satisfaciendi Ecclesiæ præceptis,& boni operis sacerdotis sacrificantis.Idem pro habenda concione faciant, si eam alio modo habere non possint.

Vide D.Gregor.in 40 ca. Iob li 33.Moral.ca 19. & 20.vbi explicat hæc verba, Nerui testiculorũ eius perplexi sunt.

197.Admonitos hîc esse volumus, quosdam vtriusque sexus regularium Præfectos,& Præfectas, ne plus satis pro imperio agentes,magis dominari videantur patientiæ & obedientiæ subiectorum suorum, quàm ad ædificationẽ & promouendam suo regimine illorum salutem, illis prodesse,eosue ad præstanda Ecclesiæ præcepta iuuare;ne gando aut non dando eis diebus quibusdam festis requiẽ ab operibus externis,vt Missam audire possint,perindeac si Ecclesiæ præceptum eorum cedere deberet voluntati, vel obedientia non ad sanctam bonæ directionis vtilitatem,& ad commodum atque salutem subiectorum, canonicarumque sanctionum perfectissimam facillimamq; consummationem,sed ad dominandi libidinem oblata esset:vel certè,nisi determinatio in prẹcepto sit,vel distinctio à Legislatore facta, eos errare pronunciamus; si Ecclesiæ præceptum Christi fideles minus ad hos, quàm ad illos dies festos colendos obligare arbitrentur, eò magis quod non illa tantùm,quæ præcepti sunt, sed & quæ consilij atque supererogationis à religiosæ perfectionis studiosis, & præcipuè ab huius vitæ directoribus, seu ducibus summa cum perfectione adimplenda sint, non ob studium duntaxat religiosæ perfectionis, sed & ad aliorũ, qui in sæculo viuunt,exemplum & incitamẽtum; ne pro eo quod in caput esse deberent, in caudam fiant, & damnentur ab ijs, qui cùm status perfectionis professionem non assumpserunt,perfectius tamen & religiosius multo Ecclesiæ præcepta obseruant,quàm ipsi qui obseruatione præceptorum non contenti , ad supererogationis opera præstanda,se sollemni professione deuinxerunt,& religiosi nomine gloriantes, in nuda perfectionis professione requiescunt.

198. Sicut apud religiosos frequentior quàm apud homines

mines sæculares debet esse corporis Christi communio, ita frequentior apud eos debet esse exhortatio, per quam cognoscant, quantumcunque in via perfectionis proficiant, semper tamen sibi supereſſe quod quærant (ne, vt ait D. Leo) ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum. *Serm. 2. de quadrages.*

199. Quia verò aliter docendi sunt religiosi, aliter sæculares, nec ea quæ regularibus dicenda sunt, his qui à mundo longè recesserunt, conueniunt: volumus vt omnes exhortationes, quæ ad regulares tam viros quàm mulieres fient, ad perfectionem vitæ regularis, quàm maximè ducant. Nempè vt omnes intelligant, quis sit scopus vitæ regularis, & in quibus illa consistat, quid regula quã professi sunt, quid suæ professionis perfectio, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sint alicuius regulæ & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectiuè essentiam, nec non ad communem vitam, victũ & vestitum conseruanda pertinentia, ab ijs requirant: quibus illa modis lædantur, & violentur, quibus contra quàm facillimè obseruentur: quid in his Præfecti subiectis, & quid contra subiecti debeant Præfectis: Quàm multos religiosos videre est, qui huius rei negligentia, in religione non tantùm non profecerunt, sed a primo feruore prorsus defecerunt: qui meritò dicere possunt, quãti sunt inter sæculares, qui audiendis sacris concionibus, quotidie panibus verbi Dei saturantur, nos autem hîc fame perimus. Singuli igitur religiosorum Præfecti, curent, ne subditi sui hac in parte sæcularibus infeliciores sint, sed singulis septimanis minimum semel, aut per ipsos, aut per alios idoneos reficiantur, & excitentur.

200. Iudicam⁹ quoq; expedire, vt huiusmodi exhortationes, vbi cõmodè & sine magna populi offẽsione fieri id poterit,

terit, clausis fiant ostijs, omnibus omnino sæcularibus exclusis, aut ijs tantùm ex speciali fauore admissis, qui ad regularis vitæ institutum aspirant. solent enim homines carnales ex huiusmodi concionibus paruum capere fructum, eo quod spiritualia non percipiant, sed fastidiant potius: & quę summę sapientiæ sunt, summæ arbitrentur esse stultitiæ, ideoq; despectui habeant, quod pio Concionatori non potest non graue ac permolestũ esse, eiusque linguam dicendiq; libertatem, magna cum diminutione existimationis ipsius, & audientium regularium incommodo, tardiorem atq; impeditiorem facere.

1. Cor. 2.

201. Huic rei accommodata esse debet lectio, quæ tẽpore prandij et cœnæ, secundùm regulam ac statuta obseruanda est. Itaq; non legatur hic aliud, quàm quod ad excitandum, instruendum & reficiendum religiosorum spiritũ, omnium iudicio idoneum, ac efficax habetur, quodq; auditores præcipuè dirigat ad scopum, quem sibi Ordo peculiariter præfixum habet. Libri profani profanis relinquãtur, & vnà cum auctoribus suis perpetua clausura à monasterio arceantur.

202. Ne quando lectionis tempore obrepat lectio, quæ non ædificet; vtile foret, vt in Capitulo generali definiretur, qui libri, pro ratione temporis per omnia totius Ordinis monasteria, refectionis tempore, aut semper, aut in certum tempus legẽdi essent. Quod ad vnitatem Ordinis ac animorum conspirationem non parum conferet.

203. Lectio hæc facilis sit, & quæ etiam incipientibus vtilis esse possit; nam cùm sub ea etiam corporis habeatur cura, si difficilis fuerit, & intentam valde auditoris requirat attentionem, exiguo cum fructu audietur.

204. Non tantùm vbi Sacerdotes & Clerici reficiũtur, hæc lectio fiat. Sed etiam vbi religiosi laici, seu conuersi sese reficiunt. Aut si eodem cum sacerdotibus loco reficiantur, sub finem aut initium refectionis, ex pio aliquo Germanico libello, vnũ caput, aut saltem pars capitis legatur,

gatur, vnde illi spiritualem aliquam vtilitatem capere queant.

205. Nec verò publicè tantùm, sed & priuatim singuli religiosi à Superioribus suis in spiritu mansuetudinis & lenitatis, quotiescunque eius rei poterit esse occasio, admoneantur, & qua ratione seipsos ac vitia quælibet, tentationesque suas superare, atque aduersa patienti constātique animo valeant perferre, instruantur. Cuius rei licet probationis, ac sacri tyrocinij tempore firma iacta fuerint fundamenta, non tamen in ædificium perfectum cōsurget hoc opus, nisi architectus, ea quæ superædificantur frequenter inspiciat, ac sicubi erratum esse deprehenderit, sollicitè emendari curet.

206. In Monasterijs vbi consuetudo fuit, aut alias ex regulæ vel statutorum Ordinis præscriptione obseruari deberet, vt religiosi Sacerdotes vicissim diebus Dominicis & festis, habeant ad fratres suos exhortationem; id sine vlla exceptione vel excusatione nunquam intermittatur. Et vt res tanta non vilescat ac cōtemptibilis fiat; nullus hinc absit aut auocetur, multo minus quàm à prandio, aut cœna. In quem finem nola quæ ad Monasterij portam est, hoc tempore, non minus quàm tempore prādij aut cœnæ impedita sit, & porta Monasterij ne quis ingredi possit, clausa. Ipseque Præfectus, rem se dignam intelligat, non habita ratione dignitatis suæ, hic inter fratres suos, Sacerdotes, Diaconos, & Clericos, imò inter Laicos & Conuersos Monasterij sui, ab initio vsque ad finem, attentum ac beneuolum se frequentissimè exhibere auditorem.

207. Cùm iuxta Apostolicam doctrinam, & Catholicæ Ecclesiæ definitionem, nullus ad verbi ministerium seu prædicationis officium currere debeat, antequam vocetur, & legitima authoritate mittatur; nullus regulariū cuiuscunque fuerit Ordinis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare ausit, nisi à suis Superioribus de vita, mori-

Conci. Prou. sub Herm. 5. part. 4. ca. 5. & 6. Rom. 10. Hebr. 5. Conci. Late-

vanense vlti. sess. 11. de modo prædicandi. moribus, & scientia examinatus, & approbatus fuerit, ac prędicandi licentiam acceperit, & cum eadem se antequã prædicare incipiat, personaliter se coram Episcopo præsentauerit, ac ab eo benedictionẽ obtinuerit. In Ecclesijs verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam Superiorum suorum, etiam Episcopi licentiam habeat, sine qua in huiusmodi Ecclesijs se nullo modo prædicare posse, Canonicæ sanctiones declarant. Hanc verò licentiam ab Episcopo non obtineat, nisi eidem ac Synodalibus statutis, vt in Concilio Prouinciali, sub Hermanno 5. ca. 11. & 12. parte 4. decretum est, obedientiam promiserit, quam vt præstare possit, statuta Synodalia habeat, eaq; frequenter legat. In quibus reliqua quæ ad religiosi Concionatoris officium pertinent, præscripta inueniet. Inter quæ præcipuè illi tenenda sunt, quæ VVilhelmus in Constitutione, Anno 1356. postridie Dominicæ *Inuocauit* ædita, c. 13. pa. 166. & Concilium Prouinciale sub Hermanno 5. parte 7. cap. 13. 15. 16. & 17. requirunt.

Concil. Vien. cle. dudum, ca. de sepult. C. excommunicamus §. Quia verò, de hæreticis.

208. Eadem habeatur à Superioribus ratio, circa religiosos, quibus ad sacros Ordines suscipiendos facultatem impertiuntur, vbi non tantùm de scientia, & incorruptæ vitę exemplo, sed & de legitima ætate cognoscere debent, quo in genere frequẽter illos contra Constitut. Pij II. quæ incipit: *Cùm ex sacrorum*; peccasse compertum est.

Refert eam Nauarrus Enchirid. ca. 25. num. 70. & f. Felicianus Episcopus Scalensis in Enchirid. de irregularitatib. ca. 14. de susp. pag. 254. Ca. Cùm ex eo de pœnit. & remiss.

209. Religiosi qui officio colligendarum eleëmosynarum emittuntur, quos statuta Synodalia Terminarios vocant, sint viri graues, ætate, & vita maturi, qui elapso termino, mox Monasteria sua repetant. Post illum verò diem, atque aliàs extra tempus, vel à iure vel maiorũ consuetudine, ad petẽdas eleëmosynas eis determinatum, parochialium Ecclesiarum & Capellarum Rectores, ad petendam Eleëmosynam in parochijs suis (prout exigit statutum Hermanni 4. §. 35. pag. 276.) eos non admittant, nisi de Ordinarij licẽtia, quam specialiter eis ad hoc in scriptis habere & exhibere, eiusque Ordinationem quam eis forsi-

forsitan præscribet, in colligenda Eleëmosyna obseruare volumus.

210. Cùm quædam sint Monasteria, quæ subiectas vel incorporatas sibi habent Ecclesias parochiales, quibus Monasteriorum Prælati aut Præfecti, idoneum virũ prouidere tenentur, qui animarum ei Ecclesiæ subiectarum curam suscipiat; atque is in ijs, quæ ad dictam curam seu Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita, subsit; exceptis Ecclesijs in quibus Abbates, aut alij religiosorum Superiores, iurisdictionem Episcopalẽ & temporalem in Parochos ac parochianos exercẽt: nullus siue regularis, siue sæcularis eiusmodi curam suscipere aut gerere audeat, qui non primò ab Episcopo aut eius Archidiacono examinatus, atque ad prędictam curam admissus fuerit, eiusq; admissionis testimonium in scriptis obtinuerit. Illud verò non detur, nisi vt paulo ante de admissione ad munus concionandi dictum est, hæc & alia statuta Synodalia habuerit, eisque & Episcopo obtemperaturum; ac censuras & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinario promulgata, mandante Ordinario, atque ieiunia, ac dies festos Ecclesiæ, & Diœcesis, vbi residebit; in sua Ecclesia promulgaturum ac seruaturum promiserit.

Qui religiosi 18. *qu 2. Henricum in stat. an. 1310. ca. 12. pag. 81.*

211. Malumus tamen, ex sententia Concilij Prouincialis, quod sub Hermanno Quinto habitum est, religiosos *a* perpetuò in Monasterijs suis degere, & Ecclesias parochiales, etiam eas, quæ Monasterijs eorum vnitæ, seu incorporatæ sunt, idoneis Sacerdotibus *b* sæcularibus regendas committi, cum *c* assignatione portionis fructuum, vel alioqui largitionis iusti, & digni stipendij, seu honorarij, q̃ ad vitam pastoris, seu Ecclesiæ parochialis, Rectoris, honestè & decenter agendam, pro locorum & personarum conditione, iudicio & arbitrio Ordinarij sufficiat.

a C. Placuit. c. Nemo, c. De Monachis. *etc 16. qu. 1 Gregor. Magnum, li. 3. epist. indict. 12 ca 11.*

b *Conc. Prou. sub Herm. 5. parte 4. c. 18. & c. 1. de Capellis Monac.*

c *Adolp. 3 in mãdato quod incipit* Quãquam diuinis legibus *publ in Synodo ann. 1550. fer. 5 post Remig p. 513 a.*

& c. 5 sess. 7. Conc. Trid. anno 1551. fer. 2 post Dom. Inuocauit, in Synod. Diœces. publ pa. 5: 1. c. d *& cap.* De monachis *atq; c.* Extirpandæ *Tit. de præbend. & dignit & c. 1. eodẽ tit in 6. Cõc. Prou. sub Adolp. 3. De officiorũ perfunctione.* Medio tertio. *c. de cõpetentia iusta a Rectoribus Ecclesiarũ assignanda p. 437. b. e.*

212. Vt religiosi, si qui Ecclesijs parochialibus aliquando præficiendi erunt, perfectius cognoscant, quæcunque ad salutem animarum in Synodis decernuntur: decernimus etiam eos, ad Diœcesanam Synodum, vel ad Capitula Decanorum ruralium ac pastorales Synodos, in quibus Synodi Episcopales publicantur, esse conuocandos & cogendos.

213. Qui semel præsentati, & ad curam animarum admissi fuerint, non nisi causa legitima, quæ Ordinario loci, vt eius habeatur consensus, exponenda erit, ad monasterium retrahatur: cùm, vt inquit Prouinciale Conciliũ sub Hermanno 5. ca. 13. parte 4. quia periculosa est frequẽs personarum mutatio; tum quia sæpe minus idonei inidonei locum surrogari solent.

De statu Monachorum, c. Quod Dei.

214. Qui propter huiusmodi curam extra Monasteriũ suum habitare cogitur, si commodè fieri poterit, habeat vnum ex fratribus suis socium, sibi cohabitantem, qui ei sit regularis vitę testis, & cuius consortio ac solatio, in his quæ Dei sunt, ac regularis vitæ perfruatur.

215. Quæcunque Religiosus Ecclesiæ parochiali Præfectus, vel ex piorum oblationibus, aliisque eleëmosynis, vel pastoralibus iuribus, aut fructibus, acquirere potest, ea omnia excepto parco victu, & vili vestitu, prout religiosam paupertatem decet, cedant Monasterio, ex quo emissus fuerit, eique si à proprietatis crimine velit esse liber, fideliter omnia tradat.

216. Quod si aliquando religiosorum aliqui ad suscipiendam animarum curam, extra prouinciam erunt mittendi; eorundem Prælatis aut Superioribus præcipimus, vt in literis obedientiæ, quas super hoc eis tradituri sunt, illis iniungant, vt Ordinario loci in prædictis omnibus satisfaciant, nihilque sine eius permissu & approbatione, in his, quæ ad animarum curam spectant, tentare audeãt, sed per omnia eius directioni, correctioni, Synodalibusque loci illius statutis pareant, ac sese conforment, nihilque

que quod cedat in iniuriam, aut præiudicium, pastorum committant.

217. Ne quis sit, qui curam pastoralem susceperit & exerceat, & ab Episcopo aut eius Archidiacono non sit admissus; ideoque necessaria in hoc munere destitutus iurisdictione, nullam habeat in administrandis Sacramentis potestatem: iniungimus omnium religiosorum Superioribus, qui Ecclesias parochiales monasterijs suis subiectas habent, in quibus Episcopalem & temporalem in parochos & parochianos non habent iurisdictionem, vt Sacerdotes, siue Regulares siue Sæculares fuerint, curam pastoralem in huiusmodi Ecclesijs exercentes, qui non fuerint ab Episcopo aut eius Archidiacono admissi, quàm primùm hoc præstare curent, qua in re si negligentes fuerint, officio priuentur. Idem, eadem obligatione, curent quoque reliqui religiosorum Præfecti, qui licet Ecclesias parochiales monasterijs subiectas non habent, subditos tamen habent curam animarum, sine requisita admissione exercentes.

218. Ne religiosi extra Monasterium emissi, leues atque instabiles videantur; ac sine causa, inuiolabilis hospitij iura violare, si de domo in domum transeant; & ne contemnatur eorum prædicatio, si ad hospitem declinauerint, qui non sit bonæ existimationis: idcirco si in ciuitate aut pago ad quem proficiscuntur, non sit Monasterium aliquod virorum religiosorum, aut Xenodochium, vel honestus aliquis locus publicus, ad quem se conferre possint; diligenter in loco vnde abituri sunt inquirant, in quam domum, in proxima ciuitate, vel loco, adquam tendunt, bonorum virorum existimatione ingredi debeant; & si possint, ad eius dominum vel inhabitatorem litteras commendatorias impetrent. In quatamen re nolumus eos nimis esse anxios aut sollicitos, neque diuinæ prouidentiæ præscribere leges, aut illorum in Deum fiduciam minuere; sed, vt temeritatis excludamus præsumptionẽ,

occasionem damus prudentiæ, atque repetimus formam à Saluatore nostro Apostolis præscriptam, eamque Apostolicis viris proponimus imitandam. Illis quippe dictũ est. *In quamcunque ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & quamcunq; domum intraueritis, ibi manete, donec exeatis inde.*

Matth. 10. Luc. 10.

DE EXCESSIBVS REGVLARIVM.

Concil. Trid. sess. 6. c. 3. ab Adol. 3. instaut. Synodi ann. 1551. promulgatis, pa. 323. b.

219. Si quis Regularium aut cum fœminis familiariter & reprehensibiliter habitauerit, vel alia ratione extra Monasterium suum degens deliquerit; nullius priuilegij Ordinis sui prætextu tutus censeatur, quo minus ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundùm Canonicas sanctiones, visitari, puniri, & corrigi valeat.

220. Qui verò in Monasterio degere solitus, ita deliquerit vt populo scandalo sit, & Episcopo instante intra tempus ab Episcopo præscriptum, digna pœna à suo Superiore non fuerit affectus; Superior suo priuetur officio, & delinquens ab Episcopo puniatur.

DE APOSTATIS, INOBEDIENTIBVS, ET Ordinem mutantibus.

221. Quia Regulares de vno ad alium Ordinem translati, facilè à suo Superiore licentiam standi extra Monasteria obtinere solent, ex quo vagandi & Apostatandi occasio tribuitur: declaramus quod nemo cuiuscunque Ordinis Prælatus vel Superior, vigore cuiusuis facultatis, aliquem ad habitum & professionem admittere possit, nisi vt in Ordine ipso ad quem transfertur, sub Superioris sui obedientia, in Claustro perpetuò maneat, ac taliter translatus, ad quæcunque beneficia sæcularia, etiam curata incapax existat.

222. Licet

222. Licet nihil sit quod Ecclesiæ faciem magis hac tempestate deformet, eiúque maiora afferat incommoda & detrimenta, quàm Apostatarum à sacra religione multitudo, eorumque impura vita, impiaque contra religiosorum Ordines ac Ecclesiã Catholicam studia: inueniũtur tamen multi Prælati & Superiores, quorum cõniuentia, facilitate, vel etiam nimia austeritate, huiusmodi Apostasiæ contigerunt, qui ocioso viuunt animo, & super interitu commissarum sibi animarum, nullo intrinsecus dolore tangi videntur. Quam periculosam securitatem, nos eò magis dolemus, quod vt intelleximus multi Apostatarum Ecclesias obtinent parochiales, easque tanquã veri Pastores administrant, vel alias tanquam sæculares presbyteri, ea quæ ad curam animarum pertinent, exercent. Qua in re licet Decanorum ruralium, seu Archipresbyterorum, & Archidiaconorum, quibus his incumbit superintendere, & hæc præcauere, desideretur vigilantia: non minus tamen religiosorum Prælatos, culpandos censemus, qui oues perditas non requirunt, quas vt ad Monasterium suum ob iustas causas recipere nolint, saltem à cura pastorali, per quam innumeræ animæ ob iurisdictionis defectum, in interitum mittuntur, per Decanos & Archidiaconos, in quorum regiunculis huiusmodi curas obtinent. (qui etiam post adhibitam diligentiam hæc ignorare possunt) eos amoueri curarent. Quare per obtestationem Diuini iudicij, singulos vtriusque sexus Monasteriorum Superiores monemus, vt nihil intermittant, quod ad reducendos fugitiuos Monasteriorum, quibus præsunt, facere posse arbitrabuntur; ac in recipiendis quidem eis, ita disciplinæ mensuram temperent, vt nec disciplinam sine misericordia, nec misericordiam sine disciplina reliquisse videantur. Vt autem cognoscant quantum hîc debeant, ante eorum oculos perpetuò versetur historia, quam de Sancti Ioannis Apostoli sollicitudine, & flagranti in fugitiuum adolescẽtem

Adol. in stat. an. 1549. pag. 445.

Adolp. ibid. pa. 446. d.

Secundùm antiquam editionem est cap.23.

tem charitate, ex Clemente recenſet Euſebius, lib.3.ca.17. quò eos remittimus.

223. Vt manifeſtum fiat quo ſtudio Religioſorum Præfecti, ſuo hîc ſatisfaciant officio, & quid faciant Archidiaconi, & Archipreſbyteri, quibus ex officio incumbit Apoſtatas Eccleſiaſticis cenſuris, & ſi eas contemnant, brachio ſæculari perſequi, & ad repetenda monaſteria ſua cogere & impellere: mandamus ſingulis vtriuſque ſexus religioſorum Superioribus, vt infra menſem exhibeant nobis aut Ordinario inſcriptis nomina ſingulorum Apoſtatarum ſui Monaſterij, adhuc ſuperſtitum, ſimul & habitationis locum, vbi degunt, ſi eum cognoſcere poſſint; nec non & tempus annotent, quamdiu in Apoſtaſia fuerunt. Idemque de illis faciant, qui licet Apoſtatę non ſint, inobedientes tamen vel ſine legitima authoritate, extra Monaſterium hærent.

Adol. in ſtat. ann. 1549. p. 447. a.

224. Si qui ſint, quos vel propter ſcandalum, vel aliam iuſtam cauſam, in Monaſterium vnde exierunt recipere non fuerit conſultum: illi vel mittantur ad aliud eiuſdē Ordinis Monaſterium, vel ad ingrediendum ſtrictiorem Ordinem inducantur.

225. Si autem nullatenus potuerint induci, vt reſipiſcāt, aut toties offenderint, quod ſecundùm regulam aut ſtatuta Ordinis non eſſent recipiendi: caueant tamen Prælati quantum in ſe eſt, ne extra Monaſteriū relicti, populi ſint ſeductores, vt ne criminis huius ſint participes, ſi quod impedire poſſunt non impediant. Quare expediret potius vt ſub graui cuſtodia perpetuò incarcerarentur, quàm vt in ſæculo relicti totam Eccleſiam perturbent, & per omnium vitiorum præcipitia, ad maiorem ſuam aliorumq; damnationem liberi dimittantur. Forſitan enim hæc aſpera & dumoſa, ſed breuis pœnitentiæ ſolitudo, eos perducet ad beatam refrigerij manſionem, qui relicti in voluntatis ſuæ latitudine, certò deijciendi erant in abyſſum æternæ damnationis.

De Apoſtatis c. à nobis.

Conc. Tolet. ca.6. in fine.

226. Eos

226. Eos verò qui, vt ne apprehendi possint,& monasterijs suis restitui,ad hæreticos aut schismaticos confugerunt,vt sub eorum protectione & tutela lateant, in vicinis Catholicorum locis censemus cautè & diligenter esse obseruandos,vt si quando aut sui obliti, aut de negligentia Prælatorum suorum confidentes,eò sese ad tempus conferant,ibidem præter expectationem suam apprehendantur,ac monasterijs suis restituantur.

227. Idcirco vestigia Adolphi 3. Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopi sequẽtes,perauthoritatemDomini nostri Iesu Christi, cuius causã agimus,requirimus Christianos Principes,Magistratus seculares, &quotquot potestatem coercendi malos habent, omnes vt suoministerio ad laudem Dei,& Ecclesiæ salutem perfungentes, obstinatos Apostatas & sanctimoniales, in suis sordibus & rebellione hærentes,seductores quoque fidelis populi,eis indicatos, potenti manu capiant, tradantque suis Superioribus aut Monasterijs,pœnitentiæ salutari submittendos.

228. Porrò in vsum reuocantes, quæ ab Adolpho tertio, alijsque Ecclesiæ Colonienſis Archiepiscopis ad pœnam Apostatarum & inobedientium decreta fuerunt: præcipimus,ne quis cuiuscunque status vel conditionis fuerit,posthac monachos vel monachas fugitiuos, & extra Superiorum suorum obedientiam vagantes, quos nouerit veridica aliorum relatione, aut Superiorum testimonio, vel alio quouis modo esse tales, recipere, fouere,aut adSacramẽta vel Ecclesiastica ministeria admittere ausit,sub pœna excommunicationis,quam ipso facto incurrant.

Adol. in censuris & decretis latis in Synodo ann. 1549. 6. Aprilis habita pagina 443. d. & in stat. Synodi anno 1543. 2. Octobris peractæ. pag. 416.

229. Ipsi quoque Religiosi, cuiuscunque authoritatis & eminentiæ fuerint, cum Religiosis Apostatis, & inobedientibus,sub eadem pœna non communicent,nisi quatenus eos conuertant,& ad pœnitentiam inducant.

230. Religiosi qui authoritate litterarum Apostolicarum, vel dispensatione in curia Romana, aut à Legato

vel Nũtio Apostolico obtẽta, prętexũt, se extra monasteria sua posse manere; nullũ ex huiusmodi litteris sentiãt patrocinium, nisi ab Ordinario loci & suis Superioribus fuerint examinatæ, & approbatæ. Aliâs verò illos, haud secus quàm notorios Apostatas haberi, vitari, à magistratu sæculari capi, & Superioribus suis cum rebus omnibus quas habent tradi volumus, prout ante nos hoc fieri voluit Adolp. 3. in statutis Synodi Anno 1549. sexta Apr. habitæ p. 447. c. d.

Lib. 6 Ne Cler. vel Monach. c vt periculo sa. Adolp in statutis ann 1549 p 444 d.

231. Cùm Apostatæ ob pœnam excommunicationis, quam in Apostasia sua incurrunt, tanquam abscissa à corpore membra, nullum ex communibus Ecclesiæ & Ordinis sui orationibus alijsque meritis habeant fructum; sed traditi sint Sathanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus fiat: censemus peculiaribus orationibus in hoc eos esse adiuuandos, vt det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscãt à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipsius voluntatem.

2. Timoth. 2.

232. Qua in re præcipua Superiorum debet esse virtus, & potentia: quos orationis vsu & experimento, ita decet esse familiares Deo, vt quod admonitionibus, correptionibus, & castigationibus alijsque modis, à rebellibus & obduratis subditis obtinere non poterant; hoc à suo & eorũ Domino orationis instantia atque prærogatiua, se obtinere posse confidãt. Quare cũ sine intermissione omnia sua opera ab oratione incipere, oratione perficere, & consũmare debeãt: tũ maximè, vbi post omnia quæ adhibẽda erãt remedia, nihil se proficere vidẽt, orationibus & ieiunijs, alijsq; corporis castigationibus, se tãto magis corã Domino humilient, quanto magis subditos suos contra se ac Deum, cuius personam gerunt, superbiæ spiritu altius erectos vident; eumq; instanter ex totis præcordijs suis orent, vt portas æreas obduratorum cordium conterat, & vectes ferreos rebellium voluntatum confringat, atque glorioſos terræ humiliet, & ad se conuertat.

DE CA-

DE CAPITVLO DISCIPLINAE AC *Capitulis prouincialibus, nec non de Visitatione, & cætera.*

233. Ad corrigenda verò quæ aut negligentia, aut infirmitate vel etiam malitia contra regulam & sacras constitutiones perpetrata sunt; nihil tam efficax, nihilque tam accommodatum, quàm Capitulum disciplinæ, & quæ in eo ex charitate fieri debent proclamationes. Si igitur alicubi huiusmodi Capitulum neglectum iaceat, aut si rarius quàm regula aut statuta præscribunt, obseruetur; vel si quid, quod ad primam eius formam & institutionem pertinet, in eo desideretur; id omne Præfectorum aut Superiorum vigilantia, cura, & sollicitudine, quàm primùm emēdetur. Qui si vel in hac, vel in quauis re alia, ad se pertinente fuerint negligentes, aut remissi in visitatione, & in Capitulis Ordinis generalibus, aut prouincialibus, vigilanter corrigantur.

234. Cæterùm, quoniam & in celebrandis prouincialibus Capitulis, & in visitandis monasterijs, temporum varietate & perturbatione quædam neglecta, quædam perturbata, & extra suum ordinem sunt constituta; vt certus hic ordo restituatur, & quæ neglecta sunt, magna diligentia obseruentur: volumus vt monasteria omnia, quæ generalibus Capitulis aut Episcopis non subsunt, infra annum à præsenti constitutione, & deinde quolibet triennio, sese in congregationes redigant, iuxta formam constitutionis Innocentij tertij, in Concilio generali, quæ incipit: *In singulis*; olim hic à Sifrido ca. 3. statutorum eius publicatam. Quod si in his negligentes fuerint, nisi nobis aut Ordinario loci omissionis huius causam, infra annum exposuerint, excommunicationis sententiam contra tales a Sifrido latam, incurrant. Pag. 36. d.

35. Et quoniam lata est hæc Diœcesis, & admodum multa in ea sunt monasteria, curæ Archiepiscopali subiecta;

subiecta; quò eorum maior possit haberi ratio, & facilius ab Archiepiscopo eorum curæ superintendi: committimus Reuerendissimi Archiepiscopi, in Pontificalibus Vicario, vt adiunctis sibi viris consilij, Diœcesin Coloniensem in certas regiones distinguat, prout monasteria, quæ curæ Archiepiscopali subsunt, requirere videbuntur, ac singulis regionibus singulos præficiat visitatores, viros Deum timentes, potentes ad docendum, & eos qui contra dicunt redarguendum; nec minus in rebus spiritualibus versatos, quàm in temporalibus prudentes, quibus incūbet singulis annis, singula monasteria, eorum inspectioni committēda, visitare, & quæ in eis correctionis & reformationis officio viderint indigere, authoritate Archiepiscopali corrigere & emendare. Facta autem visitatione ad Reuerendissimum in Pontificalibus Vicarium (cuius auctoritati in omnibus quæ ad hoc munus pertinent, eos volumus esse subiectos & obedientes) statum singulorum monasteriorum perscribent, & si Rectorem aut Rectricem loci cognouerint ab administratione penitus amouendum, vel si quid aliud magnæ difficultatis ab eis fuerit deprehensum, id eidem denunciabunt, vt is re cum Archiepiscopo communicata, quid facto opus sit pronunciet.

236. Vt Visitatores in visitatione, ea quæ sui erunt officij rectè & commodè præstare valeant, habebunt domi suæ regulam Ordinis & professionis, nec non fundationem, & statuta domus, quam visitaturi sunt, vnà cum charta in postrema visitatione monasterio relicta; eaque omnia paulo ante tempus visitationis diligenter expendant, vt visitationem secundùm hæc ipsa instituere, & visitandos reformare valeant. Quod si in regula aut statutis aliquid aduerterint, à recta ratione discrepare, aut iuri communi repugnare, hoc corrigant aut expungant.

237. In ipsa autem visitatione, hunc teneant ordinem, vt se-

vt seiunctim singulis tam Superioribus quàm subiectis, regulam per capita & numeros distinctim proponant, & an singula illa obseruentur inquirant, & ad eadem petant responsionem, quæ aut aiat aut neget, & prout data fuerit responsio, quæq; penitius inuestigent. *Conc. prouin. sub Hermanno 5. part. 10. c. 10 & part. 14. c. 6 pagi. 405.*

238. Regula examinata, idem fiat in reliquis, & quod responsum fuerit per Notarium, qui sit Sacerdos aut saltem Clericus non coniugatus, vel per ipsos visitatores annotetur, & secundùm ea reformationis chartam componant, cuius singuli visitatores sibi retineant exemplum. *Adol in stat. Synod. Anni 1549 p. 439. b.*

239. Vt autem hæc visitatio maiores in Ecclesia Dei possit producere fructus, & vt per eam maioribus difficultatibus communi multorum consilio conuenientissima possint adferri remedia, tenebuntur omnes visitatores, & vnà cum eis singulorum monasteriorum Rectores, ad locum à Reuerendissimo in Pontificalibus Vicario designandum, quolibet triennio conuentum facere, in quo præsidente eodem Reuerendissimo super difficultatibus occurrentibus, & restitutione disciplinæ monasticæ, consilium capiant.

240. Singulis præterea annis visitatores in suis regiunculis, vnà cum Rectoribus singulorum monasteriorum suæ inspectioni commissorum, conuentum agent, & eadem de re inter se consultabunt.

241. Sicut visitatores Reuerendissimo in Pontificalibus Vicario, ita monasteriorum Rectores visitatoribus subiecti sint, ijsque quater in anno de statu totius domus suæ absolutam reddant rationem.

242. Rectores monasteriorum, quolibet mense minimum semel chartam à Visitatoribus relictam, publicè legi curent, & priuatim cum senioribus monasterij regulam, statuta, nec non constitutiones synodales aut prouinciales Archiepiscoporum Colonienſium, regularem vitam concernentes, maximeque has nostras Cõstitutiones examinent, & quæ in suo monasterio minus obser-

uari perſpexerint, annotent, & de obſeruatione totius vitæ religioſæ ſeriò cogitent, eademque omnes alij exemptorum Præfecti, in ſuis monaſterijs obſeruent.

243. In reliquis ſeruentur ſingulorum Ordinum & Monaſteriorum laudabiles Conſtitutiones, & ſtatuta Synodalium ac prouincialium Conciliorum, ac ſi quæ ſint in hiſce noſtris decretis ſub alijs titulis poſita, quæ Regulares aliquo modo tangere poſſunt.

SANCTISSIMI D. N. SIXTI PAPÆ V. CONSTITVTIO

Contra illegitimos, legitimatos, criminoſos, & reddendis rationibus obnoxios ad aliquam Religionem tranſire volentes, & contrà Regulares abſque Superiorum licentia de Prouincia in Prouinciam euntes, ſeu tranſmigrantes.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus in ea qua conuenit puritate, & dignitate conſeruandis, præcipuam geramus ſolicitudinem, tum verò illud præter cætera nobis cordi eſt, vt à Regularium perſonarum congregationibus, quas tanquam DEO dicatas maximè candor, ſanctitasque decet, cuiuſcunque criminis, aut turpitudinis labes, & ſcandali occaſio quàm longiſſimè arce-

arceantur. Siquidem res ipsa nos admonet, quàm indecorum sit, & ab ea, quæ diuinæ Maiestati, eiúe consecratis personis debetur, reuerentia, alienum, si eiusmodi homines, qui propter sua scelera, pœnas graues sibi in sæculo propositas timent, quíue propter immunditiam, & peccata, ex quibus orti sunt, notati perpetua ignominia, ab omni mundano honore, & à paterna hæreditate repelluntur, ijdem omnipotenti Deo, tanquam hostiæ offerantur; atq; ad habitandum in domo, quam decet honor & sanctitudo, inter ministros Domini, cui seruire regnare est, ad sacras functiones quacunque profana præeminentia multò nobiliores, sine vllo delectu admittantur. Cùm etiam secundùm legem Moysi, immundi ab ingressu sanctuarij excluderentur, ac sacerdos habens maculam, panes Deo suo offerre non posset, nec accedere ad ministerium eius; & quod in holocaustum Domini, aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum esse deberet, vt acceptabile foret, nec vlla macula esset in eo; quod si maculam habuisset, neq; offerendum, neq; acceptabile futurum esset.

In Leuitico sæpe, & 2. Paral 23 D Leui. 21 C. & D

Leuit 22. C. & D.

Ne igitur contingat illegitimè genitos, qui vt plurimùm parentum vitia, & incontinentiam imitari solent, nec pietatis studio, sed temporalium commodorum intuitu, (quia hæreditates maiorum, aut dignitates aliquas consequi non possunt) ad Religionem confugiunt, vitam quam animo à Religione alieno susceperunt, ab institutis Religiosis alienam, plerumque cum dedecore, & propriæ salutis dispendio ducere, suisque corruptis moribus, & malis exemplis, quietem & statum cæterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi face & colluuie ipsarum Religionum honorem, & existimationem lædi: vt denique homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignendos essent propensiores, eò magis abstineant ab huiusmodi carnis flagitijs, quo suæ proli hoc quoque refugium præclusum viderint: Hac nostra in perpetuum valitura constitutione districtè interdicimus, & prohibemus, ne illegitimi, procreati ex incestu, aut ex sacrilegio (quorum scilicet parentes consanguinitate, vel affinitate intra

tertium

tertium gradum inuicem coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo vouerit) etiam Apostolica, Imperiali vel Regia, aut quauis alia auctoritate, legitimati, aut natalibus restituti, ad aliquam quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium & non Mendicantium, Fratrum, Monachorum, Eremitarum, vel Canonicorum, aut Clericorum regularium Congregationum, aut Hospitalium Religionem, neque ad habitum, nec professionem regulares recipi, vel admitti quoquomodo possint. Quòd si eorum quispiam habitum post publicationem præsentis Constitutionis in futurum receperit, vel professionem posthac emiserit, decernimus habitus susceptionem & professionem ex nunc, prout ex tunc, irritam, nullã & inualidam, nulliusque roboris vel momenti fore, ac nullum exinde, aut ex huiusmodi voto penitus annullato, obligationis vinculum oriri posse; quinimo illos habitu regulari, ad quem reassumendum perpetuò inhabiles sint, quamprimum exui, & ab ipsa Religione eiici exterminariq; debere. Et nihilominus quicunq; Superiores, tam Monasteriorum, Priorat uum, Præpositurarum, Domorum, Collegiorum, & locorum regularium, quàm etiam præfatorum Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & quarumcunque Religionum Prouinciales, vel Generales, quouis nomine nuncupati, qui ex prædictis incestu, vel sacrilegio genitos post dictam publicationem ad habitum receperint, vel ad professionem admiserint, excõmunicationis sententiã eo ipso incurrant, à qua eorũ nemo, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quàm Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere.

Sed ne ijs, qui in humilitatis spiritu, Deo, & Religioni seruire, et pœnitentiã agere intra monasteria vel domos regulares, cupiunt, ad sanctum huiusmodi propositum via penitus præcludatur, permittimus, vt præfati illegitimi, ex dictis incestu, aut sacrilegio geniti ad habitum Conuersorum, seu famulorum in Monasteriis, vel domibus regularibus seruientium recipiantur; & in ipsis Monasteriis, seu domibus regularibus ad seruilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones atque abiecta seruitia admitti possint; ea tamen conditione, vt ad habitum religiosorum,

sorum, vel ad professionem quam Religiosi emittere solent, emittendam, nec non ad omnes non modò sacros, sed etiam minores Ordines, vel ad Clericalem characterem, denique ad cuncta Ecclesiastica officia, & functiones, & ad ascendendum ad altiores gradus sint eis portæ perpetuò clausæ, & obseratæ.

Quò ad reliquos verò non ex incestu præfato, nec sacrilegio, sed ex quouis alio minus legitimo toro natos, spurios, vel naturales, etiam vt præfertur, vel aliàs legitimatos, qui ob meliorem vitæ frugem, Religionem ingredi cupiunt, statuimus, & ordinamus eos ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita & moribus diligenter cognitis, & circumstantijs vniuersis, quæ circa idoneitatem personæ attendendæ erunt, consideratis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina fide dignis testimonijs adeò commendati fuerint, adeò bonam indolem, & specimen virtutis præseferant, ac tot merita eis suffragentur, vt defectum natalium suppleant, eorumque receptio vniuersæ Religioni commodo & vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso in Generali vel Prouinciali Capitulo, matura deliberatione habita, Generalis vel Prouincialis Superioris, ac Diffinitorum vnanimi consensu approbati, & ad habitum regularem admissi extiterint: & tamen hi sic recepti ad gradus, honores, & dignitates sui Ordinis obtinend. perpetuò inhabiles, & illorum incapaces remaneãt, nisi super hoc cum eis fuerit, auctoritate Apostolica specialiter dispensatum. Si quis autem eorum aliàs quàm vt præfertur, recipietur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu priuari, & à Religione eijci debeant, eorum q; receptores, excommunicatione, vt supra, innodati ipso facto existant.

Cæterùm quoniam sæpè se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interuersam alienam pecuniam eorum fidei creditam, vt ratiocinia effugiant; Alij post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliáue facinora patrata, etiam banniti, aut damnati, seu qui meritas pro

suis delictis pœnas metuunt, non pia intentione, sed ad euitandam legum & iudiciorum seueritatem; quia tutò in sæculo viuere non possunt: tunc demum quærunt à Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant, vnde sub habitu, & nomine Religiosorum, animum Religioni inimicum, & inueteratà vitia retinent, neq; alios, qui sancta vocatione vocati sunt, patiuntur tranquille diuinis obsequijs insistere, ingrauem Dei offensam, Religionis opprobrium, & scandalum plurimorum: vt his quoque subterfugij & impunitatis spes omnis tollatur, auctoritate Apostolica, & tenore præsentium, etiam perpetuò statuimus & ordinamus, iuuenes, aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deq; anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum, & exploratum sit, eos neq; aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora, reos vel suspectos existere, vt propterea dānati sint, aut ne damnentur formident; neq; ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiocinijs ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa, lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit ne inferatur: Nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis, & pietatis feruore, vitam Religiosam sponte, & ex animo elegisse: Deq; his omnibus in Generali, vel Prouinciali Capitulo plena, & indubitata fide facta, tam Superioris generalis, seu Prouincialis, quàm Diffinitorum consensu approbati, & ad habitum Regularem admissi fuerint. Omnes autem, & quoscunque, vt dictum est, criminosos, vel suspectos, aut ære alieno, vt etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus. Et si qui eorum contra præsentem nostram constitutionem temerè admittentur, tam susceptionē habitus, quā professionē, & indè secuta, ex nūc, prout ex tūc pari modo irritamus, & annullamus, viribusq;

& effectu

& effectu carere decernimus: ac iubemus, eos qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari, & à Religione expelli: & nihilominus si expulsi non fuerint, volumus, & pariter declaramus habitus susceptionem, & professionem penitus nullam esse, & censeri, ac propterea attenta nullitate habitus, & professionis, licere quibuscunque Iudicibus, & Curijs, etiam sæcularibus, ad quos, seu quas spectat contra eos, vt prius, iuris & facti remedijs opportunis, ex officio, vel ad cuiuscunque instantiam, vel querelam ciuiliter, criminaliter, aut mixtim procedere. Quare volumus, vt cuiusque iuuenis, aut viri maioris sexdecim annis à sæculo ad Religionem transeuntis, approbatio, admissio, & receptio in Generali, vel Prouinciali Capitulo, vt supra ordinatum est, pro tempore fiant, necnon Religiosi sic recepti nomen, & cognomen, quibus in sæculo vtebatur, & patria in actis ipsius Capituli describantur, & notentur. Et insuper quoscunque Religiosos, eorumque Superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles post hanc Constitutionem publicatam receperint, voce activa, & passiua, necnon officijs, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscunque per eos obtentis eo ipso in perpetuum priuamus, & tam illis priuatos, quàm ad illa, & alia quæcunque imposterum obtinenda perpetuò inhabiles, eorumque incapaces decernimus, & declaramus.

Sed, & quia interdum Satanas in Angelum lucis se callidè transfigurat, ac perditi quidam, & facinorosi homines, quod sæ- 2. Cor. 12.
pè vidimus, & experti sumus, instigãte antiquo Pacis, & Religionis hoste, non veriti sunt temerario ausu habitum Religiosorum assumere, ea mente, vt veluti sub ouina pelle lupi rapaces, per dolum & insidias Christi fideles incautos, & nihil mali à Religiosis suspicantes opprimerent, siue vt post scelera perpetrata, viam faciliorẽ ad fugam haberent, siue vt banniti Curiæ sæcularis, quæ eos propemodum interceptos persequebatur, manus effugerent; & contigit aliquando ipsos sicarios, religiosis vestibus indutos, à veris Religiosis hac fraude deceptis, intra

domos Regulares hospitio receptos fuisse; Prohibemus eodem modo atque interdicimus, ne quis Regularis ex vna Prouincia ad aliam Prouinciam sui Ordinis transeundo, etiam in itinere intra aliquod monasterium, domum, vel locum alterius Prouinciæ ad habitandum, vel tanquam hospes recipi, aut ad modicum tempus diuertere possit, nisi à Superiore eius loci vbi residet, expressam licentiam discedendi in scriptis obtentam, seu litteras obedientiæ vel commendatitias secum deferat, atque exhibeat, vel nisi ita cognitus sit ijs, ad quos diuerterit, vt de eius persona nullus omnino dubitationi, aut suspicioni locus relinquatur. Ideoq; præcipimus vniuersis, & singulis locorum Ordinarijs, eorumq; Vicarijs in spiritualibus generalibus, vt per suos Officiales, Ministros vel executores curent ab omnibus personis regulari habitu indutis, quas per suas Ciuitates, vel diœceses iter facere, vel transire, & ad quæcunque hospitia, vel diuersoria se recipere contigerit, diligenter perquiri, num huiusmodi litteras obedientiæ, seu commendatitias secum deferant, quòd si eos dictas litteras non habere, vel ignotos esse deprehenderint, possint contra ipsos, etiam tanquam dictorum criminum suspectos procedere; & tamdiu illos sub custodia detinere, donec certa de eisdem notitia habeatur. Et tamen volumus, vt ij, qui etiam pietatis, vel hospitalitatis prætextu, regulares alterius Prouinciæ ignotos, aut sine licentia, vel litteris vt supra receperint, dictas pœnas priuationis vocis activæ & passiuæ, nec non officiorum, graduum, honorum & dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes sic in præmissis omnibus per quoscunque iudicari debere. Nec non irritũ & inane si secus à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, dictorum Ordinum, Congregationum, Hospitalium & locorum Regularium apud nos, & Sedem Apostolicam protectoribus, nũc & protẽpore existẽtibus, ac locorũ Ordinarijs præfatis, per Apostolica scripta mandamus, vt eorũ vnusquisq; per se, vel aliũ, seu alios Cardinales quidẽ in suæ protectionis, Ordinarij ve-

rò in

vò in suarum Ciuitatum, diœcesum, & districtuum regularibus locis, curent præsentes litteras publicari, easq; perpetuò firmiter, & inuiolatè obseruari; Inobedientes; censuras & pœnas prædictas incurrisse declarando, illasq; etiam iteratis vicibus aggrauando; Inuocato etiam si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quorumcunque Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & Religionum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentis Constitutionis impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumq; totis tenoribus habenda sit in his litteris mentio specialis. Quæ omnia, quatenus eidem constitutioni in aliquo aduersentur, illorum tenores pro expressis habentes, perpetuò tollimus, annullamus, & abrogamus, ac nolumus cuiquam suffragari, aut si Superioribus, & personis dictorum Ordinum, Congregationum, Hospitalium communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Mandamus verò easdem præsentes ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ de more publicari, & affigi, illarumq; exemplis etiam impressis, Prælati Ecclesiastici sigillo, & Notarij publici subscriptione munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud haberi, quæ eisdem originalibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum interdictorum, prohibitionum, statutorum, ordinationum, declarationum, decretorum, voluntatum, permissionis, irritationis, annullationis, iussionis, priuationis, præcepti, sublationis, abrogationis, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

Omnpotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, sexto Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno Tertio.

Hipp. Card. Aldobr. pro Dat.

Tho. Thom. Gualterutius.

Registrata apud eundem Thomam Secretarium.

A. de Alexijs.

Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Indictione decimaquinta, die verò Veneris, vigesima septima Mensis Nouembris, Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ Quinti Anno eius tertio: Retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt in valuis seu portis S. Ioannis Lateranensis & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissæ, per Nos Io. Baptistam Bagni, & Octauium Tagliettum, S. D. N. PP. Curs.

Alex. Parabiachus
Mag. Cursorum.

SANCTIS-

SANCTISSIMI D. N. SIXTI DIVINA PROVIDENTIA PAPAE V. SVPER DVbijs in priori Constitutione emergentibus, de admittendis ad habitum & professionem regularibus, Declaratio in forma perpetuò valituræ Constitutionis.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

1.

AD Romanum spectat Pontificem Sacrorum Canonum Conditorem, quæ per eum sancita sunt, ita suæ declarationis arbitrio dilucida reddere, vt inde nemini possit dubitationis scrupulus exoriri: præsertim verò salubriter cõsulere, vt cùm de Regularibus agitur, qui se omninò Dei omnipotentis obsequio manciparunt, tollantur ea omnia, quæ eorũ sanctum Christo piè inseruiendi institutũ quoquomodo valeãt perturbare. Sanè post editam nostrã Constitutionẽ, cuæ incipit: Cũ de omnibus Ecclesiasticis ordinibus &c. Super modo & forma recipiendi & admittendi eos qui sub Religionis iugo Altissimo famulari desiderant: cùm variæ sint exortæ dubitationes & quæstiones, eæq; postea ad audientiam nostram perlatæ, Nos ad tollendam omnem ambiguitatis occasionem, habita cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis super Regularium negotijs & consultationibus per nos institutæ matura deliberatione, de illorum consilio & assensu præsentem nostram perpetuò valiturã declarationis cõstitutionẽ duximus promulgandã. Cũ itaq; inter alia dubitetur, num primo dicta nostra cõstitutio vbi de illegi-

gitimè genitis loquitur, comprehendat etiam eos qui postea per subsequens matrimonium fuerunt legitimati: Nos inhærentes Sacrorum Canonum dispositioni auctoritate Apostolica tenore præsentium

2. Declaramus illegitimè natos ex ijs parentibus, inter quos tempore, quo ipsi geniti sunt, matrimonium ritè consistere poterat, secuto postea matrimonio legitimos effectos sub dicta Constitutione minimè comprehendi, sed eos tam quoad emittendam professionem, quàm quoad consequendos gradus, honores & dignitates sui Ordinis, æquo iure cum illis qui ex matrimonio legitimo & constanti nati sunt, censendos esse.

3. Illegitimos verò etiam ex soluto & soluta, qui antequam nostra constitutio emanaret professi, vigore seu prætextu priuilegiorum aut indultorum Apostolicorum cuiuis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi eorumúe Superioribus in genere vel in specie concessorum eo ipso per ingressum religionis, vel per eosdem Superiores siue alios quoslibet etiam Sedis Apostolicæ de latere legatos, aut alios officiales vel ministros quauis præeminentia vel auctoritate etiam Apostolica fungentes, aut facultate suffultos legitimati, aut ad gradus, honores & dignitates habilitati, seu reintegrati, & illis aliàs perfuncti sunt; Volumus post hac non obstantibus quibuscunq; tam antiquis priuilegijs, aut litteris Apostolicis, quàm alijs indultis seu declarationibus, etiam si illa per nos post dictam constitutionem nouissimè edita fuisse asserantur, honores, gradus, aut dignitates huiusmodi obtinere non posse, ac dispensationes & legitimationes quascunque eis nullatenus suffragari, nisi specialiter & nominatim cum eorum singulis fuerit super natalium defectu ad honores, gradus & dignitates obtinendas antè vel post ingressum Religionis per Rom. Pontificem immediatè, vel de eius speciali mandato dispensatum, deque dispensatione seu mandato per litteras Apostolicas, seu in forma Breuis, vel saltem per patentes litteras Cardinalis Protectoris de ipsius Roman. Pōtificis voluntate fidem facientes legitimè constiterit.

4. Eos pariter qui tempore publicationis nostræ constitutionis in

nis in suis Religionibus sine huiusmodi speciali Rom. Pont. dispensatione officia, honores & dignitates habebant ad vitam, eo ipso ab illis amotos & absolutos harum serie declaramus. Ad tempus autem illa obtinentes permittimus in sua administratione vsque ad finem sui temporis conseruari: ita tamen vt in posterum nec tempus ordinarium eis prorogari, aut extendi, neq; ipsi ad alias non modò similes, verùm etiam neque ad inferiores, aut altiores & maiores dignitates, honores, gradus ascendere possint, perinde ac si id ipsum in præfata nostra Constitutione ab initio expressum fuisset.

5. Ne tamen huiusmodi Religiosi in liberalium artium, ac præsertim sacræ Theologiæ studijs, & Religiosis profectibus segniores fiant, atque eorundem pia studia refrigescant, eos nosse volumus, quod si ipsorum quispiam eximia doctrina vitæque & morum sanctitate excellere reperietur, de q; eorum probitate & præclaris meritis Ordinum Protectores eam apud nos fidem fecerint, vt non immeritò sperari queat, eorum doctrinam & operam ipsi Ordini & sanctæ Dei Ecclesiæ vsui & commodo futuram, tunc demum indulgentiam & benignitatem nostram facilè experientur.

6. Quoniam verò à multis quæsitum est sub nomine honorum, graduum & dignitatum à quibus illegitimi penitus excluduntur, quid potissimum sit intelligendum: Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, Appellatione dignitatum, honorum, graduum, debere intelligi Præpositatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Custodiatus, Prouincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his similia cum honore & superioritate coniuncta.

7. Ab officijs autem oneris veluti lectoris, confessarij, studiorum & sacræ Theologiæ magistri, Regentis, Prædicatoris verbi Dei, & cæteris huiusmodi, immò etiam à voce actiua, à sacris Ordinibus suscipiendis, ipsorum q; ministerio ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus.

8. Cùm verò in quibusdam Religionibus Capitula prouincialia aut nunquam, aut non quotannis, sed rarius celebrentur: quædam etiam Monasteria, aut domus huiusmodi in remotissimis regionibus hæreticorum, aut infidelium tyrannidi finitimis sita sint: ne ij, quos extra Capitula ad habitum, vel professionem regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus & indulgemus.

9. Vt in qualibet Prouincia saltem duo, vel si commodè fieri poterit, tria, aut plura monasteria seu domus regulares deputentur, quarum seu quorum Superiores infra annum saltem ad inquisitionem super nouitijs faciendam, & ad ipsos Religiosos iuxta formam præfatæ constitutionis recipiendos, & ad alia quæ in ipsa constitutione continentur peragenda insimul congregentur.

10. Quod si paucitas, aut nimia distantia monasteriorum ne id quidem patiatur, saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij, aut domus eius Prouinciæ huiusmodi facultas & auctoritas per Capitulum Generale scilicet Monachorum, vel Prouinciale Mendicantium & reliquorum Regularium eius Ordinis demandetur.

11. Verùm in ijs Monasterijs, domibus & locis regularibus, quæ aut nondum in Congregationes redacta, aut aliàs nulli Prouinciæ subiecta sũt, statuimus vt trina Capitula Conuẽtualia tribus distinctis cum interuallo saltẽ decem dierũ vicibus celebrata, eandem in recipiendis Nouitijs per trinas huiusmodi distinctas vices approbatis habeant auctoritatem, quæ per nostram Constitutionem Capitulis Prouincialibus est attributa.

12. Neque verò si in Generalibus vel Prouincialibus Capitulis aliqui vocales desint, nec si à definitorum consensu aliquis discrepauerit, idcirco receptio religiosorum retardari, impediri, aut impugnari debebit: sed satis esse volumus, si vocalium & suffragiorũ numerus legitimus adiure, vel per cuiuscunque Ordinis

dinis statuta præfinitus interuenerit. Et quod de Capitulo Prouinciali aut Generali dictum est, idem iuris statuimus si quæ Religiones non Capitulorum sed Congregationum, aut dietarum, vel alio quouis nomine vti reperiantur.

13. Quod autem pertinet ad professionem tam Illegitimorum, quàm eorum qui post XVI. ætatis annum expletum regularem habitum susceperunt, quia tunc demum verè & propriè religiosi effici dicuntur cùm professionem emittunt; Declaramus eos qui antè prædictam nostram editam Constitutionem habitum susceperint, & post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non aliàs ad professionem admittendos esse, quàm facta inquisitione, & seruata forma in ipsa constitutione præscripta, & eorum, qui post dictam promulgationem etiam ignoranter non habita dicta inquisitione, & non seruata forma ad professionem admissi fuerint, professionem nullius esse roboris & momenti. In oblatis autem & Conuersis professionem emittentibus satis erit si quo ad mores, & statum personarum ipsa inquisitio fiat.

14. Sed cùm eadem ratio vigeat in tacita professione emittenda, quæ militat in expressa, statuimus, quòd in quibus suis Ordinibus & religionibus, neq; etiam tacita professio quorumcunque religiosorum induci possit, nec inducta intelligatur, nisi in receptione constitutionis forma seruata fuerit.

15. Si quis verò ante editam nostram Constitutionem iam tacitè professus, expressè cupiat profiteri, vel si quis apostata ad suam Religionem redire voluerit, inquisitio & forma præscripta non erit necessaria, nisi vel de moribus, statu & qualitate personæ, vel de validitate ipsius tacitæ professionis dubitatio aliqua oriatur.

16. In ÿs autem qui in lōcis à sua patria longissimè remotis degentes, vel quorum patria ab Hæreticis vel infidelibus miserè oppressa detinetur, voluerint se diuinis obsequys sub regulari habitu dicare, vt in hoc quoq; Sedis Apostolicæ benignitas elucescat, quæ cunctos mortales, præsertim verò exteros ex longinquis regionibus ad eam assiduè confluentes materno sin-

libenter amplectitur, sancimus exteros huiusmodi & aduenas, quamuis non liquidò constet de ijs omnibus quæ in constitutione nostra requiruntur, tamen si diligentia adhibita nihil appareat, quod eos impediat, habiles reputandos esse.

17. Quòd si quis antè vel post Constitutionem ipsam professus ad sacros Ordines vel ad honores, gradus & dignitates promotus existat, & postmodum in eo natalium defectum, aut criminum in dicta Constitutione nostra expressorum notam, quæ prius ignorabantur detegi comtigerit: Decernimus eum statim post huiusmodi defectus notitiam habitam non aliàs quàm iuxta formam ipsius constitutionis ad honores, gradus & dignitates, aut ad executionem sacrorum Ordinum admitti debere.

18. Contra criminosos verò, quorum professio eadem constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea Iudicibus & curijs secularibus procedendi facultas conceditur; tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cùm actis publicis constiterit ipsos Iudices & curiam secularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationē susceptisse, vel inquisitionem instituisse.

19. Cæterùm quæ à nobis circa Religiosos viros in præfata constitutione sancita sunt, ea nequaquam volumus ad monales nunc extendi.

20. Postremò dum interdicimus ne quis regularis alterius Prouinciæ intra aliquod Monasterium, domum, vel locum alienæ prouinciæ, etiam tanquam hospes, & ad modicum tempus recipi possit, nisi à Superiore loci vbi residebat, & à quo discessit licentiam expressam in scriptis exhibuerit, vel nisi satis cognitus sit; d obseruari volumus non solùm in religiosis itinerantibus de vna in aliam Prouinciam, sed in ijs quoque qui proficiscuntur de vno in aliud eiusdē Prouinciæ monasteriū tā sui quàm alterius Ordinis. Quod si dicerent se ad Apostolicam Sedem confugere ob grauamina à suis Superioribus sibi illata, & ideo ab ipsis Superioribus licentiam, & literas obtinere non potuisse, non propter ea vllo

ea vllo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eijs licentia; & per suos Superiores denegata constiterit.

21. In Alma verò Vrbe nostra Religiosi aduenæ & peregrini de grauaminibus sibi illatis conquerentes nullibi sine huiusmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt, nisi prius ad Congregationē dictorũ Cardinaliũ super negotijs Regulariũ à nobis deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, vbi ipsis auditis pro rerum & personarum qualitate quid agendum sit statuetur.

22. Reliqua autem in priori nostra Constitutione contenta, quæ in præsentibus litteris non declarantur, Volumus perpetuò firma & valida, & in suo robore permanere; ac ab omnibus ad quos spectat inuiolabiliter obseruari.

23. Et si quid à nobis alicui Ordini aut Religioni præter aut contra præfatæ constitutionis formam post illius editionem circa recipiendos extra capitula Nouitios, aut aliàs indultum aut concessum fuit, id omne ac desuper confectas litteras prorsus reuocamus & annullamus, ac ad terminos præsentis constitutionis reducimus, & aliàs nemini volumus suffragari.

24. Decernentes sic in præmissis vniuersis, & singulis per quoscunque Iudices ordinarios & delegatos etiam causarum sacri palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales sublata eis & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate in quauis causa & instantia vbiq; iudicari & definiri debere: Necnon irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nõ obstantibus præfata & alijs constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non quorumcunque Ordinum tam mendicantium quàm non mendicantium Religionum ac Monasteriorum etiam eorum quæ Ordinum capita dicuntur, Prioratuum, Domorum & quorumuis Regularium locorum iuramento confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis, cõsuetudinibus, stabilimentis, vsibus & naturis quantocunq; tempore obseruatis, nec non fundationibus eorundem, alijs quoq; pri-

uilegijs, indultis, exemptionibus & litteris Apostolicis illis omnibus ipsorumque Superioribus Generalibus, vel Prouincialibus, Conuentibus, Capitulis, fratribus & personis per quoscunque Roman. Pontific. prædecessores nostros ac nosmetipsos etiam post primò dictæ nostræ constitutionis publicationem & præfatam Sedem etiam per modum statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus seu quasi, necnon motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque Principum, Sanctæque R. E. Cardinalium, ac de eorum consilio & assensu etiam consistorialiter habito, quomodocunque ac sub quibusuis tenoribus & formis, necnon cum quibusuis restrictiuis, restitutiuis, præseruatiuis, annullatiuis derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis quomodocunque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus extensis & moderatis, etiamsi in eis ac statutis, stabilimentis & fundationibus præfatis caueatur expresse, quòd nunquam eorum priuilegia & indulta reuocata vel moderata aut immutata intelligantur, nec illis in toto vel in parte derogatum censeatur per quascunque litteras etiam derogatoriarum derogatorias, ac aliàs fortiores & efficaciores clausulas in se continentes, nisi illorum ac etiam certarum specialium litterarum Apostolicarum inde confectarum verè, non autem per clausulas generales vel speciales idem importantes inserto tenore, ac de simili Cardinalium cõsilio, quodq; sæpe in huiusmodi derogationibus & alijs dispositionibus censeatur apposita clausula, quòd tunc demum nec aliter, nec alio modo effectum sortiantur, cùm Superiorum capitulorum & conuentuum præfatorum ad id accedat assensus, quodq; derogationes & aliæ dispositiones huiusmodi aliter effectum non habeant nisi consistorialiter factæ & per trinas distinctas litteras eundem tenorem continentes tribus distinctis vicibus superioribus Capitulis & Conuentibus præfatis fuerint

fuerint intimatæ, eorumque pariter ad id expressus accedat assensus: aliter verò factæ viribus & effectu omnino careãt, ac Superiores Capitula Conuentus & aliæ personæ præfatæ ad parendum illis & decretis desuper processibus, eorumq; executoribus & subexecutoribus, ac ipsorum mandatis, & monitionibus minimè teneantur: sed literarum huiusmodi executionem omnino impedire nec ratione resistentiæ censuris Ecclesiasticis, etiam per ipsos executores vel subexecutores latis innodari possint. Quibus omnibus etiam si aliàs de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio seu quæuis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes harum serie specialiter & expresè derogamus, & quatenus effectum præsentium quoquomodo impedire, vel retardare, vel illis obesse possent, ea omnino tollimus, & abrogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Vt autem præsentes litteræ omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe & in Cancellaria Apostolica, necnon acie Campi Floræ publicari, earumq; exemplar de more affigi: Volumusque & decernimus vt ipsarum præsentium exempla etiam impressa, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici aut illius curiæ obsignata eandem vbique locorum fidem faciant, quàm ipsæ præsentes facerent si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum, voluntatum, permissionis, concessionis, indulti, statuti, sanctionis, Decretorum, derogationis, sublationis, & abrogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum

Romæ

Romæ in monte Quirinali anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, duodecimo Calendas Nouembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

E. Card. Prodat.

I. *Ang. Papius.*

Regiſtrata apud Io. Angelum Secretarium.

S. de Vrſinis.

Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, Indictione prima, die verò ſeptima Menſis Nouembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini Sixti diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno Quarto: Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & Sancti Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ & aciei Campi Floræ, vt moris eſt per Nos Ioannem Baptiſtam Bagni & Octauium Tagliettum, S. D. N. PP. Curſ.

Alex. Parabiachus
Mag. Curſorum.

IN SEX.

IN SEXTO TIT. DE STATV REGVLARIVM.

PEriculoso & detestabili quarundam monialium statui (quæ honestatis laxatis habenis, & monachali modestia, sexusq; verecundia, impudenter abiectis, extra sua monasteria nonnunquam per habitacula secularium personarum discurrunt, & frequenter inter eadem monasteria personas suspectas admittūt, in illius, cui suā integritatē voluntate spōtanea deuouerunt, grauem offensam, religionis opprobrium, & scandalum plurimorū) prouidere salubriter cupientes præsenti Constitutione perpetuò irrefragabiliter valitura, sancimus, vniuersas & singulas moniales præsentes atque futuras, cuiuscunque religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasterijs debere de cætero permanere clausura: ita quod nulli earum religionem tacitè vel expressè professæ, sit vel esse valeat quacumq; ratione vel causa (nisi fortè tanto & tali morbo euidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum alijs absq; graui periculo seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas: nulliq; aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ (nisi rationabilis & manifesta caussa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus vel accessus pateat ad eadem: vt sic à publicis & mundanis conspectibus separatæ omnino seruire Deo valeant liberius, & (lasciuiendi oportunitate sublata) eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligētius custodire.

Sanè vt hoc salutare statutum commodius valeat obseruari, districtius inhibemus, ne in monasterijs Ordinum non mendicantium, aliquæ recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt, de ipsorum monasteriorum bonis siue prouentibus absq; penuria sustentari: si secus actum fuerit, irritum decernentes.

Verùm quando Abbatissa vel Prioriss a cuiusuis monasterij, pro feudo quod Monasterium ipsum tenet ab aliquo Principe seu domino temporali, sib debebit homagium, vel fidelitatis sacramen-

cramentum præstare (nisi quod per procuratorem illud præstet, possit efficere apud eum) de monasterio cum honesta & decenti societate exire poterit eo casu licenter, homagio facto quàm primùm commodè poterit, seu fidelitatis præstito sacramento, ad ipsum monasterium è vestigio reuersura: sic quod in fraudem residentiæ siue moræ claustralis nihil fiat omnino.

Porrò ne moniales causam seu occasionem habeant euagandi; Principes seculares ac alios dominos temporales rogamus, requirimus & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi, eisdem in remissionem peccaminum nihilominus suadentes, quod Abbatissas ipsas, & Prioriss as, ac moniales quascunq; monasteriorum suorum curam, administrationem, negotiaue gerentes, quibuscunque nominibus censeantur, per procuratores in suis tribunalibus seu curijs litigare permittant: ne pro constituendis procuratoribus (qui atornati in aliquibus partibus appellantur) seu alijs huiusmodi eadem oporteat euagari. Si qui verò contra præsumpserint, exhortationi huiusmodi rationabili atq; sanctæ obtemperare nolentes, cùm sit iuri contrarium, quod mulieres (præsertim religiosæ) per seipsas litigare cogantur, & à via deuiet honestatis, & periculũ animarum inducat, ad hoc per suos ordinarios Ecclesiasticos censura Ecclesiastica compellantur. Episcopis autem & alijs Prælatis superioribus & inferioribus quibuscunq; iniungimus, quod & ipsi causas seu negotia, quæ prædictæ moniales habebunt agere, coram ipsis, aut in curijs eorundem, siue sint homagia, fidelitatis sacramenta, lites, vel quicquid aliud, ipsa per procuratores earum fieri faciant & tractari.

Et quoniam parum esset condere iura, nisi essent qui ea executioni debitè demandarent; Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis vniuersis districtè in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in ciuitate ac diœcesi propria in monasterijs monialium sibi ordinario iure subiectis, sua; in ijs verò, quæ ad Romanam immediatè spectãt Ecclesiã, sedis Apostolicæ auctoritate; Abbates verò &

rò & alÿ tam exempti quàm non exempti Prælati, Ecclesiarum, Monasteriorum, et Ordinum quorumcunque, in monasterÿs huiusmodi sibi subiectis de clausura conuenienti, vbi non est, ipsorum monasteriorum expensis & fidelium eleemosynis, quas ad hæc procurent diligentius facienda, & de ipsis monialibus includēdis, quāprimum cōmodè poterūt prouidere, procurēt: si diuinæ ac nostræ indignationis voluerint acrimoniam euitare: contradictores atque rebelles per cēsuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachÿ sæcularis. Per hoc autem in monasterÿs exemptis Ordinarÿ locorum, quo ad alia, nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus attributam.

INNOCENTIVS III. IN CONCILIO LATERANENSI CAP. XII. ET LIB. III. Decretal. de stat. monachorum.

IN singulis regnis siue prouincÿs fiat de triennio in triennium, saluo iure diœcesanorum Pontificum, commune capitulum Abbatum atque Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt tale Capitulum celebrare; ad quod vniuersi conueniant, præpeditionem canonicam non habentes, apud vnum de monasterÿs ad hoc aptum, hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum plus quàm sex euectiones, & octo personas adducat.

Aduocent autem charitatiuè in huius nouitatis primordÿs duos Cistertiensis ordinis Abbates, vicinos ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum, cùm sint in huiusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor præsint Capitulo vniuerso, ita

quod ex hoc nullus eorum auctoritatem prælationis assumat: vnde, cùm expedierit, prouida possint deliberatione mutari.

Huiusmodi verò capitulũ aliquod certis diebus continuè iuxta morẽ Cistertiẽsis Ordinis celebretur, in quo diligẽs habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & obseruãtia regulari: & quod statutum fuerit, illis quatuor approbantibus, ab omnibus inuiolabiliter obseruetur, omni excusatione & contradictione ac appellatione remotis, prouiso nihilominus vbi sequenti termino debeat capitulum celebrari: & qui conuenerint, vitam ducant communem, & faciant proportionabiliter simul omnes communes expẽsas: ita quod si nõ omnes potuerint in eisdẽ, saltem plures simul in diuersis domibus commorentur.

Ordinentur etiam in eodem Capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas Abbatias eiusdem regni siue prouinciæ, non solùm monachorum, sed etiam monialium, secundùm formam sibi præfixam, vice nostra studeant visitare, corrigentes & reformantes, quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere; ita quod si rectorem loci cognouerint ab administratione penitus amouendum, denuncient Episcopo proprio, vt illum amouere procuret: quod si non fecerit, ipsi visitatores hoc referant ad Apostolicæ sedis examen.

Hoc ipsum regulares Canonicos secundùm Ordinem suum volumus & præcipimus obseruare.

Si verò in hac nouitate quicquam difficultatis emerserit, quod per prædictas personas nequeat expediri, ad Apostolicæ Sedis iudicium, absque scandalo referatur, cæteris irrefragabiliter obseruatis, quæ cõcordi fuerint deliberatione prouisa.

Porrò diœcesani Episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, vt cùm ad ea prædicti visitatores accesserint, plus in illis inueniant, quod commendatione, quàm quod correctione sit dignum, attentissimè præcauentes ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggrauentur. Quia sic volumus Superiorum iura seruari, vt inferiorum nolimus iniurias sustinere.

Ad hoc districtè præcipimus tam diœcesanis Episcopis quàm

personis

personis, quæ præerunt capitulis celebrandis, vt per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota compescant aduocatos, patronos, vicedominos, rectores & consules, magnates & milites, seu quoslibet alios, ne monasteria præsumant offendere in personis & rebus. Et si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, vt liberius & quietius Omnipotenti Deo valeant famulari.

SANCTISSIMI D. N. D. PII PAPÆ V.

CONSTITVTIO, QVOD MONIALES non exeant à clausura sub pœna excommunicationis, & priuationis, quæ etiam extenditur, ad dantes licentiam, comitantes, & receptantes.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcori et honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, vt in puritate, & castitate superædificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea, quæ earum existimationi detrahere possent, decet nos consulto submouere. Sanè periculo, & scandalo plena res est, ac regulari obseruantiæ vehementer aduersatur, sanctimoniales aliquando parētes fratres, sorores, aut alios agnatos vel cognatos, nec non Monasteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi aut infirmitatis caussa, alioue prætextu à monasterijs exire, & per sæcularium personarū domos discurrere, et vagari, quo veluti colore eximium

quoque honestatis, & pudicitiæ dedecus, ac discrimen committunt.

Vnde nos malo huic, pro nostro pastoralis officij debito, salubriter occurrere volentes, inhærentes etiam decreto sacri concilij Tridentini de clausura monialium disponenti, ac alijs nostris litteris super huiusmodi clausura editis adijciētes, volumus sancimus et ordinamus, nulli Abbatissarū, Priorissarū, aliarūue monialium etiam Carthusiensis, Cisterciensis, S. Benedicti, & Mendicantium, & quorumcunque aliorum Ordinum etiam Militiarum, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum, existentium, etiam à Regia vel illustri prosapia ortarum, de cætero ettam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumúe consanguineorum visitandorum; aliaue occasione, & prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepra, aut epidimiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiamsi prædicta monasteria ab Episcoporum, & ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expresse in scriptis approbata sit, à Monasterijs præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licere.

Aliter autem quàm, vt præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas, aut seculares vel Ecclesiasticas consanguineas, vel extraneas excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subiacere, à quo præterquam à Romano Pontifice nisi in mortis articulo absolui nequeat. Et insuper tā egressas quàm præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & administrationibus

nibus per eas, & eos tunc obtentis priuamus, & illas & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles.

Nec non licentias, & facultates, seu indulta, & priuilegia exeundi à monasterijs, & extra illa standi à nobis, seu alio Romano Pontifice prædecessore nostro ac sedis Apostolicæ nuntijs, & Legatis etiam de latere, ac maiore Pœnitentiario aut Ordinum prædictorum Superioribus alijsue personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutiuis, præseruatiuis, mentis attestatiuis, etiam nouam gratiam, & dat. concedentibus, alijsque efficacioribus, & efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, nec non S. R. E. Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac instantia, vel aliàs quomodolibet concessa (quæ prorsus abolemus) ac litteras desuper confectas, & in posterum concedendas, & conficiendas, nullas, & inualidas, nulliusque roboris ac momenti fore, nec illas habentibus, & habituris suffragari posse, & ita per quoscunque iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignorāter contigerit attentari, decernimus.

Mandantes vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs in virtute S. obedientiæ, & sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus per se, vel alium, seu alios præsentes litteras in ciuitatibus, & diœcesis proprijs quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, nec non præfatum decretum ipsius Concilij, quod incipit, Bonifacij Octaui, diligenter,

genter, & inuiolabiliter sub censuris Ecclesiasticis, alijsq; præfatis pœnis, & in eodem decreto contentis, obseruent, & obseruari faciant, & procurent.

Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes etiam alijs pœnis auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis, super his habendis, seruatis processibus, pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauãdo, interdictum Ecclesiasticum opponendo, Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Alijs Apostolicis constitutionibus, & iuribus de huiusmodi clausura disponentibus nihilominus in suo robore duraturis.

Cæterùm volumus, quod præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbiq; terrarum tam in iudicio quàm extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, ordinationis, priuationis, abolitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo, nono Calendas Februar. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno

Anno à Natiuitate Domini 1570. Indictione 13. die verò 27. mensis Febr. Pontific. Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius quinto, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt Romæ ad valuas Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioannem Guererum & Christianum de Monte Prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Antonius Clericij Magister Cursorum.

SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPAE XIII. REVOCATIO OMNIVM LIcentiarum ingrediendi Monasteria Monialium, & Virorum, & prohibitio, ne habentes licentias ab Episcopis, vel Superioribus in casibus necessarijs, ingrediantur Monasteria Monialium nisi vrgentibus necessitatibus.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

VBI gratiæ, & indulta ab hac Sede concessa, successu temporis incommodum afferre noscuntur; expedit illa salubri præsidentis consilio submoueri. Proinde sanctimonialium quieti, & trãquillitati consulere, ac omnia, quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, pericula q̃, & scandala ab eis remouere cupientes,

Auctoritate præsentium reuocamus, & abolemus omnes, & quascunq; licentias, ac facultates ingrediendi Monasteria, domos, & loca monialium ac etiam virorum quorumuis Ordinum, quibusuis etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs cuiuscunq; status & conditionis mulieribus, ac etiam omnes &

quascunq; licentias ingrediendi Monasteria, domos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscunq; viris, etiam eiusdem status, & dignitatis tam à prædecessoribus nostris, quàm etiã à nobis, & sedis Apostolicæ Legatis, aut alys ex quibusuis quantumcunq; vrgentibus caussis, sub quibuscunq; tenoribus, et etiam derogatoriarum derogatorijs, reuocatoriarum restitutorijs, alijsq; efficacioribus clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, de Apostolicæ potestatis plenitudine, atque ad imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumue Principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas: Cassamusque & annullamus litteras desuper confectas, & processus habitos, per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, super qua à nemine nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeant.

Abbatissis verò, nec non Abbatibus, Conuentibus, ac alijs Monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis quocunque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, nec non priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, domos, & loca sua, prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.

Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuscunque personis Ecclesiasticis, & secularibus ac etiam Ordinũ quorumcunq; etiam mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantùm, ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus duntaxat ingredi, neue Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.

Non

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Monasteriorumque & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus prædictis, ac alijs quibuscunque, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & dictam Sedem, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis: quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habētes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque.

Quoniam autem difficile esset præsentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu notarij publici & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, cassationis, annullationis, inhibitionis, præcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1575. Idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto.

M. Datarius.

Cæ. Glorierius.

A. De Alexijs.

Anno à Natiuitate Domini, millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia, die verò vigesimo quarto mensis Iunij, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris ac

D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno quarto, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis Ecclesiæ S. Iohannis Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octauianis, & Ioan. Andream Panizzam Apostolicos cursor.

Ioannes Freile Magist. Curs.

EIVSDEM DECLARATIO SVPER FACVLTATE, QVAM habent Ordinarij & alij Monialium Superiores ingrediendi earum Monasteria.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, *Ad perpetuam rei memoriam.*

DVBIIS *quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cùm igitur super eo quod optima primùm ratione Concilium sanxit Tridentinum, deinde in constitutione fæ. re. Pij Papæ V. prædecessoris nostri nonis Iulij Pontificatus sui anno tertio, atq; item nostra idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit prouisum, ne cui in posterum nisi in casibus necessarijs, septa monasteriorum Monalium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruare debeant ipsi regulam à Concilio præscriptam:*

Nos omnem hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere ac sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore, auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tam seculares quàm regulares, quibus cura & regimen monasteriorum monialium quouis modo incumbit, facultate

sibi

sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à pauciß ijsque senioribus, ac religiosis personis comitati.

Quocirca vniuersos & singulos Episcopali, seu maiori ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, nec non quorumuis Ordinum Abbates, Præpositos, Priores, Ministros, & alios quoscunque Superiores regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent præterquam in casibus, vt præfertur necessarijs neutiquam vtantur.

Quod si contra fecerint, eadem autoritate Apostolica statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contra fecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secundo à munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere; regulares verò omni officio, ac ministerio priuatos excommunicationi similiter subiacere.

Non obstantibus Apostolicis, ac in Generalibus, & Prouincialibus Conciliys editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibusuis Ecclesijs, earumue Prælatis, aut Ordinibus in genere vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis quouis modo concessis, approbatis, & innouatis, etiamsi illis caueretur expresse, quod nemo interdici, suspendi, vel excommunicari posset per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto huiusmodi mentionem, quibus eorumque totis tenoribus, perinde, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Quoniam verò difficile esset præsentes ad singula loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, manuq; notarij publici, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsen-

tibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris, Die XXIII. Decembris 1581. Pontificatus nostri anno decimo.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Indictione vndecima, die verò Sabbathi trigesima mensis Decembris, Pontificatus S.D.N. Gregorij, diuina prouidentia Papæ XIII. Anno decimo retroscriptæ litteræ, in forma Breuis publicatæ & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, vt moris est. per me Scipionem de Octauianis Apostolicum Cursorem.

Calistus Brunettus Magister Cursorum.

SANCTISSIMI D. N. D. PII PAPÆ V.

CONSTITVTIO QVOD REGVLARES sæcularium confessiones non audiant, nisi ab Ordinarijs approbati sint.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANI Pontificis prouidentia circumspecta, nonnunquam gesta per eum rationabilibus, & honestis suadentibus causis, moderatur & commutat in melius, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem quasdam declarationes et moderationes circa nonnulla Concilij Tridentini decreta regulares personas Ordinum mendicantium, eorumque instituta concernentia edidimus, & promulgauimus, & quia

& quia, vti accepimus illarum vigore sacerdotes regulares prædictorum Ordinum quandoque minus idonei, & inhabiles confessionibus secularium audiendis ab eorum Superioribus præpositi, absq; aliqua Episcoporum, sed sola Magistri Ordinis generalis, aut Prouincialium ministrorum approbatione admittuntur;

Nos super his pro debito pastoralis officij prout tenemur, salubriter prouidere volentes, tenore præsentium, hac nostra constitutione perpetua, sancimus, decernimus, & declaramus decretum Concilij Tridentini de approbatione regularium, audiendis confessionibus sæcularium Præpositorum, ab Episcopis faciēda, obseruari debere etiam in omnibus regularibus quorumuis Ordinum, etiam mendicantium, etiam sub regulari disciplina viuentibus, etiam si sint lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum suorum licentia, graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Prouincialibus ministris secularium confessionibus audiendis præpositi.

Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in ciuitate, & diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ suæ quiete examinari de nouo poterunt.

Inhibentes quibuscunq; regularibus quorumuis Ordinum etiam mendicantium, vt præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis, ab eisdem Magistris, & Ministris Prouincialibus, etiam quod illarum occasione ab Ordinarijs huc vsque tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentia, & approbatione ab Ordinarijs obtinenda, sæcularium confessiones audire præsumant. Decernentes irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris litteris prædictis, & alijs postea quibuscunque regularibus concessis, & forsan extensis, quas quo ad ea, quæ præsentibus aduersantur, & contrariantur, penitus,

nitus, & omnino reuocamus, cassamus & irritamus, nec non Monasteriorum, & aliorum regularium locorum, ac Ordinum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliaroboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, quibusuis Monasterijs, & regularibus locis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Vt autem præsentes litteræ ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam pretendere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus, & decernimus vt ipsemet litteræ, vel earum transumptum, in Basilica principis Apostolorum de Vrbe, Sancti Ioannis Lateranensis ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valuis, & acie prædictis affixo, & dimisso. Verùm, quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earundem

demlitterarum transumptis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, decreti, declarationis, inhibitionis, reuocationis, cassationis, irritationis, statuti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1571. octauo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius
H. Cumyn.

Anno à natiuitate Domini 1571. Indictione decima quarta, die verò vigesima secunda mensis Augusti, Pontificat. Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius sexto, retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt, in locis retroscriptis per nos Ioannem de Guerardis, & Alamanum de Alamanis Cursores.

Philibertus Chapius, Magist. Curso.

DE PRÆPOSITIS.

INter Ecclesię Prælatos, multis locis, primum locũ post Episcopum obtinent Præpositi, qui (iuxta caput 12. statutorum Conradi Archiepiscopi Colonienſis, & Concil. prouinciale sub Adolpho 3. pag. 435. nec non iuxta inquisitionis formulam, quæ in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis, ex eiusdem Archiepiscopi præscriptione obseruanda est pag. 478. §. 12.) Iurisiurandi sacramento tenẽtur, res, bona, statuta, iura, & priuilegia Ecclesiarum, potenter & patenter defendere, bonas consuetudines ob- 1.

seruare, & quæcunque ad vtilitatem & pacem Ecclesiarum quouis modo pertinent, curare, promouere, & ab omni damno ac iniuria vindicare; In his Decanis ac Capitulis adesse, cooperari, omnesque ad subueniendum sollicitudinis, potestatis, & authoritatis suę neruos intẽdere. Et si rei magnitudo, aut difficultas eorũ vires superauerit, eorũ est, ad Episcopũ recurrere, & quod vel in authoritate vel in potestate, aut aliàs quouis modo desiderauerint, ab eo requirere. Talis si vnquã Ecclesijs opus fuerit, nũc, rebus Ecclesiarũ & Ecclesiasticarũ personarũ, huius florentissimæ quondam Diœcesis, domi ac foris omnibus modis miserrimè afflictis, & perturbatis, ac indignis modis oppressis, summopere opus & maximè est necessarius.

Quod Præpositis sæpe & multum cogitandum est, ac serio diligentissimeque perpendendum. Illaqueati sunt enim verbis oris sui, & ad præstanda quæ præscripta sunt, non ob hoc tantùm debitores, quod præ cæteris ampliores Ecclesiarum fructus percipiant, qui tamen multis locis iusto Dei iudicio, propter intermissam residentiam, vt non incelebris Theologus sentit, multum sunt accisi, sed etiam quia sese ad hæc solenni Iuramento obstrinxerunt. Discurrant igitur, festinent, non dormitent palpebræ eorum, satagant vt curent, quæ interposita sacrosanctorum Euangeliorum fide curanda receperunt. Nam si aut negligentes fuerint, aut ocioſi, eorumque incuria Ecclesia damnum acceperit, de neglecto officio habebuntur infideles, de accepto beneficio censebuntur iniqui, de violato sacramento dicentur periuri, & ad resarcienda damna iudicabuntur obligati.

Prouerb. 6.

Ioannes Molanus Theologus Louaniensis lib. 2. cap 4. de Canonicis. Prouerb. 6.

2. Quamobrem in Concilio Prouinciali, quod Anno 1549. sub Adolpho tertio peractum est, pag. 435. iustissimè decretum & statutum est, vt Præpositi, qui à suis Collegijs ad bonorum, priuilegiorũ, iurium, & statutorum defensionem, expensis Capitulorum, necessitatis tempore, vel

vel imminenti periculo requisiti, muneri suo satisfacere neglexerint,& inde Ecclesia vel Collegium damnum accipiat, pœnam incidant, pro damni accepti magnitudine,& Præpositi negligentia ab Episcopo seu Superioribus taxandam,& moderandam. Quam Constitutionem innouantes, declaramus Præpositos, ad ea quæ officij & muneris sui sunt, non solũ cũ rogantur & requiruntur teneri; sed & perpetuò ipsos debere esse vigiles, vt prouideant, vt consulant, vt procurent, vt seruent, vtque quibuscunque possint modis, prosint, & Ecclesiæ suæ, à qua honorẽ, dignitatem, & stipendia accipiunt, officium præstent, tanquam fidelis & prudens seruus, quem constituit Dominus super familiam suam. Neque enim datur alicui ab Ecclesia dignitas aut honor, ad quietem, ad otiũ, ad luxuriandum, ad superbiendum, vel vt viuat secundùm voluntatem suam, & expleat desideria c arnis suæ; sed ad laborẽ, & ad onera, vtque eò magis prosit, & plura præstare possit, tantoque ad seruiendum Ecclesijs sit prõptior, & ad præstandum officium sollicitior, quanto ei ex accepto honore, dignitate, & stipendiorum amplitudine, existit obligatior. Matt. 24 D.

3. Non itaq; recedant ab Ecclesia cui seruiunt, sed quæ de residentia, titulo de Prælatis præscripta sunt, exactissimè obseruent. Et vt de ipsis cap. 139. in Concilio Aquisgranensi, sub Ludouico Augusto, constitutum est, pro eo quod alijs prelati sunt, nequaquam parui pendant Canonica instituta; sed quanto plus implicantur in fratrum curis, tãto magis studeãt cœlestibus obtẽperare monitis.

4. Solent quoque Prepositi Concilijs & Synodis interesse, tanquã sui Episcopi præcipui Senatores & Consiliarij; Gaudent insuper quidam singulari prærogatiua in Collatione beneficiorum, & in inuestitione seu institutione beneficiatorum: Quæ in electione Præpositi diligenter erunt consideranda & expendenda, vt talis eligatur, qui muneri suo satisfacere possit, & eiusmodi

virtutibus polleat, quæ in consiliario, in dispensatore, in defensore, ac protectore requiruntur.

6. Sit itaque rerum Ecclesiasticarum peritus; iudicio rectus, liber & defecatus; consilio prouidus, acris & resolutus; in disponendo industrius; in distribuendo fidelis, prudens, integer, & iustus: Qui non festinet de patrimonio Christi, se vel suos ditare; sed studeat dignos tantùm promouere: Qui Ecclesias non spoliet, sed emendet: Qui non sit ociosus, multo minus delitijs resolutus, aut resupinus pompis; sed in agendo strenuus, in defendendo assiduus, in aduersitate securus, in prosperitate deuotus, actu semper reuerendus, pietate præcellens, exemplo omnibus imitandus: Qui diuites non palpet, sed terreat; minas Principum non paueat, sed contemnat; cuius feruorem, zelum, & authoritatem, reuereantur boni, timeant mali.

7. Si qui Præpositi habeant Archidiaconatum vel Archipresbyteratum suæ dignitati annexum; ad illa quoq; omnia, quæ de Archidiacono & Archipresbytero dicenda sunt, idonei sint, eademque eò diligentius & perfectius exequantur, quò dignius præ illis nomen maioremq; authoritatem acceperunt.

DE ARCHIDIACONIS.

1. CVm dignitates in Ecclesijs, præsertim Cathedralibus ad conseruandam augendamq; Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ: vt qui eas obtinerent pietate præcellerent, alijsque exemplo essent, atque Episcopos opere ac officio iuuarent: meritò Archidiaconi tales esse debent. Qui in partē sollicitudinis *a* Episcopalis vocati sunt, vt Episcopo cooperentur, & cum eo onus populi sustineant, vt non ille solus grauetur. Propter quod à Patribus oculi Episcopi, eiusque *b* Vicarij aliquando nominantur, quia omnia quæ exercent ad Episcopos pertinēt.

a Adolp 3 in præparatione ad visitationem pa 474 c.

De officio Archidiaconi Cap vt Archidiaconum,

b Cap. Ad hæc ibidem.

Quo-

Quorum si vigilãtia & solertia, quemadmodum debuisset, in domo Dei excubasset; nunquam vt iustissimè queritur Concilium prouinciale sub Adolpho tertio Anno 1549. 6. Aprilis habitum, pag. 493. Sancta Colonienſis Ecclesia & Diœcesis (quæ fide ac pietate in Deum sanctissimorumque Episcoporum suorum, ac Martyrum vita, ac sanguine præ omnibus penè alijs totius orbis Ecclesijs, nobilis est atque illustris) ad hanc, in qua eam nunc videre est, peruenisset deformitatem; nunquam in ea tot hæreses, & sectę, moresq; corrupti, eousq; inualuissent; nec iaceret adeò disciplina Ecclesiastica neglecta, neque cultus Dei sine cultu, eiusq; honor sine honore. Quæ meritò Archidiaconos eorumque cooperatores Archipresbyteros, aliosq; Prælatos, qui in eandem sollicitudinis partẽ vocati sunt, de somno, in quo hactenus iacuerunt, excitare debent. Veniet enim aliquando dies illa, dies illa aliquando veniet, & adesse properat, cùm antè tribunal æterni iudicis, qui etiam verbum ociosum, & boni operis omissionem ac negligentiam, in iudicium æquitatis vocaturus est, de *c* conuersatione, honore, & doctrina, ecclesiasticorum, ac delinquentium correctione, cęterarumq; rerum suæ inspectioni commissarum studio, reddere cogentur rationem. Vbi si in fide, religione, pietate, morumque disciplina; quæ sanctorum Archiepiscoporum Materni, Seuerini, Euergisli, Cuniberti, aliorumque sanctorum Episcoporum, & huius Diœcesis Patronorum, vigilijs, orationibus, ieiunijs, patientia, sollicitudine, studijs, laboribus, vita denique & morte in hac Ecclesia fundata, erecta, & stabilita fuerunt, eorum incuria, negligentia, aut omissione aliquid neglectum, incultum, aut surreptum inueniatur; non eos sibi experientur Patronos, sed acres ac vehementes accusatores, seuerosque Iudices; quod glorioſos operososque eorum labores, in quos subintroierunt, tam ignauo ociosoque animo exinanierint atque dissipauerint. Iustissimè enim aliorum

c De officio Archidiaconi cap. vt Archidiaconus, *&c.* Ad hæc.

labores exinaniuisse & dissipasse censendi sunt, quorum incuria atque negligentia, exinaniti atq; dissipati sunt. Quanta autem & quibus in rebus Archidiaconorum vigilantia, cura & inspectio desideretur, & in quam sollicitudinis Episcopalis partem sint vocati, cùm ex generalibus Concilijs, & Pontificum Romanorum Decretis ac decretalibus Epistolis, tum ex prouincialibus synodalibusq; Archiepiscorum Colonienſiū definitionibus, pro prijsque Diœcesis huius statutis, & præscriptionibus, nostrisq; hisce constitutionibus, cuiuis potest esse manifestum.

2. Archidiaconorum officium est, curare vt Canonicæ sanctiones, & Ecclesiasticæ leges *d* effectui mancipentur, atque ab omnibus inuiolabiliter atque obedienter obseruentur, eaq; omnia in suo territorio præstare, quæ in Diœcesi Episcopus, cuius sunt oculi, exceptis dūtaxat his, quæ Episcopalis propria sunt muneris.

3. Placita *e* itaque Episcopi sui, & quæcunq; in Episcopali seu Prouinciali Concilio sancita sunt, in suis *f* synodis, Parochis suæ curæ commissis publicabunt; & quę in illis ad populum spectant curabunt, vt à parochis populo publicentur. Et vt parochi seu *g* Ecclesiarum curatores in officio suo sint diligentes, eoq; in omnibus ritè fungantur superintendent.

4. Eandem adhibebunt diligentiam & sollicitudinem, vt promulgentur Romani Pontificis Bullæ & Constitutiones, tam eæ quæ pro communi Ecclesiæ statu ac bono deinceps ædentur, quàm quæ pro particulari aliqua causa (cuius aliquorū in Diœcesi sua cōmorantium interesse poterit) emanabunt. Qua in re, ne quod hactenus visū est, pleraq;, quę in vrbe publicata sunt hic prorsus incognita sint, nullumque fructum faciant, ac illustris ista Diœcesis, in istis publicandis & exequendis à Sanctæ Romanæ Sedis obedientia exempta, aut eidem videatur non esse subiecta: Primo ac supremo huius Diœcesis

d Adolp. 3. in synodo Anno 1551 alterá post Dominic. Inuocauit habita pa. 524. d. & 525. a. & in syno Anno 1550. feria 5. post Remigij peracta pag. 598. b. c. Constitutio item Henrici Anno 1321 postridie Remigij edita, & Conrad. Cardin. cap. 3. pag 3.

e Adolp. 3 in formula Inquisitionis in Cathedralib. & Collegiatis Ecclesijs instituendæ, §. 14. pa. 478. d 479. a

f Concil pro uinc. sub Hermanno 5. pa.

sis Archidiacono iniungimus, vt quotannis circa Dominicæ Natiuitatis festiuitatem, omnium Constitutionū, quæ in vrbe isto anno publicatæ sunt, ac Diœcesin suam, nobile Catholicæ Romanæ Ecclesiæ membrum, quauis ratione tangere poterunt, indiculum seu catalogum sibi transmitti curet, eumque in synodo vernali, quæ quotannis haberi debet, publicè legendum exhibeat, vt si quid in illis publicandis, alicuius incuria neglectum fuerit, id tunc corrigatur, & negligentia curetur.

5. Eidem etiā posthæc incumbet, vt Ecclesiasticas Constitutiones, quæ publicandæ erunt, typis excudi curet, quò facilius omnibus quorum interest innotescāt, & singuli exemplum earum habere queant.

6. Vt ea quæ publicata sunt, sanctè ab omnibus obseruentur, Archidiaconi singulis *h* quibusq; annis, minimū semel, & *i* frequentius si quæ causa postulauerit, singulas territorij, seu Regiunculæ suæ Ecclesias, in propria persona obibunt, & visitabunt, super excessibus, erroribus, vitijs & criminibus inquirent, eaque corrigent, *k* euellent, *l* destruent, dispersent, ac dissipabunt, atq; eorum loco virtutes, moresque bonos inserent, eosque prouehent, & in vsu ac vigore suo retinebunt, & conseruabunt.

7. Maximè verò inuigilabunt, & vigilantissimè cauebunt, ne *m* quid aduersus fidem & pietatem emergat, si tale quid obrepere animaduerterint; mox antequam glisscat, ac inualescat, *E*piscopo suo, ad quem prima cura pertinet indicabunt.

8. Quò in primis spectat, quod in synodo Diœcesana sub Adolpho tertio Anno 1550. 26. Martij pag. 465. cunctis Prælatis, & ijs quibus cura superintendendi commissa est, iniunctum fuit, vt facta domatim inquisitione librorum, quibus sub se tam *E*cclesiastici, quàm sæculares vtuntur: omnes libros hæreticos suspectęq; fidei aboleāt, & si qui fuerint, qui eiusmodi libros tradere recusaue-

rint, eos *E*piscopo suo deferant.

9. Et *b*.

f 14 ca. 19. pag. 467.

g Adolp. in formula inquisitionis Cathedral. Ecclesiar. §. 12 pa 478 d.

h Adolph 3. in formula inquisitionis Cathedraliū & Collegiatarum Ecclesiarum §. 15. pag. 479 a. Synodus Diœcesana Anno 1551. altera post Inuocauit habita pag. 528. a.

i De officio Archidiaconi ca. Mandamus.

k Concil prouinc. sub Herm 5. parte 7. c. 38.

l Concil prouinc. sub Adolp. 3. pag. 438. d.

m Adolp. in formula inquisitionis, Cathed. & Colleg. Ecclesiarum §. 14. p. 479. & in synod. Diœcesana Anno 1551 altera post Inuocauit habita p 525. a.

9. Et si quæ alia grauiora *n* crimina commissa fuerint, quæ modum & vires eorum excedunt, ea quoque ad Episcopum & Synodum Episcopalem referent, publico iudicio submittenda.

10. Synodis Episcopalibus semper intererunt, *o* non tantùm vt in illis referant & exponant regiunculæ suæ statum; sed & vnà cum patribus consulant, & decernant Synodalia Decreta & sententias.

11. Cùm verò & ipsi secundo *p* quoq; anno Synodum parochialem agere teneantur, eandem ea cura & diligentia peragant, vt ager Dominicus ab omnibus tribulis & spinis, quibus siluescebat, hac cultura purgatus & excultus, omnium bonorum fructum faciat vberiorem ac lætiorem.

12. Vt hæ synodi nequaquam tantùm vmbratiles sint, & quandam duntaxat apparentem synodorum formam præ se ferant: sed reuera sint quod esse debent, sacrorum Canonum, atque Ecclesiasticarum Cõstitutionum vindices, Ecclesiæ reformatio, omniumque lapsorum atq; labentium integra & firma restitutio: Curabunt Archidiaconi, instante die synodi Episcopalis vel Archidiaconalis, per omnes Ecclesias, tam regulares, quàm Collegiatas & parochiales, diem hunc publicari, omnemque Clerum & populum, ad sacram Confessionem, Eucharistiam, & orationem, aliaque Christianę religionis, & charitatis opera inuitari, quatenus corde contrito & humiliato, & beneficentiæ ac communicationis officijs Deum sibi faciant propitium, omnesque digni fiant, qui vocem & voluntatem eius audire & percipere queant, induanturque virtute ex alto, qua fortes fiant atque constantes, vt sine timore, trepidatione, & absque omni tergiuersatione, ad ea quæ facienda cognouerint, exequenda & perficienda conualescant. In quod opus, vt quique Christi fideles sint paratiores, & magna animi deuotione ac concordia, ad Ecclesiæ reformationem concurrãt, atque

n Synod. diæc. anno 1551. altera post Dominic. Inuocauit habita. pag. 525.

o Adolp. in formula inquisitionis §. 13. pag. 478. d.

p Synodus vernalis sub Adolp. 3. Anno 1551. pag. 525. a. & 538. b.

atque conſpirent: ſingulis ſacerdotibus, qui durante ſynodo, de Spiritu ſancto Miſſæ ſacrificium fecerint, aut minimum collectam de Spiritu ſancto in Miſſæ ſacrificio hac intentione dixerint, item Clericis atque laicis, qui ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, & pro obtinenda hac gratia inſtanter orauerint; authoritate nobis conceſſa, quoties id fecerint, 40. dies de iniũcta eis pœnitẽtia miſericorditer relaxamus. Qui autem prẽterea in hunc finẽ tribus diebus vel continuis vel nõ continuis ieiunauerint, vel tantum in Eleemoſynam dederint, quantum communiter triduo pro refectione ſeu ſuſtentatione corporis ſui expendere ſolent, vel tres Eccleſias, aut vnam tertiò viſitauerint, & deuotè pro reformatione Eccleſiæ orauerint, vel alioquin in hunc finem aliquod notabile pœnitentiæ opus fecerint, illis alios triginta dies de iniũcta eis pœnitentia in Domino remittimus.

13. Et quoniam Archidiaconis (vt *q* quibus clauis iuris dictionis commiſſa eſt) incumbit, nomine Epiſcopi ſui *r* parochias ordinare, & prouidere, ne quiſquã * inexplora tus ad Eccleſiarum & animarum curam gerendam admittatur; neue qui principales Eccleſiarum Rectores dici volunt, paſcendi ſuorum gregũ curam, in mercenarios vel vicarios, qui prius examinati, & admiſſi non ſint, relegent; ne item quiſquam ſuſpectæ, *ſ* vel impuræ doctrinæ, Apoſtata, & inceſtuoſus monachus, vel aliâs non habens licentiam à Superioribus, neque *t* intruſus, vel illegitimè promotus, in Regimine parochialium Eccleſiarũ ſuſtineatur, & vt qui Canonicè promoti ſunt, officij ſui nõ ſint negligẽtes &c. His omnibus & ſingulis, vt aliâs ſemper, ita præcipuè in ſynodis ſuis, ſagaci cura ac ſollicitudine inuigilare debent.

14. Vigilanter quoque & ſollicitè ſatagent ac curabunt, vt nullus admittatur ad Pædagogia gubernanda, niſi exploratus: & ſi quis inueniatur ſuſpectus de hæreſi, ſeu aliqua praua doctrina, is depellatur, & alius idoneus

q *Adolp. in ſynodo vernali Diœceſana Anni 1550. pag. 508. a.*

r *De officio Archi. c. Ad hæc Concil. prouinc. ſub Herm. 5. parte 1. cap. 12.*

* *Synod. Diœceſana ſub Adolp. 3 Anno 1550. feria 5. poſt Remigij habita pag. 508. a. b. c.*

ſ *Synodus Diœceſana vernalis Anni 1550. ſub Adolp. 3 pag. 464: & deinceps,*

t *Synod. Diœceſana ſub Adolp. 3: Anno 1548. 2. Octobris habita, pa. 414. a.*

Synodus Diœceſana ſub Adolp 3 Anno 1550, 26. Mart. habit. pag. 465. a.

in locum ipsius substituatur.

15. Ad hæc præstanda tanta debet esse Archidiaconis animi virtus & constantia, vt nullo persecutionum metu infatuentur, & persecutioni cedendo, à persecutoribus conculcentur. Sed, vt eorum consectentur virtutes, quorum nominibus insigniuntur, quemadmodum inuictissimus Protomartyr Christi & Leuita D. Stephanus, eiusdemque ordinis & consummationis Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus S. Laurentius, in persecutionibus inuincibiles persistãt, & crescente malorũ, aduersus se sibiq; subiectos peruersitate, ab Ecclesiarũ cura & sollicitudine nõ solũ nõ desistant; sed quod electorũ est propriũ, maiori contentione & alacritate, ad curandam Ecclesiarum salutem & incolumitatem, pleni fide, spe, & charitate sese erigant, synodosq; suas ad tranquilliora tempora, quæ Euangelium Christi nobis non promittit, nequaquam differant: exemplo B. Stephani, Romani Pontificis & Martyris, de quo in officio u Romano legitur: quod vehementius iam ingrauescente persecutione Imperatorum; conuocato Clero, ad martyrium suos hortabatur, in cryptisque Martyrum assiduè Missas & Concilia celebrabat. Nam cùm Archidiaconorum synodi nõ solùm ad publicanda & exequenda synodalia decreta, reformandosque mores, & Parochias ordinandas sint institutæ; sed & ad cognoscendas Ecclesiarum quæstiones, & difficultates, quæ persecutionum tempore & numero & nouitate obscuritateque sua Christi fidelium Pastoribus multum solent facescere negotij, ac in officio suo exequendo remorari: vt non desit Catholicis, sanę doctrinę cibus, & resolutio publica authoritate capta, in qua tutò conquiescere possint, non deesse eis debet Archidiaconorum officium, in hisce inquirendis, audiendis, & cognoscendis, vt si quæ eorum quoque, vel eruditionis, vel iuris dictionis, & authoritatis facultates excedãt; eas ad Episcopum vel proximè futuram synodum referant. Quam

u *Ad 2. diem mensis Aug.*

iuxta

iuxta antiquam & laudabilem huius Diœceſis conſuetudinem, & ſynodalem Conſtitutionem ſub Adolpho tertio Anno 1551. æditã, cuius initium eſt, *Tertio etſi*, pagi. 524. c. ſingulis quibuſque annis bis haberi volumus, eaſdemque cenſuras & pœnas quæ hoc Decreto in Prelatos & alios, qui huiuſmodi ſynodo, prout debent non interſunt, repetitæ & innouatæ ſunt, ſimiliter repetimus & innouamus. Et ne Decani Collegiorum aut Paſtorũ ſumptus excuſent, quò minus ſynodum accedant, obſeruari volumus conſtitutionem hanc Concilij Prouincialis ſub Adolpho 3. Anno 1549. habiti; vt nempe pro numero dierum quibus Concilium aut ſynodus durat, conferant Decanis ſuis Collegia & Parochi, abſque tergiuerſatione, ſubſidia, in ſumptus quos neceſſariò facere debent.

De Synodorũ celebratione medio quinto ad reformationem neceſſario, pa. 441. b. e.

16. Cùm iuxta ſacras Canonum ſanctiones Archidiaconi officium ſit, Epiſcopum, quando Diœceſin ſuam viſitaturus eſt, vel illos quibus id muneris delegauerit, aliquot diebus per Parochias quas viſitaturi sũt, præire, eiſque parare viam, minoreſque ac leuiores cauſas corrigere, & emendare; ne Epiſcopus leuioribus negotijs fatigetur, acvno loco diutius hęrere cogatur, quàm ſit neceſſe, aut alioquin expediat; & propter latitudinẽ ampliſſimæ Coloniẽſis Diœceſis, quæ in quatuor Archidiaconatus principales, & quã plurimos Archipreſbyteratus, ſeu Decanias rurales diſtincta eſt, hoc muneris in oẽs Archipresbyteros, hoc eſt tã Decanos Collegiales, quã Rurales, qui Chriſtianitatum vocantur, in formula viſitationis, Cleri & populi, Ciuitatis & Diœceſis Colonienſis, Anno 1549. 20. Decemb. ab Adolpho tertio eius nominis Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo ædita, ſit diſtributum: Declaramus Archidiaconos hac ordinatione ita eſſe ſubleuatos, vt tamen eis incũbat Archipreſbyteris vigilãter ſuperintẽdere, & curare, vt ea omnia, quę ad prępara-

Adolph 3. in præparatione ad viſitationem pag. 474. b c d.

Ibidem.

tionem visitationis ipsis in dicta formula præscripta sunt, per seipsos præstent, & quandocunque aliâs pro veteri consuetudine visitationem exercere debēt, eandem studiosissimè * per seipsos, & non per alios exequantur.

*cap 3. sess. 24. Concil. Trid. de reform.

17. Quòd si vel in hoc officio, vel in alio quocunq; Archipresbyteri, à peruicacibus, & Ecclesiasticarum Constitutionum contemptoribus impediantur; seu à Secularibus potestatibus, ac alijs quibuscunque Catholicæ religionis parum obseruantibus, aliquod obstaculum offeratur; Archidiaconorum erit, Archipresbyterorum impotentiā hac in parte adiuuare, & si necessitas postulauerit, S. Cæsar. Maiestatis auxiliū, & patrocinij, ad frangendam peruersorum malitiam inuocare, prout in simili causa in synodo Diœcesana sub Adolpho tertio Anno 1549. 2. Octob. decretum & definitum fuit, pag. 459. c. d. Saluo nihilominus decreto Concilij prouincialis, quod præsidente D. Adolpho 3. Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopo, Anno 1449. 6. Aprilis celebratum est: quo declarantur excommunicationem, à iure & Canonibus latā incurrere, qui Decanos Rurales impediunt, quò minus possint officia & iurisdictionem suam exercere, synodos liberè celebrare, & excessus corrigere, sed iudicium hoc sibi vendicant.

Cap Accepimus Magistratus sæculares, pag. 453.

18. Et ne vel in hoc, vel in alio munere neglecti aut nō executi officij culpa in Officialibus vel Decanis ruralibus inueniri queat; obseruari volumus 20. caput partis 14. Concilij Prouincialis sub Hermanno quinto habiti: vt nempe Archidiaconi, nullos inidoneos officiales aut Decanos rurales deligant, aut admittant. Sed ad has functiones viros tantùm assumant, cùm doctrina præstantes, tum vitæ innocentis inculpataq;, qui nullius criminis labe notabiles officium suum irreprehensibiliter exequantur.

19. Cùm de iure communi, ad Archidiaconi spectet officium;

officium;ordinandos examinare,eosque repræsentare Episcopo;idque,vt alia multa Archidiaconis incumbentia officia,in aliorum humeros ita reiectum sit, quasi minimè ad Archidiaconos pertineret:quamuis præcipere possimus,quia tamen pro ingenita eis animorum nobilitate,plus nos obtenturos confidimus, si rogemus: Rogamus eos per gloriosam Christi humilitatem, vt ne inglorioſũ ducant,Domino gloriæ hoc dignitatis suæ præstare ministeriũ, vt in cooptandis, & præsentandis Sacramentorum ac mysteriorum Dei dispensatoribus, eisque subseruientibus ministris, eandem adhibeant diligentiam, quæ à maioribus nostris, primisq; Ecclesiæ Archidiaconis hîc exhibita fuit, atque Ordinandorum examinationi ita sedulò attenteq; interesse studeant, vt ipso S.Ordinationis tempore Episcopo interroganti, an sciant illos esse dignos, non tanquam alienam personam gerentes, neque ex aliorum ore, seu vt nudam cæremoniam, sed ex iudicij sui testimonio verè respondere possint: Quantum ad humanum spectat examen,se credere illos,natura,scientia,& moribus dignos esse,& probos,qui S. Ordinis Sacramento initientur. Nam non ad Episcopos duntaxat,sed ad eorum quoque cooperatores; illos præsertim, quibus examinationis & præsentationis incumbit munus,spectat illa Apostoli per Spiritum sanctum emissa præceptio: *Manus citò nemini imposueris,neq; communicaueris peccatis alienis*. Quod exponens D. Leo Magnus: Quid est,inquit,manus citò imponere,nisi ante ætatem naturitatis, ante tẽpus examinis, ante meritum laboris, ante scientiam disciplinæ,sacerdotales honores tribuere non probatis? Etquid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est qui non meruit ordinari?

De officio Archidiac. vt nostrum.

Epist. 87.

20. Porrò quandoquidem in causis spiritualibus seu Ecclesiasticis,iuxta statuta Colonienſis Ecclesiæ, etiam Iudicis officium Archidiaconis tribui videatur: quales

Pa 308.310. cauſæ à ſynodo Diœceſana Anno 1550. feria quinta poſt Remigij habita, inter alias eſſe decernuntur, quando de inſtitutione vel deſtitutione Clericorum ſeu iure præſentandi, inſtituendi, conferendi vel prouidendi agitur, vel ſuper decimis, alijsq; Eccleſiaſticis rebus, bonis, facultatibus, prouentibus & obuentionibus, ſeu teſtamentis ad pias cauſas conditis; vel cùm de coniugiorum nexu, & vinculis aut de vſuris alijſue ſimilibus ſpiritualibus negotijs diſceptatur; vt Archidiaconi, quibus huiuſmodi officium aut de iure, aut ex conſuetudine, conceſſum & creditum eſt, in dicendis ſententijs, à veritate & iuſtitia non declinent, nihilq; contra iudicij ſui teſtimoniũ, fauore aut prece delinquant; à facilitate credulitatis debent eſſe immunes, & ab accipiendis muneribus, quæ excæcant oculos prudentum, & manus & animum continere; nec facies accipere peccatorum, ſed iudicare cauſas meritorum.

21. Cùm itaque ſicuti nulla *Eccleſiaſticæ* dignitatis functio, Epiſcopali muneri propinquior eſt, & ad ſubleuanda Epiſcopalia onera accommodatior, quàm functio Archidiaconi; ita neque vllum munus poſt illud, aut Eccleſiæ magis ſit neceſſarium, aut fungenti magis arduum: intenta ſollicitudine & ſollicita intentione ſat agendum erit, vt viri ad hoc munus idonei, & ad Epiſcoporum virtutes proximè accedentes eligantur. qui dictãte Spiritu ſancto, per conſenſum omnium totius Eccleſiæ Patrũ, in omnibus Eccleſijs, vbi fieri poterit, debent eſſe Magiſtri in Theologia, aut Licẽtiati in Iure Canonico. Quorũ omnis ætas à puerilibus exordijs, vſq; ad prouectiores annos, per diſciplinę *Eccleſiaſticæ* ſtipẽdia cucurrit, vt ne his Eccleſia Domini regẽda credatur, qui legitimarum inſtitutionum neſcij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis ſumere incrementum, ſed à ſummis volunt habere principium: cùm valde iniquum ſit & abſurdum, vt imperiti magiſtris, noui antiquis, & rudes præ-

Concil. Trident ſeſſ. 24. cap. 12.

D. Leo Epiſt. 87. c. 1.

De his D. Bernard Epiſt. 42.

præficiantur emeritis; nec minus inordinatum atq; peruersum, vt ordinandis, regendis, & corrigendis sacerdotibus præponantur, qui in nullo gradu vnquam obsecuti sunt sacerdotibus. Dist. 61. cap. Miserum.

22. Hæc de officio Archidiaconi ita recensita sint, vt cætera, quæ in SS. Patrum antiquis & venerabilibus sanctionibus, de Archiadiconi officio sunt præscripta, minimè velimus esse antiquata; sed quæcunque in illis præterea inueniri poterunt, quæ ad decorem domus Dei, ad tuendam, propagandam, & illustrandam fidem Catholicam, atque ad innouandum disciplinæ Ecclesiasticæ vigorem, quoquo modo facere possunt; eadem Archidiaconi frequenter sibi ob oculos ponant, & quantum Deũ amant, tantum eius honorem in omnibus promouere studeant, ac secundùm formulam sibi præscriptam à Patribus, quorum lingua fuit calamus, sancta & iusta scribentis; non minori deuotione vitam, & actiones suas cõponant, quàm, si immediatè eam de manu Dei accepisset. Prouer. 8. 12.

23. Quæ verò de institutione corporali, tã super officijs, beneficijs, & curis, quã dignitatibus, præscribenda hic Archidiaconis fuissent, ea proprijs suis locis & titulis digesta sunt. Quæ quidem vt alia omnia Ecclesiæ Coloniensis statuta, eo studio perlegant, vt cunctis, quibus præsunt, & officij dignitate præeminent, viua lex & lux esse possint, atque vitæ & morum integritate hoc præ se ferant, ad quod alios authoritate & iurisdictionis potestate, promouere & prouehere debent.

DE ARCHIPRESBYTERIS.

MAgnam cum Archidiaconis affinitatem habent Archipresbyteri. Quo nomine Adolphus tertius, Archiepis. Colonienſis in præparatione ad visitationem 1.

Decanos,

Decanos, Collegiatarum Ecclesiarum quàm Rurales seu Christianitatum intelligit.

DE ECCLESIARVM COLLEGIATARVM DECANIS.

1. DE Decanis Collegiatarum Ecclesiarum, quamuis titulo de Prælatis generatim atque vniuersè actum sit; cùm tamen hic locus singularem de eis tractationem postulet, præcipua, muneris atq; officij quod eis incumbit, capita, quorum *Ecclesiæ Colonien*sis *C*oncilia & statuta meminerunt, hîc recensenda esse putauimus.

2. Decani itaque eandem penè in Collegijs suis in sibi subiectos habent authoritatem, iurisdictionem, curam atque sollicitudinem, quam in regiuncula sua habent Archidiaconi. Nam vt in statutis Conradi Archiepiscopi, cap. 9. Anno 1260. quarto Idus Martij pronuntiatum est: pœnes eos consistet Ecclesiarum suarum potestas, lege ac gubernatione Canonicæ disciplinæ exercenda. Et quemadmodum alibi, tum in Constitutionibus D. VVilhelmi Colonien sis Ecclesiæ Archiepiscopi 25. Februarij Anno 1352. æditis, cap. 2. legimus: eis, tanquam iudicibus correctionis & disciplinæ suorum subditorum, vigilandum est, vt quæ in prouincialibus Concilijs, Synodalibusque statutis, alijsq; Episcoporum Constitutionibus prescripta sunt, à subiecto sibi clero obseruentur: & si quę contra illa ab his commissa fuerint, eadem de iure & cõsuetudine tenentur corrigere, & secundùm Canonicas sanctiones vindicare; prout ab eodem VVilhelmo in Cõstitutione Anno 1353. 4. Mart. ædita, apertè indicatum est. Quò referenda sunt, quæ de publicandis *a* Episcoporum Concilijs & Synodis, Romanorumque Pontificum Decretis & Constitutionibus; Quæ itē de habenda cura, ne quid vel per suspectæ & impurioris doctrinæ *Ecclesiarum* Rectores, vel per Pædagogiorum præfectos, vel per infectos hæresi libros, aut alia quauis ratione in Catho-

Pag. 12. d.

Pag. 155. a. b.

Synodus Diœcesana sub Adolpho 3. Anno 1550. 26. Februar. habita pag. 464. c.

Cap 5. statutorum eius pag. 157 c.

a VVilhelmus in Constit. Anno 1360. 1. Octo. ædita, ca 29. statutorum eius pag. 181.

tholicam Eccleſiã *b* irrepat, Archidiaconis fuerunt præſcripta. Hæc enim ad Decanos Collegiales quoque pertinere, & ab ipſis in Collegijs ac locis eorum iurisdictioni ſubiectis debere præſtari, ex varijs Epiſcoporum Colonienſium Conſtitutionibus dignoſcitur.

3. Præter hæc autem, cùm, vt dictum eſt, Collegiatarũ Eccleſiarum Decani, Paſtores ſint omnium Canonicorum, & inferioris Cleri ſui Collegij; à paſtoralibus officijs minimè abhorrere debent, eaque à ſe, tanquam ſibi indigna, reijcere; quin potius Paſtoris nomine & opere gloriantes, exemplo Chriſti, cuius vt locum tenent, ita formam ſequi tenentur, qui dixit: *Bonus paſtor animam ſuã ponit pro ouibus ſuis*: nihil ſibi reputent indignum, niſi quod ſaluti ouium obeſſe poteſt, non quærentes quę ſua ſunt vt mercenarij, ſed ſeipſos impendentes vt veri paſtores.

4. Cùm paſtorum ſit, diligenter agnoſcere vultum pecoris ſui, ſuoſque greges conſiderare, ac ſingulas oues vocare nominatim; hanc quoque curam ad ſe pertinere agnoſcant Decani. Quare curent ſingulorum Canonicorum, Vicariorum, Clericorum, aliorumq; ſibi ſubiectorum, animæ ſtatum ita exploratum habeant, vt cum ſecuritate animæ ſuę, de animabus illorum Domino Deo & Epiſcopo ſuo quandocunque eis placuerit, reddere poſſint rationem.

5. Ad cognoſcendos autem ſingulos, ac ſtatum cuiuſque animæ certius explorandum; in primis proderit, ſingulorum confeſſiones frequenter audire; in quibus fidelis & deuota Deo & Superioribus ſuis anima, ſecreti ſui abſcondita intimoſque affectus tanto liberius pandit, quanto & per ſacræ Confeſſionis ſigillum ſecurius, & per Sacramenti religionem ſanctius deteguntur.

6. Quod vt maiori cum fructu fiat, vita & moribus ita compoſiti ſint Decani, taliq; ſcientia ac peritia ad ſanandos animi morbos, tractandique vnumquemque pro ægritu-

d. & ſynodus Diœceſana ſub Adolp. 3. anno 1549. 2. Octo habita. pag 459. a b. b Adolp. 3. in ſynod. Anno 1550 26. Feb. habita pag. 464. d. & 465. a.

Supra tit. de Prælatis artic. 6. Cõcil. Lateranenſ. ſub Alexandro tertio habitum, cap. 3. quod habetur cap. 7. de elect. §. Inferiora, & Paulus 3 in Regulis Cancellariæ. cap. De duobus Decanatibus in Alemania non obtinẽdis. Ioan 10.

gritudine sua, arte præditi; vt Canonici & reliqui omnes, quotquot Decanis subiecti sunt, non solùm non inuiti, ad faciendam sacramentalem confessionem eos accedant; sed illos præ alijs eligant, malintque propter salubriora consilia, & præstantiora remedia, quæ per illos potius, quàm per alios, in recuperatione valetudinis internæ experiuntur, ipsorum potius, quàm aliorum opera, in sacris confessionibus vti.

7. Non respondeant hîc Decani quidam, insuetum esse, nec conuenire dignitati suæ ministerium tale. Non insuetum, sed desuetum dicant, & per desuetudinem peccatum esse agnoscant, atque nobilissimum agrum Domini, alioquin natura sua fertilissimum, non solùm hac negligentia alibi sine fructu esse, sed pro fructu tribulos & spinas proferre, magna contritione cordis doleant. Itaque post longam desuetudinem, sanctam consuetudinẽ repetant, & quæ olim magno cum fructu, & Ecclesiarum splendore à Decanis factitata sunt, nouo pietatis ardore, nouo Christi ac animarum salutis amore; nouoque domus Dei zelo factitent, ac sese ad audiendas subditorum suorum confessiones frequenter offerant. Locum huic rei conuenientem, vel in sacrario vel in Domo Capitulari, vel alibi in Ecclesia designent. Horam certam, quando huic functioni vacaturi sunt, annuncient; omnibus causa confessionis eos accedere cupientibus, facilem accessum præbeant; ad verecundos sese insinuent; benigne, patienter ac longanimiter omnes audiant, omniaque alia intermittant, vt hîc nihil omittant, nihilq; quod ad expertum animæ medicum pertinet, negligant. Operosum quidem hoc officium, & quod animum, vt reliquis virtutibus, ita Christiana quoque humilitate, ardentiq; charitate instructum requirit: sed tamen contra quam tumidus, irreligiosus, & Ecclesiastica ministeria spernens animus iudicat, cælesti dignitate plenum. Quid enim ex omnibus, non Decanorum modò, sed Prælatorum

rum omnium officijs dignius, quidúe excelsius, quàm diuina authoritate peccata soluere, quàm potestate clauium ad æternam beatitudinem peccatoribus aditum facere? quam quidem potestatem sacerdotali ordinatione receperunt, & iurisdictionis Decanalis authoritate exercere possunt. Quò eis authoritas hæc? quò eis ista iurisdictionis facultas, si eam non vsurpent, sed vel ligent in sudario cum seruo nequam, vel cum seruo pigro sine aliqua vsura fodiant in terram? Imò verò vt hoc præ alijs possint, se quoque Prælatos dici intelligant, & verè esse si præ alijs faciant. Vt enim possint,† sub pœna suspensionis fructuum tenẽtur intra annum à tempore adeptæ pacificæ possessionis esse sacerdotes: Vt autem præ alijs possint, in prouinciali Concilio, sub Adolpho* tertio Anno 1549. peracto, tanquam peritiores medici, qui in grauioribus & periculosioribus morbis præsentissimam adhibere possint medicinam, prærogatiuam acceperunt, sibi confessos ab omnibus casibus, de iure vel per statuta synodalia Archiepiscopo reseruatis, in foro conscientiæ absoluendi. Quamobrem audiendi subditorum suorum confessiones necessitatem sibi impositam, vsu & consuetudine faciant leuiorem: cùm vt vsu & praxi, curandi animarum morbos peritiam maiorem acquirant, tum vt qui in casum reseruatum inciderint, sine proditione criminis sui, absolutionis gratia eos conuenire queant. alioquin enim si tantùm in casibus reseruatis confessiones audire solent, illi magno cum rubore, grauioris criminis reos, prodere se cogentur.

† *Supra tit. de Prælatis cap. 19 Wilhelm. in stat. ca 8. pa. 159. 160. Conrad. in stat cap 9. pag 13 a.*

* *Pag. 455. c. Reseruatio enim casuũ fit, partim vt infirmiores hac ratione deterreantur à grauioribus criminibus, partim quia conuenit vt graviores morbi peritioribus medicis committantur.*

8. Eodem porrò spectat, quod ab eodem Adolpho, in inquisitionibus tempore visitationis in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, de Decano faciendis quærendum proponitur: An Decani inuigilent, vt secundùm Canonem *Omnis vtriusque sexus* de Pœnitentia & Remissione omnes personæ Ecclesiasticæ, ad

minimum semel in anno ipsis seu de eorum permissione, Ecclesiæ Parocho, & idoneo sacerdoti peccata sua cõfiteantur, & secundùm Ecclesiæ ritum communicent, & an in negligentes vel detrectantes (vt Canon ille iubet) animaduertant.

9. *Ex* quibus verbis, præter hoc quod de audiendis cõfessionibus vrgemus, animaduertant Decani Canonem *Omnis vtriusque sexus*, non laicos tantùm, sed etiam Canonicos, reliquosque Clericos obligare, eosque ab ipsis, si non fecerint quod in Canone illo requiritur, secundũ eundem Canonem puniendos esse, nempe vt viuos arceant ab ingressu *Ecclesiæ*, & mortuis Christianam negẽt sepulturam. Nam præterquam quod Canon vniuersè loquatur, omnesque Christi fideles generatim comprehẽdat, ab Adolpho tertio ad continendũ in officio eos, qui immediatè Decanis subsunt, speciatim adducitur.

10. Animaduertant præterea, eos qui immediatè eis subiecti sunt, non nisi sua permissione alieno sacerdoti, licet Ecclesiæ parocho peccata sua confiteri posse. Quod & in præsenti constitutione Adolphi tertij, & clarius in statutis Sifridi ca. 8. pag. 44. in tanta sacerdotum multitudine prudentissimè & consultissimè declaratum est; cùm vt Decani nominatim sciant, quibus singuli subditi sui confiteantur, tum etiam quia aliter vt Canon testatur, alienus sacerdos, eos non potest absoluere, vel ligare.

Cap Omnis vtriusque sexus.

11. Cùm autem omnes illi immediatè Decanis subsint, etiam si Laici fuerint, & coniugati, quotquot infra immunitatem habitant, vel in domibus Capitularibus vt vocari solent, extra immunitatem quidem sitis, sed eiusdem iuris cum illis quæ intra immunitatem sitæ sunt: ijsdem Decani tanquam proprij eorum pastores, omnem pastoralem curam impendant. Et quemadmodum D. Adolphus tertius, rectè monet, omnes & singulos sæpe moneant, vt quisque vocationi suæ gnauiter incum-

cumbat, & vitam ducat appellatione sua dignam, atque si quos Pastores vel Ecclesiæ suæ vicarios sub se habent, qui Pastores familiæ vocantur, hos suos coadiutores, ac pastoralis officij vicarios duntaxat ministros agnoscant, non autem tanquam proprios Pastores, & quibus nullā sollicitudinis debeant inspectionem, pro voluntate sua agere & negligere sinant.

In inquisitionibus in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs faciendis. pa. 479. c. § 23. Cap extirpãdæ consuetud § qui verò, de præben. & dign.

12. Ac proinde tales vicarios, ac coadiutores ad hoc onus promoueant, aut promoueri curent, quibus incũbentem sibi animarum curam tutò credere & dispartiri valeant. Qui videlicet, cùm cæteris morum grauitate, vitæ innocentia, charitate atque insigni doctrina præstent; præ cæteris digni sunt, qui in cura Pastorali Decani onus supportent, eosque in officio pastorali ita dirigant, vt nec vltra facultatem sibi commissam, aliquid tentare præsumant, nec in exercendis talentorum suorum vsuris, ac lucrifaciendis animabus, desidia aut ignauia torpescant, nomine videlicet pastoris gloriantes, sed charitate & operibus pastoralibus vacui & inanes.

13. Vt autem Decani, hos sibi magis obtemperantes, magisque sedulos in opere Pastorali sentiant cooperatores, vtque ipsi Decani agnoscant, qua in re illos sibi vicarios ac cooperatores habeant: officia etiam humillima quæ his, tanquam Decanorum in munere pastorali vicarijs incumbebant, ipsimet aliquando magna cum humilitate & charitate, sine vlla indignatione perficiant, vt cũ Domino ac Saluatore nostro dicere possint. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Nihil enim & ad erudiendum aptius, & ad permouendum potentius, quàm si Dominus aut magister, ex summa humilitate & syncera charitate aliquando faciat, quod à famulo aut discipulo rectè factum desiderabat.

Ioan. 13.

14. Cæterùm, vt in his se vtiliter, & magna cum omnium ædificatione, ac nominis sui æterna claritate Decani humilient, ad ea tamen quæ Decano propriè incũ-

bunt, illos assurgere non permittant; videlicet, si sacramentum Eucharistiæ, aut extremæ Vnctionis fuerit administrandum alicui in lectulo ægritudinis iacenti Canonico, hoc ipsum nisi necessitas, aut causa vrgens aliud cogat, ipsimet faciant Decani, seruata forma à Canonibus & Ecclesiarum suarum statutis præscripta, comitantibus videlicet, & præsentibus omnibus Canonicis ac vicarijs, sic vt omnes cum sacerdote inungente infirmum, Psalmos, litanias, & orationes ab Ecclesia traditas, vti hæc in agenda continentur, deuotè, & fixis in terram genibus, super infirmum dicant, ac quisque hoc vltimum vale ita dicat fratri suo, per ignotas vias ad iustum iudicem suum abituro, quemadmodum sibi in statera appenso, & inuento minus habenti factum vellet.

Adolp. tertius in ijs quæ in Cathedra lib. & Collegiatis Eccle sijs inquiri debent. §. 63 pag. 482.

15. Si autem Decanum à ciuitate, seu loco residentiæ suæ fortè abesse contigerit, vel ipsummet corporis infirmitate, aut alia quauis iusta causa ab huiusmodi officio infirmo fratri suo præstando impediri; tunc Decani vicem supplebit, qui Decani absentis locum tenet.

Cyprianus lib. 1. epist. 9.

16. Quod verò ad sacram attinet communionem, cuius hîc per occasionem facta fuit mentio: cùm in homine Christiano, ac præsertim Ecclesiastico (qui vt præalijs in nulla re impeditus, precibus, orationibus atque sacrificijs perpetuò vacaret, & suis meritis supplex pro populo apud Deũ intercederet, alijsq;, sanctitatis esset exemplum, subsidiũ victus, atq; honorẽ ab Ecclesia accepit) signũ sit tepidæ aut nullius fidei, tepideq; aut nullius charitatis, nihil vltra præceptũ facere, ac hoc ipsũ, quod præceptum exigit, vix aut ægrè adimplere; multumque is à Deo elongatus esse conuincatur, atque terrenis desiderijs nimis affixus, qui vel simplex Clericus, vel in sacris Ordinibus constitutus, à frequenti corporis Christi communione abhorret, vel Sacerdos singulis quibusque diebus Dominicis & festis voluntaria Deo placendi, Deumq; placãdi seruitute, Missæ sacrificium non offert; sed id tantùm facit,

facit, cùm ex obligatione quadam, ad sacrificandum cõstringitur, vel liberali eleëmosyna inducitur: Decanorũ erit non tantũ inuigilare vt secundùm citatum magni Concilij Lateranensis Canonem, communi laicorum lege Clerici Ecclesiæ præcepto satisfaciant; sed & sine vlla defatigatione adlaborare, vt (quemadmodum in præcedentibus, cùm de Prælatis generatim ageretur, indicatũ est,) non tantùm pijs exhortationibus, sed & suo exemplo crebram ac frequentem corporis Christi communionem, apud Clerum in vsum reuocent. Et sacerdotes quidem singulis diebus Dominicis & festis, etiam si non teneantur ex officio, in spiritu humilitatis, & corde contrito faciant sacrificium, eosque istuc permoueat pia atque celebris D. Bonauenturæ sententia, quam ad obtinendam à sacerdotibus frequentẽ sacrificij oblationem protulit, sic enim ait: *O quàm graues angustiæ? O quantæ angustiæ me vndique affligentes? accedere indignè horrendum est iudicium, non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu damnabilis est culpa. Nam cùm sacerdos est absque peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentũ, & non ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare omittit, priuat* Trinitatem *laude & gloria, angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum medicina & remedio, contra quotidiana peccata & infirmitates.* Tantum Bonauentura. Reliqui verò si non octauo quoque die, iuxta reformationem Pij Quinti, saltem semel in mense minores Clerici, ac etiam in solennibus Christi Domini, Beatæque Virginis Assumptionis, Omniumque Sanctorum, diebus festis; in maioribus autem Ordinibus constituti, bis singulis mensibus solennibus Christi Domini & festis Beatæ Virginis supradictis, à Decano suo, vel à sacerdote Missam solennem cantante, sacrosanctum & viuificum corpus Domini accipiant. Subdiaconi & Diaconi, præ-

Artic. 16. & 17.

Tractatu de præparatione ad Missã ca. 5. Cuius initium est, Tertiò proba te ipsũ.

In constitutione pro Clari reformat. edit Anno 1566.

Concil. Tridenti sess 23. cap. 11.

præterea festis omnibus alijs, quibus altari in solemni missæ sacrificio, vestibus sacris induti ministrauerint, sacram communionem accipiant: vt quemadmodum ad sacros Ordines promouendi, crebra corporis Christi cõmunione, vitæ suæ meritum comprobare tenentur: ita promoti, crebriori communione augmentum eius faciant, in ædificationem sui, in charitate Dei & proximi. Alij porrò laici, qui Ecclesiæ deseruiunt, vt sunt Virgiferi, Custodes aut Campanarij, & similes, ter minimum in anno secundùm legem, olim omnibus laicis præscriptã & obseruatam, ad percipienda in *E*cclesijs, quibus asscripti sunt, sacramentalia corporis Christi mysteria inducantur. Decet enim, vt qui ad ministrandum, & seruiendum in *E*cclesia Dei assumpti sunt, Deo præ alijs placere, & per vitæ sanctimoniam ei propinquius astare studeant: vt ne hinc aliquando grauius damnentur, quod ad sanctitatẽ aliorum collaborauerint, ipsi interim omni sanctitate inanissimi; tanto ob hoc maiore intercapedine, à Regno Dei segregandi, quanto hic ministerijs externis Deo, diuinisque officijs propinquiores, & in populo honoratiores fuerunt. Et licet intra immunitatem Ecclesiæ cui seruiunt, non habitent, sed forsitan in Parochia aliqua, quãuis Collegio vicina, Collegio tamen aut Decano non subiecta, non in Parochia quidem illa, sed in Collegio, cuius sunt membra, à Decano vel alio sacerdote, solemne missæ sacrificium faciente, sacram Eucharistiam istis diebus accipient. Ne dum eos Decanus putat communicare in Parochiali *E*cclesia, & contra Pastor id existimat eos facere in Collegiata, nec huic, nec illi satisfiat.

De consecrat dist 2 cap. Et si non, & cap. sæculares.

17. Vt autem Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Canonici, & reliqui Clerici ac laici, ad quos hæc nostra Constitutio dirigitur, promptiori animo ac deuotiori voluntate eidem sese conforment, & inuitati ad cæleste epulum, lubentes veniant; nec excusando excusationes in peccatis, quod minus obtemperent sese excusent: pro tradita

nobis

nobis ab Apostolica sede potestatis mensura, Ecclesiæ thesauros benignè aperientes omnibus & singulis supra dictis, qui præscriptæ Constitutioni nostræ parebunt, & diebus designatis sacrosanctam Eucharistiam modo quo dictum est deuotè accipient, vel salutare Sacrificiũ offerent, & simul pias ad Deum preces effundent, vt Ecclesiam suam sanctificare, regere, pacificare, custodire & adunare, hæreseſque vndique euellere, & extirpare, atq; Ecclesiæ Prælatis virtutem largiri dignetur, qua impositum sibi munus, ad eius gloriam, subiectorumque salutẽ administrare possint & velint, atque subiecti eisdem bene monentibus pareant, rectèq; eos dirigentibus acquiescant: de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli authoritate confisi, toties quadraginta dies, de iniuncta eis pœnitentia relaxamus.

18. Si qui verò, sibi plus æquo sapientes, hisce nostris inuitationibus, & Prælatorum suorum exhortationibus acquiescere contempserint; & vt obtemperent, nec prẹmijs induci, nec rationibus potuerint permoueri: Hos Decani primùm priuatim, deinde si non proficiẽt, publicè seuerius corripient, declarabuntque eos hoc in fidelibus Niniuitis longè inferiores, qui regi suo homini prophano prẹcipienti, ieiunium saccum & cineres, ad placandam iram Dei & reuocandam latam perditionis sententiam, magna alacritate obediuerunt: quod ipsi inuitantibus eos ad cœnam magnam, ad panem angelorũ, ad refectionem animarum suarum, Apostolorum successoribus, Christiq́ue in terris vicarijs obtemperare detrectent. Quibus tamen cùm ad patrimonium Christi, ex quo subsidium vitæ & honorem susceperuri erant, admitterentur, illiusque insignia, vt ei deuotius præ cæteris seruirent, acciperent, iureiurando obtemperaturos se promiserunt. Vbi autem nec correptionibus quidquam obtentum fuerit ad mulctas, si videbitur consultum, procedant, & primùm quidem parua, secundò magna, tertiò

Ionæ 3.

De hac re videatur D. Gregor. Homilia 36.

verò maiori aliqua portione Canonica priuẽtur, vt tãtilla tẽporalis emolumẽti iactura, pro terrenis cœlestia; pro caducis amare discãt ęterna, & comedẽtes panẽ illum, eũdem esurire incipiant, quem non sumentes fastidiebant.

19. Eadem cura & deuotione, qua Decani Pastorale officium præstare tenẽtur, honorem Dei in Ecclesijs quibus præsunt tueantur. Quamobrem quæcunque infra de diuinis officijs ordinata sunt, eo studio obseruari curẽt, vt nihil hìc ab eis desiderari possit; sed zelo domus Dei accensi, sedulò aduertant, & circumspiciant, an quidquã præter illa desideretur, quod ad cultum & honorem Dei augendum, & illustrandum facere quoquo modo possint: & hoc ipsum authoritate qua præditi sunt, obseruari curent, eoq; in studio sese mutuo æmulentur, & pia concertatione, animiq; viuacitate vincere studeant.

Concil. prouinc. sub Herm 5. parte 3. c. 2. pag. 356 Adolp. 3. in præparatione ad visitationem. pa. 483 a b §. 80. 81. 82. & in inquisitionibus, quæ in Cathedral. et Collegiatis Ecclesijs fieri debent. p. 479 c d. §. 24 25.

20. Inter reliqua porrò munia, quæ Decani magna vigilantia & sollicitudine obire debent, curanda est Clericalis vitæ sanctitas, grauitas atq; honestas: nempe vt omnes quotquot eis subiecti sunt vitam ducant suo statu ac ordine dignam, non incedant gladijs accincti terribiles, non gaudeant longo accubitu, nec studeant euacuandis poculis ad æquales haustus, non comam indecentem & militarem nutriant vel barbam, sed tonsuram ac habitum deferant clericalem: & si qui sint inobedientes, ebriosi, luxui indulgentes, aleatores, percussores, rixosi, scortatores, ignaui, mercaturam & vsuram exercentes, & officij sui negligentes, in eos secundùm cẽsuram sanctorũ Canonum animaduertant, & excessus quorumcunque Canonicorum, & Vicariorum insolentiam, aliorumq; subditorum vitia, quoties opus est castigent. Quò spectãt ea quæ infra de Canonicis, & Clericis, de residentia Canonicorum aliorumq; ministrorũ Ecclesiasticorum, de beneficijs item Ecclesiasticis, & de concubinarijs recensita sunt. Similiter ad eorum quoq; curam pertinẽt, quę de recta bonorũ Ecclesiasticorũ administratione præscri

pta

pta sũt. Et passim reliquo hoc opere quãplurima inueniẽ tur, quæ vt ducãtur in vsũ, & ea qua par est deuotione seruẽtur, Decani authoritatis & potestatis suę põdus interponere debebũt. Proinde iũgant curãsuãSuperiorũ suorũ dispositionibus, & vt circũspectè ac velociter impleãtur, quę ad totius Ecclesię incolumitatẽ, & laudabiliter digesta sunt, & salubriter ordinata, ea oĩa flagrãti lectionis & meditationis studio cognoscant, cognita obseruent, seq; omniũ bonorũ tale prębeãt exẽplar, vt ipsi sint viua lex, & tanquã veri animarũ Pastores, oues suas pręcedãt, quocunq; eas sequi voluerint. Quã vitę formã in primis à Decanis exigit Concil. prouinciale sub Herm. 5. habitũ dũ parte 14. ca. 4.* pro reformatione Ecclesiarũ Cathedraliũ & Collegiatarũ primã curã ponendã esse cẽsuit in Ecclesiarũ Pręlatis maximeq; Decanis: consequi. n. necessariò, si illi cœci fuerint, vt hi quibus ducatũ præstãt in foueam trahantur, ac simul cũ illis cadant, eò quod facilè ab alijs in exemplum trahatur, quicquid ab illis committitur.

Vide tit. de Archidiacenis, vbi agitur de synodis & tit. de pastoribus.

Concil prouinc sub Hermanno 5 parte 14. c. 1 Adolph. in inquisitionibus in Cathedral & Collegiat Ecclesijs faciendis pag 479. c 5. 23 24. 25.

** Pag. 405.*

21. Qua in re, vt & Decanis & eorũ subiectis rectè cõsulamus, ne dũ sensus eorũ, per externarũ rerũ curã, multum distrahuntur, ea quæ ad mores & ad vitã suã rectè formãdam, quęq; officij propria & pręcipua sunt, intermittant aut obliuiscantur; cõuentus illos, quos antiquę sanctarũ Constitutionũ regulę Capitula disciplinę vocãt, singulis minimũ mensibus, in omnibus vtriusq; sexus Collegiatis Ecclesijs præcipimus custodiri, prima videlicet die Capitulari vacãte cuiuslibet mensis: vel, si magis placuerit, celebrioribus saltẽ festis imminentibus; Resurrectionis nimirũ Dominicę, Pentecostes, Natiuitatis Iohann. Baptistę, Assũptionis B. Mariæ, omniũ Sanctorũ, Natiuitatis Dominicæ, Dedicationis & Patronorum Ecclesiæ, ac sub initiũ Quadragesimę. In huiusmodi Capitulis singulis vicibus à iunioribus Canonicis per ordinem ex his Decretis tantum legatur, vt quæcunque ad Prælatos vel inferiores Canonicos, Vicarios, Clericos, aliasq;

Ecclesiasticas personas, quouis modo spectant, singulis annis perlegantur;& siquid Decani ex Conciliorum Prouincialium vel synodalium, alijsue Archiepiscoporum Colonienſium statutis adiungendum iudicauerint, hoc quoque adiungatur. Inter alia verò adiungi in primis volumus, & frequenter prælegi formulas iuramentorum, quibus Ecclesiarũ Prælati, Canonici, Sacerdotes, Officiales,& ministri vel ratione ordinationis suæ ad sacerdotij gradũ, vel ratione institutionis suæ ad Prębendas, Canonicatus, Ecclesias parochiales, dignitates, vel ratione officij seu ministerij sui, se Deo, Ecclesiæ suæ, suisque Superioribus obstrinxerunt. Hac quippe ratione fiet, vt & hęc & sanctorum Patrum præcepta & definitiones omnibus innotescant, & qualiter quisque vitam suam instituere debeat,& muneri, quod sibi incumbit, satisfacere, cuique manifestum euadat. Dabitur etiam occasio, vt si quæ obscura videbuntur, & explicatione digna, eadem Decani explicẽt,& quæ inculcãda oportuna & importuna adhortatione, inculcẽt, quęq; corripienda, emẽdanda & castigãda, sine dissimulatione corripiant, emendent, & castigẽt; & quæcunq; contra Ecclesiasticæ sanctionis regulas, culpabili nouitate, malè pullulasse cognoscent, statim in ortu suo radicitus euellant.

Pagi. 359. c. 22. Quod quanam ratione Decani præstare debeant, ca. 14. 15. 16. & 17. partis tertiæ Concilij Prouincialis, quod præsidente Hermanno Quinto Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopo habitum est, luculenter est expositum; quò Decanos remittimus, eosdem D D. Conradi & Adolphi III. Archiepiscoporum Colonienſium verbis admonentes, vt antiquum illud Capitularis disciplinæ ius, quod in vetustis Ecclesiæ suæ codicibus habent, in vsum reuocent, & peccatis publicis pœnitentias publicas injungant. Nam cùm, eodem D. Adolpho teste, sine huius disciplinæ restitutione, Ecclesia perpetua scabie laborabit, nec scandalorum futurus sit modus, ac pij se

Synod. Diœcesana feria 3 post S Matthiæ, sub Adolp. 2. Anno 1550 habita pag 465 a & 466. d

pecca

peccatis inuoluent alienis : hæc omnia eorum culpæ meritò imputabuntur, quod commissam sibi excessuum correctionis potestatem, suique officij regimen, quemadmodum bonos dispensatores super familiam Domini constitutos decebat, exequi neglexerint, & subiectorum suorum excessus, secundùm Canonicas sanctiones corrigere noluerint; eadem ob hoc pœnę cēsura digni, quam in Regem Achab, seuera hac Prophetæ sententia prolatam legimus. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* 3. Reg 20.

Cap 5. statut. torũ D V V il helmi, quod incipit Bonę memoriæ *pag. 157. c. d. Conc. prou. sub Conrado c. 9 p. 12. d*

23. Præscriptus verò à nobis dierum Capitularium numerus ita seruetur, vt tamen si angustior sit, quàm vt agendis & perficiendis illis sufficiat, quæ certis istis diebus agenda ordinauimus: Decani plures dies decernere possint, quibus nostrarum Constitutionum decreta, ac Ecclesię Colon. statuta prælegātur, & de moribus Ecclesiasticarum personarum inquiratur, ac reliqua quæ ad correctionem excessuum, & vindictam transgressionum faciunt, mandentur executioni. Imò verò vt cum Apostolo aliquid humanum dicamus, non minor sit cogitatio, cura, & sollicitudo, de obseruatione Sacrorum Canonum, ac regularum, quàm de terminis agrorum, de solutione annui census, ac rebus alijs minoribus, propter quas non singulis duntaxat mensibus, sed singulis minimum septimanis, ac in quibusdam Collegijs, singulis ferè diebus capitulares conuentus coguntur. Monente enim diuinę vocis imperio, iste in rebus seruandus est ordo, vt primũ quæratur regnum Dei, quo reliqua omnia adijciantur. Qua voce erectos & directos cupimus omnium animos, vt ne ordine perturbato & inuerso in vanum laborent omnes qui ædificant, tantoque minus proficiant, quanto suæ magis prudentię, quàm diuinę sapientiæ & prouidentiæ innituntur. *Matth. 6.*

24. Monemus itaq; & hortamur omnes, quotquot horum interest, vt ante omnia Deo placere studeant, & præ-

ter obseruationem dierum Capitularium, quam præscripsimus, nunquam de rebus temporalibus, in conuentibus Capitularibus fieri patiantur mentionem, nisi vel ex his Decretis nostris, vel ex Archiepiscoporum Coloniensium Constitutionibus aliquid, quod ad reformationem faciat, prælectum fuerit.

25. Proderit hoc non tantùm, vt singulis annis prælegi Canonicis possint, quæ eis prælegenda præcepimus, sed admonebuntur quoq; hac obseruatione Prælati, & Canonici, omnia ad diuinum honorem dirigenda esse, eiq; seruire debere, nihilq; in rerum natura esse vtile aut necessarium, quod diuino honori aliqua ratione debeat anteponi: & si, vt veros Christianos, Christianaq; prudentia fideles Dei seruos decet, diuinis hisce promissionibus sese conforment, eisque se tota voluntate credant, & toti ab eis pendeant; tanto vberiorem in bonis temporalibus benedictionem hac obseruatione sese à Deo consecuturos confidant, quanto magis quæ Dei, quàm quæ sua sunt quærent.

26. Olim quolibet die, præterquam festo, post decantatum officium defunctorum, Decani & Canonici ingrediebantur domum Capitularem, & ante omnem tractatum vel præbendæ vel disciplinæ, aut cuiuscunque rei alterius, legebatur tabula Capitularis, quæ admonebat quæque sui officij, quod vel cantando, vel legendo, vel quocunq; alio ministerio in Choro obire debebat. Indicabatur deinde quota esset Luna, vt hac consideratione, singuli inconstantiæ & mutabilitatis huius vitæ admoniti, non sperarent in incerto rerum temporalium, sed ab ijs ablactarentur. Proximè ab hoc annunciabantur dies obitus fratrum ac benefactorum, vt quorum beneficijs gaudebant ac sustentabantur, eis gratitudinis & debiti officium redderent Post hæc prælegebatur aliquid ex regula & vita Clericorum, cui adiungebantur ea quæ ad disciplinam Ecclesiasticam, ad correctionem morum, & ad vindi-

vindictam transgressionum pertinebant. Postremo autem loco agebantur causę, quę ad præbendas, ad agros, ad annuos census, aliasq; res temporales spectabant, & si fortè Decanus non erat præsens, qui ista curaret, eius vices supplebat Prior, quod nomen per Subdecani nomen abolitum arbitramur. Olim præscripta fuerunt hæc ab Archiepiscopis & Episcopis prouincialibus Ciuitatis, Diœcesis & prouinciæ Colonienſis: olim obseruata fuerunt à Decanis & Canonicis Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, Ciuitatis, Diœcesis, & Prouinciæ Colonienſis: olim omnium bonorum affluentia, & benedictione cœli & terræ florentissima erat Ciuitas, Diœcesis, & Prouincia Colonienſis. Nunc ista negliguntur, nunc ista in desuetudinem abierunt, nunc ista à multis contemnuntur, ridentur, & vt queritur Synodus vernalis Anno 1550. sub Adolpho tertio habita, nunc ista in ludibri ũabierunt. Nunc quoq; videtur Deus oblitus Diœcesis & prouinciæ huius, ac ridere in interitu eius. Resumatur itaque obseruatio pristina, primùm quę ratur regnum Dei, & videatur an cœtera non adijcientur.

Cõc. prou. sub Con. c 7. p. 11. d & 12. a Statut. Hẽnri. c. 0 p. 69. b. Statut Wilhel. §. 29. p. 152. a.

27. Sed vt ad institutũ reuertamur, faciet quoq; hęc lectio, si ea qua decet pronũciationis grauitate & distinctione legatur, & deuota audientiũ attentione percipiatur, vt maiori cum iudicio, maioriq; tranquilli animi serenitate, atq; perturbatorum affectuum sedatione, de quibuscunq; rebus proponendis, quisque iudicare possit, quã si, vt ferè fit, nulla animi recollectione quisq; ad ferendum suffragiũ, aut ad pronunciandũ de rebus propositis sentẽtiam accurrat, vnde cõtingit, vt si qui ira, aut alijs animi perturbationibus commoti aduenient, non quidem illi cum animi tranquillitate iudicent, & de propositis rebus cum magna reuerentia disponant: sed quò eos fert animi sui impetus ferantur, & alios rectè iudicantes, quod volebant eloqui, suis clamoribus non sinant,

omnem-

omnemque recti iudicij formam & æquitatem peruertant.

28. Qua in re, si quis post hac vel clamore vel conuitio, vel alio quouis modo dicentem suo ordine interturbauerit, vel in Capitulari congregatione aliquas turbas excitauerit, is iudicio Decani, vel eius vices gerentis, vel Diaconorum, vbi illi Disciplinales sententias dicunt, pro modo culpæ, aliquamdiu suffragio sit excluſus; & si hac ratione non emendetur, secundùm censuram cap. 72. Statutorum D. Sifridi excommunicationis sententia, à fratrum suorum societate abscindatur.

Pag. 230. b. c.

Adolphus 3. in præparatione ad visitationem pag. 48 c. b. §. 64.

29. In dicendis suffragijs, omnes, quibus hoc iure competit, ex ordine patienter & longanimiter audiantur, & nemo, quamuis causa Ecclesiæ vtilitatem respiciat, contemnatur. Qui autem in sacro Subdiaconatus ordine constituti non sunt, ideoque per Clementinam, *vt hi* tit *de ætate & qualitate & ordine præficiendorum*, nullum in Capitulo suffragium habent, non solùm suffragio, sed quemàdmodum Capite 33 statutorum D. VValrami cautum est, etiam Capitularibus congressibus, dum suffragium dicendum erit, excludantur.

Pag. 147. a. Fertur hoc capite sententia excommunicationis, et in Canonicos inordinatos delinquẽtes: & in Decanos permittẽtes, alioſq; cooperantes.

30. Vt in dicenda sententia non aberretur à recto, liberum ab omni priuato affectu cuiusque sit iudicium, ita vt quisque se rebus, non sibi res subijciat; nempe vt hoc rectum & iustum esse decernat, non quod sibi vtile aut commodum, sed quod secundùm Deum, & Ecclesiæ vtilitatem, è re rei illius erit, quæ iudicio submittetur.

31. Si quando de peculiari cuiuspiam Canonici causa agendum erit, is deliberationi causæ suæ non permittatur interesse, sed donec de ea deliberatum sit è Capitulo exire cogatur.

32. Cùm de rebus grauibus ineunda erunt suffragia, eadem secreto ferantur, vt sine timore, quisque quod sentit, liberè

tit, liberè eloquatur. Auditis verò singulorum suffragijs, id quod maiori & saniori parti placuerit, concludatur, præterquam in gratiosis, cùm videlicet de facienda alicui aut aliquibus gratia agetur. In his enim iuxta *D.* Frederici Constitutionem iusta vnius Capitularis & præsentis Canonici contradictio, reliquorum suffragia remorari potest. *ca. 64 p. 228 b. c.*

33. Cùm verò Capitulares conuentus, etiam illi, in quibus de rebus temporalibus agitur, eò seruiant, vt Ecclesiæ cultus, & diuina officia sine intermissione, ad honorem Dei & proximi ædificationem obseruentur; nequaquam illi vel Ecclesiæ cultum minuere, vel diuinis Officijs aliquid detrahere, vel populum aliqua ratione offendere debent: Quare in virtute sanctæ obedientiæ vetamus, vt nec summæ Missæ tempore, vllo modo habeantur, nisi aliud cogat necessitas, quæ minimam temporis non patiatur dilationem: quo casu vt minimum tot mittantur Canonici in Chorum, qui ad diuinum officium cum honore peragendum sufficiant, nec alibi habeantur quàm in domo Capitulari, alioqui irritum sit & inane, quod vel in Choro, vel in Sacrario, seu armario, vel quauis alia templi parte, etiam peracto diuino officio, Capitulariter concluſum & definitum fuerit. Idcirco enim domus Capitulares maiorum pietate erectæ sunt, vt & reliqua Ecclesiæ loca, ab omni strepitu ac murmure quouis tempore essent libera, atque orationi vacare cupientibus, sui reuerentia multum conferrent, animique attentionem & intentionem omni modo promouerent, & Canonici si quid inconsideratius effutirent, vel animosius, quàm eorum modestiam decet proferrent, non alios quàm suos fratres offenderent. *Conc. prou. sub Herman. 5. par. 3. c 18. Adol. 3 in inquisition. in Cathedr. & Collegiatis Ecclesijs faciendis p 482 ca 5. 65. Cap. 71 statutorum D. Frederici sub pœna excommunicationis vetat, ne Capitulares congregationes fierent, antequam vigiliæ Missa & commendationes defunctorũ peractæ, & prorsus absolutæ essent. p. 230. a.*

34. Cæterùm cùm ea, quæ hactenus recensita sunt Decanis incumbentia officia, nihil præscripta esse iuuabunt, si ea Decani non exequantur, sed illa vel negligant

vel intermittāt; neglexisse autē & intermisisse omnia cēsendi sint, quādo nō residēt, & Ecclesiæ suæ diuinisq; officijs personaliter competens debitæ sollicitudinis & curæ ministerium nō præstant: meritò cùm ista Patres Concilij prouincialis Anno 1549. sub Adolpho tertio diligenter perpenderent, atque sentirent Decanis absentibus, vel officio suo segniter fungentibus, quorundam Canonicorum & Vicariorum insolentiam, ferè prævalere aduersus meliores, pietatem & zelum bonorum haberi ludibrio, diuina officia negligi, neq; ritè, neq; ab omnibus absolui, cantū præcipitari, vitę & morū honestatē periclitari, disciplinā prorsus nullā esse, & omnino licere prauis quibusq; quidquid libeat: sub graui pœna præceperunt & mandauerunt, vt Decani apud Ecclesias suas personaliter resideant, & officio suo per seipsos strenuè perfungātur, excessusq; subditorū quoties opꝰ erit castigēt. Quod salutare ac necessariū præceptū, vnà cū suis pœnis, cū de residētia † Pælatorū ageremus, innouauimus, aliisq; eēsuris cōfirmauimus, illudq; quo nimiam Decanorum quorundā socordiam, magis percellamus, hîc repetimus, & rursum innouamus, ac confirmamus. Non obstantibus exemptionibus, statutis, vel consuetudinibus quibuscūq;, quibus se Decani vel à choro liberos excusare posēt, vel ad præstandum & curandum ea, quę hisce decretis nostris illis pręscripsimus non teneri. Nam quod se à choro liberos prętēdere posēt, Conciliū prouinciale sub Cōrado, Anno 1260. cap. 9. par. 13. censuit esse abusionē, corruptelam, & pessimæ abusionis ac fraudis modum: Ne autē in statutis, & quibusdam propriæ Ecclesiæ suæ priuilegijs glorientur: In Concilio prouinciali sub Hermanno 5. p. 3. c. 19. pag. 360. d. explicatum est, habere ferè quotquot sunt Cathedrales ac Collegiatæ Ecclesiæ, suum volumen peculiarium statutorum, quæ interdum pro affectu priuato cuiuslibet augeantur & crescant, & inter hæc reperiri quàm plura, quę ad inæqualitatem potius, quàm ad ęqualitatem

De officiorū perfunctione
Medio tertio *ad comparandam executionem reformationis necessario ca.*
Videmus Decanis *pa. 435. d.*

† *Supra pagi. 24. 25. 26.*

litatem faciant, vnde discordia inter Fratres frequenter alatur, concordia verò scindatur, lacereturq́;: Ideoq́; operæ pretium esse, vt huiusmodi Statutorum volumina excutiantur, & quæ Euangelicæ puritati, disciplinæq́; Ecclesiasticę minus consentanea reperta fuerint, resecentur, caueaturque ne post hac vlla noua statuta in eiusmodi Ecclesijs edantur, nisi Ordinarij accesserit calculus.

35. Cuius Constitutionis decreto, vt aliquando tandē satisfiat, volumus vt singuli Decani, singulaq́; Collegia Ciuitatis Colonienſis Ecclesiæ suæ statuta, iuramenta, priuilegia, & consuetudines, infra mēsis spatium, à publicatione horū statutorū nobis examinanda tradāt. Quod nisi fecerint, & cōsignationē manus & approbationis nostrę obtinuerint, ea omnia ex tūc irrita, nulliusq́; esse roboris pronunciamus, & si quid postmodū priuata Decani aut Collegij authoritate adiectum fuerit, id antequam Ordinarij approbatio in scriptis obtenta accesserit, vim statuti minimè obtinere decernimus: Hoc ipsum alijs quoque Diœcesis Colonienſis Collegiatis Ecclesijs præscripturi, quum ea quæ huius sunt negotij, in ciuitate Colonienſi, quæ aliarum Ecclesiarum ceu mater & caput est, absoluerimus, exauctorantes interim ea omnia, quæ in huiusmodi statutis, contra hęc Decreta nostra facere quouis modo possent, & impedire ne executionem suam sortiantur.

Huc spectare videtur quæ habentur in fine capitis 42. statutorū D. Frederici pag. 214. & cap 32. partis primæ Concilij prouincia. sub Herman. 5 pag. 347. a. & in Concilio prouincia sub Adolp. 3. pag. 452. d.

36. Quoniam verò aliqui prętexunt statutorum quorundam Ecclesiæ Colonienſis permissu, licere Decanis plures Præbendas aut Beneficia obtinere, & vna eadēq́; die, in duabus Ecclesijs distributiones accipere: timendum valde, ne quotquot plures Prębendas aut plura Beneficia obtinere affectāt, autobtenta retinere laborāt, hac prærogatiua illecti, Decani esse contendant, & inordinato ac præpostero affectu, lucra sæculi in militia Christi quærentes, magis solliciti sint, vt ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum diteſcant, & inexplebili

cupiditati satisfaciant, quàm vt vni Ecclesiæ ad honorem Dei aliquod officium præstent. Fuit forsitan olim hoc, quod prætenditur hac occasione permissum, quod Decanatus quarundam Ecclesiarum admodum tenues essent, ac portionem reliquorum fratrum non excederent, minimeque ad ferenda onera & sumptus, quibus Decani magis quàm alij Canonici grauantur, sufficerent. Verùm cùm ea permissione Decani frequenter à suis Collegijs absint, & inter alia incommoda ac damna disciplina eius Ecclesiæ cui præsunt, partim negligatur, partim eneruetur, atque duplex honor qui eis permittebatur, quod bene præessent & vtiliter prodessent, faciat, vt nec præsint, nec prosint: sed magis subiectorum suorum animos, vel ad insatiabilem cupiditatem, ad auaritiam, & similem vitiorum licentiam, exacuent, vel ad sui despectionem commoueant: & præterea dum in pluribus Ecclesijs simul residere non possunt, vel illa Ecclesia vbi sunt Decani, vel illa in qua sunt Canonici aut Vicarij vel Beneficiati, necessariò præsentia vnius personæ carere cogantur: vt peccata & scandala hæc tollamus, & ex agro Dominico prorsus extirpemus, omniumque querelarum prætextus & occasiones, necnon quæuis incommoda & damna ab Ecclesia Dei quantum possumus vndique excludamus; singulis Decanis Collegiatarum Ecclesiarum, quibus pro honore & onere dignitatis suæ, non est satis amplum stipendium assignatum, tam in corpore præbēdæ, seu principalibus annuis fructibus, quā in distributionibus quotidianis, tantū tribuendū esse cēsemus, quantū duobus alijs eiusdē Ecclesiæ Canonicis.

Vide Adolp. sp 413.d.

37. Quare ne causa relinquatur, cur non debeat quisque Decanus solo Decanatu esse contentus; si quæ sint Ecclesiæ, in quibus principales fructus Decanatus, & quotidianę distributiones tā sūt tenues, vt portionē Canonicam vnius eiusdem Ecclesiæ Canonici vltra mediocritatem non excedant, & omnium Canonicorum eiusdem Ecclesiæ iudi-

iudicio, ad ferenda Decanatus onera, & ad tenendam dignitatis huius honestatem, minimè sufficiant; iacturam vnius aut plurium personarum, quàm hactenus senserunt collegia per occupatores plurium beneficiorum, censemus ferendam potius esse per vnionem plurium præbendarum: ideoque vbi præbenda Decanatui vnita non est, præbendam quæ primò, mense Pontificio vacabit Romani Pontificis autoritate perpetuò Decanatui huiusmodi vniendam esse iudicamus; ita tamē, vt quod ex vnione talis præbendæ, cum Decanatu, qui portione vnius Canonici præstabat, vltra duas portiones excreuerit, non quidem Decanatui, sed vsibus fabricæ applicetur.

38. Qua vnione facta, non liceat alicui Decano, cuiuslibet statuti aut priuilegij vigore, præter Decanatum, aliam Prębēdam, Vicariam, Beneficium, aut officiū sine dispensatione Apostolica obtinere, aut obtentum retinere. Quæ quidem dispensatio non censeatur legitimè obtenta, nisi in litteris dispensationis, expressa & sufficiens huius Decreti nostri facta fuerit mentio, & omnes Collegij istius (cuius Decanus hoc tentat) Canonici, capitulariter congregati, iureiurando testentur, fructus & emolumenta, Decanatus sui Collegij vnà cum præbenda ei vnita non sufficere, vt ijs solis Decanus personæ suę dignitatē & honestatem tueri possit. Alioquin nisi intra spatium trium mensium ab vnione huiusmodi facta, aut Decanatum aut Præbendam, vel alia quæcunque beneficia Ecclesiastica resignauerit, excepto Decanatu, reliqua beneficia quæ possidebat, ex tunc vacare declaramus.

39. Ne quis autem labentibus annis, contra Constitutionem hanc aliquid tentare præsumat, vt si possidens Beneficium aut Præbendam, ad Decanatum promoueatur, aut Decanus existens Beneficium vel Prębendam acceptet, per id quod vltimò obtinuit primum perdidisse

declaramus, illudque vacare mox vbi emolumenta aut fructum aliquem ex eo quod postremò obtinuit, percipere inceperit, aut percipere potuerit.

40. Quæ quidem omnia & singula etiam locum habere volumus, in Decanatibus, quorum annui fructus, & quotidianæ distributiones, ante hanc Constitutionem nostram duabus portionibus Canonicis aut pares erant, aut ijsdem præstabant: saluo quod illud quo præstabant, Decanis æquè vt prius remaneat, & fabricæ hac Constitutione nostra, nullum ad id ius fiat.

41. Si tamen Præbendæ alicuius Collegij, inuenirentur tam esse tenues, vt omni fraude ac dolo cessante, huiusmodi vnione facta, bonorum virorum iudicio Decano nondum satis adiectum esset, quo honestè dignitatē suam tueri posset: huic nolumus hisce Cōstitutionibus, nouam aliquam alicuius iuris aut approbatæ consuetudinis derogationem iniectam esse.

42. Sed expendendum proponimus, an non præstaret hoc casu satagere, vt Præpositura talis Collegij, vel ex parte saltem Decanatui vniretur, potius, quàm vt sustentare se ille cogatur cuiuscunque alterius Ecclesiæ Præbenda, maximè si ea alioquin ab oneribus certi ministerij, vel ab assiduitate frequentādi chorum libera non fuerit, vel vt diuersorū collegiorum curis capitularibus Decanus distēdatur, aut aliquid aliud præ se ferat, quod aliquo modo inordinatum videri possit.

43. Decano absente vel præsente quidem, sed nōdum sacerdote, eius locum teneat Subdecanus si sacerdos fuerit, aliâs verò & vbi Subdecanus non est, senior sacerdos inter Canonicos residentes, cui tūc distributionum quotidianarum, quæ Decano debebantur, medietas liberè cedat, altera medietate in vsum fabricæ reseruata.

44. Vt hæc quæ Decanis præscripsimus leuia eis fiant & facile exequantur, Dei gratia, sine quia nihil possunt, ipsis

ipſis in omnibus neceſſaria eſt. Hanc itaque in ſpiritu humilitatis & corde contrito ſine intermiſſione implorēt, ac ſancta conuerſatione in fide, ſpe, & charitate, tales ſeſe exhibeant, vt non pro ſe tantùm, ſed & pro ſibi ſubiectis orantes, ſemper exaudiri mereantur, aſpicientesque in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta, per patientiam impoſiti ſibi muneris certamen, & aduerſitates percurrant, atque vt ne defatigentur, animis ſuis deficientes, recogitent qualem ille cui ſeruiunt ſuſtinuerit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem. Hac conſideratione, remiſſas manus, & ſoluta genua erigentes, in aduerſis & proſperis ſemper vigiles, contemplentur, ne quis ex ſibi commiſſis deſit gratiæ Dei.

45. Ad hæc dent quoque operam, vt Subdecani, Choriepiſcopi, Scholaſtici, Cantores, alijque qui in partem ſollicitudinis Decanalis vocati ſunt, ſuis nominibus reſpondeant; nempè vt oneribus quæ Decano incūbunt, ne ille nimium grauetur, humeros ſuos qua parte cuiq; competit, ſupponentes, muneri ſuo ſatisfaciant. Vt autē ſatisfaciant, ſi rationibus, admonitionibus & correptionibus induci ac permoueri non potuerint, pœnis Canonicis compellantur, nullusq; poſthac in locum defuncti alicuius horum, aut eligatur, aut electus vel deſignatus admittatur, niſi qui nomini & muneri ſuo plenè ſatisfacere poſſit & velit; Hac quippe ratione fiet, vt quemadmodum per diligentes & vigilantes Decanos, Epiſcopi, in portandis Epiſcopatus ſui muneribus multum auxilij ſentiunt; ita Decani per zeloſos & ſtrenuos Subdecanos, Choriepiſcopos, Cantores, alioſq; ſimiles opitulatores, Decani onus leuius ferant.

46. Hæc itaque præcipua ſunt, in quibus ad fidei integritatem, ad reformationem Eccleſiaſticam, ad cuſtodiā Canonum, diſciplinæque Eccleſiaſticę reſtitutionem,

Deca-

Decanorum vigilantiam, ſtudium & zelum ardentem deſideramus. Quæ quidem vt & alia quæ ſui ſunt muneris atque officij, frequenter ſecum reputent, ac ante tribunal conſcientiæ ſuæ in ſemetipſos inquirant, animumque ſuum interrogent, qua vigilantia, quo ſtudio, quo zelo his alijſque ſacrorum Canonum inſtitutis & præſcriptionibus, pijſque Eccleſiæ ſuæ conſuetudinibus ſatisfaciant, & nihil ne negligant aut intermittant, quod iuriſiurandi ſacramento facturos ſe obligauerunt, ac ſine ſalutis ſuæ, ac grauiſſimarum cenſurarum periculo negligere, aut intermittere non poſſunt.

47. Eadem quando eligendus erit Decanus diligentiſſimè examinet, & perpendat, intenta electorum cogitatio; vt alium non eligant, quàm qui in his curandis & exequendis omnem impendere velit curam, nec curam modò, ſed & ſubſtantiam, & ſuperimpẽdere ſeipſum pro animabus ſibi committendis.

DE DECANIS RVRALIBVS.

5. DEcani Rurales, qui etiam Decani Conciliorum, Decani Chriſtianitatis, & Archipreſbyteri vocantur, ad ſubleuanda & ſupportanda Epiſcoporum & Archidiaconorum onera, conſtituti ſunt; nõ ſolũ vt imperiti vulgi gerant ſollicitudinem, verùm etiam, vt in Clericos, Preſbyteros, & præcipuè in Paſtores, qui per minores titulos habitant, aſſiduã habeant inſpectionem, & tanquã ſolliciti paſtorum paſtores, & Epiſcoporum atq; Archidiaconorum coadiutores ſemper vigilent, vt nec in populo, nec in clero ſibi commiſſo, aut Catholicæ fidei integritati, aut Chriſtianorum morum ſanctitati, aut Canonicorum decretorum obſeruationi quidquam deſit, ſed quiſque vitam ducat, vocatione & profeſſione ſua dignam.

Cap. vt ſingulæ de offic. Archipr.

2. In

2. In primis autē (vt est in statutis Ecclesiæ Coloniensis) vigilare debent, ne quid vsquam in regiuncula sua aduersus fidem aut pietatem emergat, quin Episcopo atque Archidiacono suo statim significent; vt si quis sub eorum cura Pastor, Sacerdos, Clericus, aut Ludimagister, in articulis religionis Catholicæ aliquid peregrinum sapiat; si qui lupi, qui gregem Dominicā inuadant, & per nouas doctrinas, dulcesque sermones seducant; si delitescat alibi in parochia quadam hæreticus aut schismaticus; si hæresis aliqua, vel noua doctrina occultis conuenticulis seminetur; si qui curiosius de fide disputent, & simplicibus inijciant scrupulos, si qui sortilegia vel diuinationes exerceant; hisce similibusq; alijs perditionis populi Christiani principijs, statim in ipso ortu suo occurrere debēt, eademq; inuestigatione ac sollicitudine sua qua possunt ac debent, ne occultata proserpant, gliscant aut inualescant, Archidiacono suo, & si is negligens fuerit, Episcopo suo prodere ac manifestare. *Adolp 3 in inquisitioni Collegialium & Ruralium Decanorum. § 1. & 4. pa. 483 d. 484. a.* *Adol. 3 in synodo Anno 1548 4. Octo. celebrata pa. 417. a. b.*

3. Vbi autē de huiusmodi perditoribus & perditis certò eis constiterit, quod peruersi sint, nulloque eis possit correctionis subueniri remedio; illos quemadmodum in synodo Anno 1548. quarto Octobris habita, mandauit D. Adolphus III. Archiepiscopus Colonienſis, ne sanctum gregem sua contagione polluant, Christiano populo præcipient vitandos; vt si à sanis mentibus per publicos Iudices, secundùm Christianorum Principum Constituta, non abscindantur, sibi ab ipsis caueant, ac sese ab eorum conuersatione ac consuetudine religiosè abscindant, quotquot fidem Deo, & Ecclesiæ volunt seruare illibatam, & tanquam obedientiæ filij, Præpositorum suorum mandatis obtemperare. *Pag. 417 a. b.* *D. Leo Ep. 2.*

4. Eos verò, qui hoc facere noluerint, & contempto Ecclesiæ præcepto, tanquam subtractionis filij, cum fidei aduersarijs, alijsque sceleratis ac impijs frequentius agere videbuntur, diligentissimè obseruabunt, & à pastoribus

bus eorum obseruari curabunt; &, vt re ipsa ostendant, quod, ceu veri pastores vitam suam non habeant pretiosiorem, quàm salutem ouium suarũ, nihil intermittant, nihilq; subterfugiant (etiam si vitæ periculum coniunctum sit) quod ad cõfirmandos illos, ac in fide Catholica retinẽdos, quoquo modo facto opus, aut necessariũ erit.

5. Cùm autem iudicio, definitione, ac præcepto Catholicæ Ecclesiæ, ad integritatem ac incolumitatem fidei (quæ vitæ bonæ, ac sanctæ, totiusq; disciplinæ Ecclesiasticæ basis ac fundamentum est) magnum in fidei professione præsidium sit: curabunt Decani Rurales pro deuotione sua, qua fidei integritatem ac incolumitatem amant, eamque sartam tectam cupiunt, & pro officio quo hoc facere tenentur, vt quæ de fidei professione à nobis præscripta sũt, à Sacerdotibus, Clericis, Ludimagistris, alijsq; sue curę & inspectioni cõmissis, & exigantur & præstentur.

D Adolp 3. in inquisitionibus quæ à Decanis inquiri debent § 5. & 6. pa. 484

6. Eadem cura & sollicitudine tenentur aduigilare, ne quis aut regularis aut sæcularis curam pastoralem inuadat, sine præuio examine Episcopali vel Archidiaconali, & Canonica institutione, sine qua (vt in Concilio prouinciali, quod anno 1310. præsidente Henrico Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopo celebratum est, capite 12. pagina 81. definitur) nulla in populum haberi potest iurisdictio, nullaq; ligandi aut soluendi authoritas.

D. Adolp. 3. in Constitutione anno 1550. ipso S. Michaelis data pa. 513 a.b.

Quid regularibus in huiusmodi præscriptum sit, videat Decanus ruralis, titulo de Regularibus, vbi agitur de his, quæ ad cultũ Dei in diuinis officijs, & quæ ad sacramenta, & animarum curam spectant.

7. Quod non tantùm de Ecclesiarum Pastoribus intelligatur, sed & de Pastorum Vicarijs & coadiutoribus, ita vt nullus aut regularis aut sæcularis ad præstandum officium Confessarij vel Concionatoris admittatur, aut (si quis huiusmodi ministeria inuaserit) diutius sustineatur, sine legitima admissione & authoritate.

8. Curabunt quoque vt Pastores, qui legitimè promoti sunt, perpetuò apud oues suas resideant, & in pastoralia omnia officia diligenter incumbant, nullaq; Ecclesia idoneo ac legitimo pastore careat. Quod in hac luctuosa grassan-

D. Adolp. tertius in inquisitionibus quæ à Decanis inquiri debent, §. 3 pag. 484. a.

grassantium hæresum tempestate, & falsorum prophetarum, seductorum, hæreticorumque licentiosa multitudine, tanquam vigiles pastorum inspectores, eò diligentius facere & curare tenentur: quia sicut spirituales lupi, latrones, fures, nunquam facilius quàm absente custode, ita nusquam securius quàm ruri, vbi inspectionē suam habent Decani rurales, Dominicum gregem inuadere possunt: quem vt ab insidijs luporum, amor & vigilantia pastoris debet custodire; ita Decani nunquam ab intentione sollicitudinis suæ quiescentes, dormientem aut negligentem Pastorem, ceu speculatores in prospectu explorationis locati, contra aduenientes latrones, & obrepentes fures debent excitare.

9. Si quos in districtu suo personatus habent, diligenter inuestigent, nū sub eo titulo cura Pastoralis obscuretur, & mercenarij qui dūtaxat quæ sua sunt quærūt, non quæ Iesu Christi, in pinguiores pastoratus introducātur.

10. Et ne quis vagus aut ignotus Clericus ad quæuis alia sacra ministeria admittatur; meminerint Decani rurales in synodo Diœcesana, sub D. Adolpho III. secunda Octobris Anno 1549. habita, innouatos esse antiquos Canones & Archiepiscoporum Colonienſium Constitutiones, de Clericis peregrinis non admittendis ad sacra ministeria, nisi exhibitis prius Ordinatoris sui formatis, & Ordinarij sui authenticis dimissorijs litteris, quibus videlicet de ordinatione sua legitimè adepta, deque vita & moribus, eruditione, ac titulo fidem faciant. Eas autem Constitutio D. VVichboldi Decano Christianitatis, in cuius Decanatu admitti desiderant, præcipit exhibendas, & ab illo peregrinos, alienos, aut vagos huiusmodi examinādos esse, an idonei sint qui admittantur. Quæ quidem ita confirmamus, approbamus, & inuiolabiliter seruari volumus, vt tamen examen & admissionem peregrinorū seu alienorū, qui in ciuitate qualibet Cathedrali & locis Officiali, aut Episcopi

Pag. 462. a. Vide etiā Cōcil. prouinc. sub Herm. 5. parte 1. ca. 31. Cap. 3 pa. 51. Hanc constitutionem VVichboldi innouauit D. Philippus in constitut. Anno 1512. 16. Decemb. data Pag. 283 b. c. d.

Vicario immediatè subiectis, ad sacra ministeria admitti voluerint, Officiali seu Vicario (ad quem illud de iure aut consuetudine pertinebit) reseruemus, omnibusque Pastoribus, & Ecclesiarum Rectoribus præcipimus, ne quē vagum aut ignotum sacerdotem, in ciuitate Cathedrali sine Officialis aut Vicarij, extra verò ciuitatem Cathedralem, seu in locis Decano rurali subiectis sine Decani ruralis licentia, in scriptis obtenta, ad celebrationem Missarum, aut Sacramētorum administrationem admittant, sub pœna vnius aurei Rhenensis, per Pastores incurrenda, & pro vna medietate Officiali, aut Vicario, vel Decano Rurali, qui peregrinum seu ignotum examinare & admittere debuisset, pro altera verò medietate Fisco irremissibiliter pendenda, & vagorum Sacerdotum, aut Clericorum correctione arbitraria.

11. Prædictam verò licentiam Officialis vel Vicarius Reuerendissimi & Decani Christianitatum non concedent, nisi dimissoriales literæ intra sex menses datæ sint; nisi fortè quis ex longinqua adeò Diœcesi aduenerit, vt longiorem moram eum in itinere trahere potuisse verisimile sit: quod si post discessum à Diœcesi sua in aliena Diœcesi aliquis moratus sit, illius præterea Ordinarij, in cuius Diœcesi interea fuit, testimonium, quo de illius vita & moribus testatum fiat, ostendat.

12. In admittendis autem illis, qui à Pastoribus pro subleuatione oneris sui ad confessiones audiendas, vel ad sacras conciones deputabuntur; seruentur ea quæ infra, titulo de Pastoribus, articulo qui incipit, *Hoc priuato examine*, de Vicarijs, Capellanis, Adiutoribus, & Socijs pastoralis officij à nobis decreta sunt.

13. Religiosos autem cuiuscunque fuerint Ordinis, ne quaquam extra monasteria sua, in sua regiuncula patientur, nisi obedientię litteras, & expressam Superioris sui licentiam (secundū Constitutionē F. R. Sixti Quinti Pōt. Max.

Max.in tractatu de Religiosis à nobis publicatam, & D. Adolphi 3. Colonienſis Archiepiſcopi voluntatem in inquiſitionibus Decanorum ruralium explicatam)in ſcriptis exhibuerint. §7 p.434.b.

14. Per hæc verò, quæ de examinandis & admittendis ad ſacra miniſteria vagis aut ignotis Clericis præſcripta ſunt, Decani rurales nullum ius ſibi vendicent,ad examinandos vel inſtituendos eos, qui ad regimen & curam animarum ſub Paſtoris, Vicecurati, Adiutoris, vel Socij, aut quocunque alio nomine admitti cupiuerint. Horum enim examen, admiſſionem, & inſtitutionem, ita Epiſcopis,atq; eorum Archidiaconis reſeruamus, vt Paſtores & Parochialium Eccleſiarum rectores,qui Vicecuratorem,Adiutorem,vel Socium,ad regimen & curam animarum,abſque litteris teſtimonialibus proprij Epiſcopi,& Ordinarij, ſeu Archidiaconi ſui præcedente examinatione & permiſſu aſſumere; & Preſbyteri,Clerici,Religioſi,ſeu alij quicunq;, qui ad regimen alienarum Eccleſiarum ſub Vicecurati, Adiutoris vel Socij nomine (niſi Epiſcopali vel Archidiaconali examine & admiſſione pręuia)quouis modo ſe intromittere,contra D.Adolphi 3.Conſtitutionem hac de re æditam,præſumpſerint; ipſo facto excommunicationis ſententiam, in tales ibidem prolatam,incurriſſe declaremus. *Vide infra tit de Paſtoribus cap.1. artic.* Quod vt obtineamus. Pag.513.a

15. Sub qua pœna in eadem Conſtitutione, iuxta antiquas Archiepiſcoporum Colonienſium ſanctiones, etiam ſibi inhibitum ſciant Decani rurales, ne illicitam manum in Superioris præiudicium alicui imponant, neue de cauſis ad examen,vel Conſiſtorium Epiſcopale,ſeu ad cognitionem ſolius Eccleſiaſtici iudicis de iure vel conſuetudine ſpectantibus, maximè de matrimonialibus & alijs quibuſcunq; cauſę cognitionem & iudicialem indaginem exigentibus, eas audiendo vel definiendo ſe intromittant, neq; diſpenſandi ſeu tranſigendi poteſtatē in matrimonio ſeu gradibus prohibitis ſibi vſurpent. Ha- *Statut. Henrici cap 7.pa. 62.& Adol. 3. in Conſtit. quæ incipit,* Quãquam diuinis legibus,*data, Anno* 1550. *in feſto S Michaelis Archangeli pag.* 510.*b* & 513.*b.* & *Synodus Dioceſana ſub*

rum enim, aliarumque similium causarum inspectio, ita Decanis Christianitatum commissa est, vt cuncta ad Episcopum referre teneantur, quò ille, ijs cognitis, quæ examinanda sunt examinet, quæ definienda, definiat; quæ coërcenda, corrigenda, & punienda, aut sua authoritate coërceat, corrigat, & puniat, aut Cæsareæ Maiestati, si ad eũ referenda videbuntur, coërcenda, corrigenda, & punienda commendet. Sine Episcopi itaq; sui Ordinatione, nihil in his similibusq; alijs facere præsumãt Rurales Decani, sed sola correptione Synodali, delictorũ manifestorũ in Synodis ruralibus delatorum & publicatorum, sint contenti, eò quod nulla iudicialis eis cõpetat indagatio, nullamq; iurisdictionis habeant auctoritatem.

Adolp 3. Anno 1551 fer. 2. post Dominicam Inuocauit habita p 538. b c. A. dolp 3. in Cõstitut. quæ incipit Benedictus Deus, data anno 1548. 1. Septembris pa 411. b. ca Vt singulæ de officio Archipres & in Synod. vernali an. 1551. pag. 538. c.

16. Vnde quoq; consequitur, quod nec mucronem Episcopi (quæ excommunicatio est) propria autoritate distringere, nec pœnitentias legales indicere possint; sed teneantur casus Episcopis per Sacros Canones pro indicendis pœnitentijs specialiter reseruatos, ad suum Episcopum remittere.

Ibidem d. Pœnitentia legalis est, quæ non in Sacramento, sed in foro exteriori, ordine iuris, reo condemnato ex SS. Canonum definitione imponitur. Vide Dominicum Soto in 4. Sentent. dist. 19 quæst. 2. art. 5.

17. Similiter si qui in Decanatibus suis, sine Canonica institutione Ecclesias parochiales occupant; si qui sine Episcopi aut Archidiaconi examine & admissione, Vicecuratoris, Adiutoris, vel Socij officium in regimine, & animarum cura vsurpant; si qui Vicecuratores, Adiutores, Socios, ad curam & regimen animarum, aut quodcunq; pastorale officium seu ministerium, sine Episcopi aut Archidiaconi admissione assumpserint; si qui Ecclesias parochiales ante legitimam ætatem occupant, vel iustæ quidem ætatis, sed qui inter Canonicum tempus non sũt consecrati Sacerdotes; si qui apud Ecclesias suas personaliter non resederint; si qui contra Sacros Canones vno die * plures Missas celebrauerint; si qui in executione Ecclesiasticorũ mandatorum se rebelles seu inobedientes exhibuerint, aut censuras Ecclesiasticas contempserint; si qui excomunicationis vinculo innodati, diuinorum cele-

**Mandauit hoc D. VValramus c. 7. p. 214. in virtute S. obedientiæ. Reliqua*

celebrationi se ingesserint: horumquoq; omnium & singulorum nomina, partim sub pœna ex cõmunicationis, partim sub crimine inobedientiæ, ad Episcopum suum deferre, per diuersas Archiepiscorum Colonienſium cõstitutiones obligati fuerunt. Quod eos sub ijsdem pœnis in qualibet Synodo, iuxta Constitutionem D. VVichboldi, aut (si necessitate aliqua Synodus intermittatur) tempore quo Synodus haberi debuisset, bis quotannis præstare volumus. Præterea in virtute obedientiæ eis iniungimus, vt si quos in regiuncula sua habent sine legitima dispensatione & dispensationis examinatione, plura beneficia Ecclesiastica possidentes; Si quos antè legitimam ætatem sacris Ordinibus initiatos: si quos Simoniacos; si quos Concubinarios; si quos in gradibus prohibitis, aut in affinitate spirituali, sine Apostolicæ Sedis dispensatione matrimonialiter coniunctos; si quos fœneratores; si quos religiosos aut religiosas Apostatas, vel inobedientes, sine licentia Superioris sui in scriptis obtenta, extra monasterium degentes: horum etiam & quorumuis aliorum, qui alio quouis modo contra Canonicas sanctiones enormiter deliquerunt, nomina dictis temporibus reuelent, & tempus quo religiosi in Apostasia, alijq; inobedientes in inobedientia, & Concubinarij in sordibus libidinosæ impudicitiæ prostrati iacuêre, nec non & Apostatarum, atq; inobedientium fugitiuorum religiosorum hospitium exprimant, & manifestent.

hic recensita sub pœna excommunicationis præcepta sunt, partim à VVichboldo, cap. 2. pag. 51. a b. partim ab Adolp 3. in cõstit quæ incipit, Quanquam diuinis legibus pag 513 d VI. de eundem p. 460 a Cap. 2. statut. pag. 51.

18. Ad Decanorum porrò ruralium inspectionem, indagationem, curam, & sollicitudinem pertinent, quæ D. Adolphus tertius Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus, in inquisitionibus de Decanis ruralibus, & Rectoribus Ecclesiarum parochialium, sub eorum Decanijs siue in oppidis, siue in pagis commorantibus cētum articulis complexus est. Pleraq; item quæ de scholis, Hospitalibus & promiscua plebe inquirenda digessit. De quibus omnibus vt vehementer cupimus, Decanos rurales assidua inspectio-

In inquisitio. pa 483. 489. 498. 499. &c.

inſpectione, vigilantia, & cura, vehementer eſſe ſollicitos: minimè tamen hiſce terminis concludi debet ſcientiæ, inſpectionis, & ſollicitudinis eorum ſtudium: Nam ſi verè à D. Leone Magno dictum fuit: *Nunquam ignorare licuit Sacerdotē, quod Canonū fuerit regulis definitū*: Minimè ignorare debēt Decani rurales, quęcunq; vel in prouincialibus, vel in Synodalibus, ſuę Diœceſeos Cōſtitutionibus fuerint pręſcripta: qui ne hæc ignorēt, eorū ſubiecti, ea ipſis tenētur promulgare, & vt ea obſeruent, exēplo vigilantia, atq; authoritate ſua iuuare. Epiſt. 4 c 2. Et cùm deficiente nunc in his regionibus fide, refrigeſcenteq; charitate, multa ſit hominum multorū malitia, & inaudita abundet quorūdam iniquitas, quæ nouas & inauditas parturit difficultates, in quibus etiam docti quique laborant, & Eccleſiaſticam deſiderant definitionem: in his ſuggerendis vigilare debet Decanorum ruralium ſedulitas, & induſtria, & nouis morbis noua remedia procurare.

19. Cui rei vtiliter ſeruient Synodi Epiſcopales & Cōcilia prouincialia priſtino more vſurpanda: ad quę Decani rurales (iuxta Decaniarum ſuarum ſtatuta, à ſe iurata, & Mandatum D. Adolphi tertij, cuius initium eſt: *Audientiam noſtram* Anno 1551. 24. Ianuarij datum, quod vnà cum ſuis pœnis innouamus, niſi legitimè impediti fuerint, & per ſuos procuratores, ad hoc ſpeciale mandatū habentes, & fidem de impedimentis facientes excuſentur) perſonaliter comparebunt, & in eiſdem Decanię ſuę ſtatum, omneſq; quas habent difficultates exponent. Decreta Synodalia, & quæcunque Synodicè ſancita, conſtituta & definita ſunt, attentiſſimè audient, eorundem exemplaria petent, & recipient, quæ diligenter domi ſuæ perlegent, ac ſtudioſè obſeruabunt, & vt in ſubiectorum ſuorum notitiam veniant, & ab illis quoq; obſeruentur, eadem ſecundùm modum & formam ipſis traditam, in Capi-

Pag. 527. a. In hoc mandato infligitur pœna excommunicationis Decanis ruralibus qui non curant habere exemplaria Decretorum prouincialiū ſeu Synodalium, vel ea ſe cum non deferunt, & in ſuis Decanijs ſeu parochijs publicare, & executioni demandare omittunt.

D. Adolp 3 in inquiſition. Decanorum ruralium §. 1 pag. 483 d.

Capitulis ſuis, quæ quotānis bis, poſt celebratas Archiepiſcopales Synodos, vigore ſtatutorum ſuorum, ſeruare obſtringuntur, omnibus & ſingulis Eccleſiarū parochialiū Rectoribus & Vicecuratoribus, ſub eorū Decanijs cōmorantibus, ijſdē Capitulis intereſſe debentibus, inſinuabūt & promulgabunt. Curabuntq;, vt ea vlterius per Rectores, & Vicecuratores Eccleſiarū parochialiū, ſub ſua Decania ſitarū, & ſuis capitulis ſubiectarū, cunctis eorū ſubditis innoteſcant, ac debitæ executioni demandentur, atq; ab omnibus inuiolabiliter obſeruentur.

D. Adol. 3. in mandato ad Decanos rurales pag. 526. c d. & Synodum Anni 1551 in Interrogatorijs Decanorum ruralium pa. 538 a b.

20. Similiter mandata quæcunq; Eccleſiaſtica, ſuum Archiepiſcopum Eccleſiæ Colonienſis fabricam, ſuum item Archidiaconum, Capitulum denique ſuum concernentia, in ijſdem Capitulis, ſecundùm ſua propria ſtatuta, & ſolemnia iuramenta exequentur.

Synodus Diœceſana ſub Adolpho tertio Ann 1551. feria ſecunda poſt Dominicam Inuocauit celebrata pag. 538. b.

21. Vt verò Decaniæ ſuæ ſtatum certius exploratum habeant, & defectus, exceſſus, omneſq; difficultates plenius cognoſcant, & vt ea quæ in Synodis Epiſcopalibus ſancita, & in Capitulis publicata, atq; ab omnibus recepta sūt paulatim non inclinent aut labantur, & labentibus atq; inclinantibus mox præſidium feratur: Volumus vt Decani rurales, quemadmodum ex receptiſſimo more, ab immemorabili tempore obſeruato tenentur, tertio quolibet anno parochialem ſeruent Synodum; in qua prælectis Synodalibus Conſtitutionibus, illis maximè, quæ Parochos, Clerum, & populū ſibi ſubiectum concernunt, diligenter explorent quatenus illis à ſingulis ſibi ſubiectis ſatisfiat: defectus & exceſſus corrigant, emendent, & reforment, omniaq; in Eccleſijs, quibus præſunt, ad Synodorum præſcriptum exigant, & componant: hæreſibus ne ſeminentur & ſubintroducantur, obuient, illas, ſi ſubintroductæ & ſeminatæ fuerint, euellant, & extirpent, bonos mores tueantur, & ſubiectum ſibi Clerum ac populū ad religionem, pacem, vitæqúe innocentiam accendant; & ſi quid diſſidiorum aut controuerſiarum inter quoſ-

Synod Diœceſana ſub eodem Archiepiſcopo Anno 1549. 2. Octobris habita pag. 459.

Mandatum eiuſdem Archiepiſcopi p. 527 a b cuius initium eſt. Ad audientiam noſtram.

dam exortum fuerit, hoc pro charitate, authoritate, & officio suo dissoluant, aut potius rescindant, nullamq; omnino muneris sui functionem in huiusmodi Synodis exequendam prætermittant. Sed ita præsint Pastoribus, Sacerdotibus, Clericis, ac plebi suæ, vt nec in hac, nec in quauis alia muneris sui parte, vllo modo Ecclesiasticæ tubet sollicitudo. Si quis autem eorum mandatis & monitis obtemperare noluerit, illum sicut præscriptum est, Episcopo aut Archidiacono suo denunciabunt, & in proxima Episcopali Synodo, suæ Parochialis Synodi, reddet rationem, atq; Episcopum suum de defectibus, excessibus, difficultatibus, deque alijs omnibus, quæ in illis proposita, acta, & transacta fuerunt, facient certiorem.

Cap. Vt singulæ de offic. Archipres. Adolph. 3. in Constit. quæ incipit. Quãquam diuinis legibus *pag 520.*

22. Vt hisce Synodis Spiritus sanctus adsit, illeas dirigat, prouehat, consummet, & omnigena benedictionis, suæ abundantia fœcundet: curabunt Decani, vt quæ titulo de Archidiaconis, articulo *(vt hæ Synodi)* Archidiaconis præscripta sunt, in sua quoq; regione Clero & populo peragantur.

Synodus Diœcesana, Anni 1551. feria secunda post Dominicam Inuocauit *habita cap. 4 p. 525 d. In mandato, cuius initium est,* Ad audientiam *pa. 527. b. In Statu Hermanni ab Hessia c. 33. p. 276.*

23. Ad huiusmodi Synodos Pastorales, alioq; Conuentus & Capitula, quos Decani rurales indicere & cogere tenẽtur, volumus vt omnes & singuli Ecclesiarũ parochialiũ rectores, & Vicecuratores, personaliter cõparẽãt, nisi iusto detineãtur impedimento, de quo per litteras Decano & Capitulo suo fidem facere teneantur. Alioquin iuxta Constitutionem D. Hermanni ab Hassia, cuius meminit in mandato ad Decanos rurales D. Adolphus tertius, prꝛter pœnas Canonicas, mulctam incurrant vnius aurei scutati VVilhelmi pro vna Fisco, & pro alia medietate Decanis & Capitulis ruralibus, sub quibus degunt, irremissibiliter exigendam & applicandam.

24. Volumus etiam vt conuiuia, si quæ post huiusmodi conuentus fieri solent, non in diuersorijs fiant, sed in domo

domo Decani, si in loco residentiæ eius pastoralis conuentus fuerit, aut alioquin in domo alicuius Pastoris, aut Ecclesiastici viri, eaq; sint frugalia & talia omnino, vt vel hinc manifestum esse queat, quo spiritu quoq; fructu cõuentus illi habiti fuerint: nempe vt destructo Diaboli imperio, omnibus sit vna mẽs, vna volũtas, adeoq; cor vnũ, & anima vna, ad seruiendũ Deo omnipotenti in sanctitate & iustitia, qua non solùm nõ detur alicui vlla offensio, vnde vituperari possit status Ecclesiasticus, sed sublatis omnibus scandalis, ille inter mundi huius tenebras ita colluceat, vt luminis eius splendore excitentur omnes, qui in tenebris iacent, & ad Deum suum, qui est vnicum & verum animarum lumen, relictis ignorantię, malitiæ, & excœcationis suæ tenebris, conuertantur. Si quis autem in huiusmodi conuiuio notabilis factus fuerit excessus, qui alijs scandalo esse possit, eum in Episcopali Synodo referri præcipimus, & illius authores tanto grauius puniri, quanto ad blasphemandum nomẽ Dei, & vituperandas pastorales Synodos, aut conuentus, maiorem dederint occasionem.

25. Nulli in hisce conuiuijs admixti sint extranei, nisi qui vel sui reuerentia Pastores ædificare queant, vel consilio & authoritate iuuare, aut quos ipsi pastores sua sobrietate, iustitia & pietate, se Christo sperant lucrifacturos.

26. Admisceatur initio saltem mensæ diuinarum scripturarum lectio, vel Homilia decima septima D. Gregorij Papæ, in verba Euangelistæ Lucæ: *Designauit Dominus & alios septuaginta duos &c.* per quam non solùm ocio si sermones excludantur, & pij introducantur, sed & pastoralis officij quisq; efficaciter admoneatur.

27. Non accumbant diutius quàm duabus horis: sed mox vbi naturæ satisfactum fuerit, ne detur occasio ei qui circuit, quærens quem tentet & deuoret, auferan-

tur omnia poculenta, actisque Deo gratijs, quisque in pace cum magna populi ædificatione ad ædes suas reuertatur.

In Synodo Diœcesana Anni 1551. iussi fuerunt Decani statuta hæc cõmissarijs Reuerendissimi remissenda tradere pa. 540.

28. Si quæ præterea Decanis ruralibus, vel in proprijs suis statutis & iuramentis, vel in Synodalibus aut prouincialibus Constitutionibus præscripta sint, quæ eos in fidei Catholicæ præsidium ac Sacrorum Canonum custodiam, ad maiorem vigilantiam, maioremq; sollicitudinem obstringunt, quàm hisce nostris est expressum decretis, eadem perinde, ac si ad verbum à nobis fuissent recensita, pristinum volumus obtinere obligandi atq; obstringendi vigorem, & tanto diligentius obseruari, quanto eorum neglectu grauius Christi Ecclesia damnum sẽtiret. Quò referenda censemus, quæ de frequenti Confessione, & sacræ Eucharistiæ perceptione, Decanis Collegialibus, præscripta sunt, quæq; passim in hisce nostris reformationis Ecclesiasticæ decretis Decanorum ruralium subiectos tangere quoquomodo possunt. Quæ vtà Clero, alijsq; qui Decanis ruralibus subiecti sunt, obseruentur, & in vsum ducantur, Decanorum ruralium erit, exemplo, cohortatione, authoritate, omniq; diligentia contendere & perficere.

29. Vt autem huc contendant, & ista atq; alia quæ hactenus recensita sunt, præstent & perficiant, seriò secum reputent, quot & quanta damna eorum negligentia, in hac excultissima quõdam Diœcesi senserit iam aliquot annis Christi Ecclesia, quot & quàm graues abusus, scandala & sacrilegia, eis dormientibus, & in strato suo quiescentibus, in eã inuecta sint; quã multi passim pastores, sine legitima Archidiaconorum institutione, Ecclesias Parochiales inuaserint; quã multi ex plebe per hæreticos, adeoq; ipsos pastores, & præcipuè Apostatas, ac impurissimę vitę fugitiuos monachos, miserè seducti sint; quã dissoluta, quã vana, quã irreligiosa ac impia sit multorũ vita, à qua si professio nominis Christiani auferatur, vix aliquid Chri-

Christianitatis in ea reliquũ inuenietur, hoc ipso peior, quod sanctissimũ nomẽ (quod in professione habet) pessimis factis & operibus quantũ in se est polluat, prophanet, & omnibus modis contẽptibile faciat. Hac consideratione inardescãt, & sibi ipsis irascẽtes, à somno socordiæ sese excitent; examinent quid sibi oneris, quid sollicitudinis incumbat, & de quibus Deo in die Iudicij reddere cogentur rationem. videant quid Deo, quid Episcopo suo, quid Clero ac populo cui præsunt præstituros, se solenni iuramento promiserint. Cogitent se esse Pastores non vnius duntaxat parochiæ, paucarum incolarum; sed quãplurimorum pastorum, qui numerosissimæ plebis multitudinem, suæ fidei & directioni commissam habent. Omnium horum culpas suas fieri certissimè sibi persuadeant, si eas non explorent & inuestigent, exploratas nõ corrigant, & emendent, aut ab alijs corrigendas, & emendandas taceant, & deferre vel accusare, aut non audeant, aut nõ velint, facti nimirum similes illis, de quibus scriptum est; *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi: Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum. Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie sic & cras, & multo amplius.* Esaiæ 56. Quæ quidem verba ad cautelam suam, vulnerisque medelam à Decanis ruralibus, alijsque omnibus, qui speculatoris officio funguntur, diligenter considerãda monemus, & in illis tres notari taciturnitatis & cœcitatis speculatorum causas: ebrietatem videlicet, viniq; amorem, per quæ intelligatur omnis carnis voluptas in comessationibus, ebrietatibus, in cubilibus & impudicitijs; inexplebilem item auaritiæ affectum, siue in congerendis beneficijs Ecclesiasticis, & ambiendis maioribus & pinguioribus Præbendis & dignitatibus, siue in se-

ctandis quibuſuis alijs modis, proprijs cõmodis, ac ſęculi lucris, captandisq; muneribus; ſtudiũ deniq; rerũ vanarũ, quò omniũ illarũ rerũ curã, deſideriũ, ſollicitudinẽ, amorẽ, metũ, ac timorẽ cõprehendi iudicamus, quę à vocatione Eccleſiaſtici ſpeculatoris alienę ſunt, & indignę quę iuſmodi virũ, ab officij ſeu muneris ſui executione, remorentur. In quo agmine in primis conſtituimus ſtudium placendi hominibus, diſſipans oſſa virorum, & ex ſeruis Dei faciens ſeruos Diaboli. Eiąue proximè adiungimus vanum timorem, quo trepidant vbi timor non eſt, qui ſolùm expendunt minas ac ſupplicia hominum, & non ſe animant, nec erigunt, neq; confortant, conſideratione promiſſorum Dei, qui inuocantibus ſe à dextris ſemper adeſt, ne commoueantur, & in adiutorio ſuo habitantes protectione ſua, vel benignè & clementer ex periculis eripit, vel potenter in infirmitate ſeruorum ſuorum, virtutem ſuam perficiens, inſuperabili fortitudine eos pericula omnia ſuperare facit, commutans timorẽ, quo incõſidetatè, & infideliter timebantur homines, ne corpus occiderent, in perfectiſſimum amorem ſui, quo ſapienter & conſtanter timeatur ipſe, ne & corpus & animam perdat in gehennam. Horum duorum vitiorum (ad excitãdos rurales Decanos) potiſſimum mentionem faciendã putauit D. Adolphus tertius, dum in conſtitutione quæ incipit *Benedictus Deus*, data prima Septemb anno 1548. & publicata in ſynodo eiuſdem Anni 2. Octobris, eos officij ſui admonens, peculiariter adhortatur, vt omnino caueant, ne aut gratia, aut formidine poteſtatum ſæcularium ſe deprauari ſinant, vt à veritate abſcedant. Et ſynodus Diœceſana ſub eodem Archipręſule, Anno 1551. feria ſecunda poſt Dominicam *Inuocauit* celebrata, reſpondens Decanis ruralibus, ditionis illuſtriſſimi Principis, & Domini, Ducis Iuliacenſis Cliuẽſis &c. qui ſibi per quaſdã eiuſdẽ Principis litteras iuſtũ metũ cauſabantur illatũ, per quẽ non fuiſſent auſi, iuxta Decreta ac mãdata Archiepiſcopi ſui, ad ſynodũ Archiepiſcopalem compa

Pſalm. 52. Galat. 1.

Vide hac de re lectu dignißimam D. Cypriani epiſtolam 55. ad Corneliũ quæ eſt in antiqua editione li. 1 epi. 3.

Pag 411. b. Pa. 539. a. b. Dicit hìc ſynodus Ducẽ Iuliacenſem literis declaraſſe, nolle ſe antiquum ius Archiepiſcopale infringere aut impedire, ſed permittere ſe vt eo liberè vtatur.

rere, Capitula sua, post Episcopalis synodi celebrationē, pro more obseruare, synodi Decreta publicare, Archidiaconis suis capitula & regiuncu las Decaniarum ruralium visitantibus obedire: statuit & decreuit, quod nisi periurium incurrere, & debitam obedientiam Archiepiscopo suo subtrahere vellent, ciusmodi mandatis & decretis tenerentur parere, vel sua ministeria relinquere. Hæc itaq; vigilantis animi intuitu considerent, & sapienter secum expendant rurales Decani, & voluptates sęculi, propriaq; lucra, atq; extrinsecas gloriolas perfectissimè toto corde respuant, omnemque inanem, & vanū metum superent, vt Dei & proximi lucra quærere valeant, & quod sui officij propriè est, pro defensione gregis sui semper latrare possint, si mordere non possint. Quin imò nunc tempus recurrere cognoscant, quo pro latratu ac morsu sanguis ostendendus est, forti paratoque animo in acie stādum, ac pro defensione fidei, pro Ecclesiæ libertate, pro Canonum obseruatione, pro armandis deniq; & tuendis ouibus, vsque ad mortem fidei hostibus, alijsque Catholicæ Ecclesiæ aduersarijs resistendum; sic fidem primitus fundatā esse, sic nobis traditā, sicq; à nobis posteritati conseruandam. Quam animi virtutem & constantiā ipsis alijsque omnibus Ecclesiæ ministris, per ardentissimum sui amorem parare & præstare dignetur Dominus, ac redēptor noster Iesus Christus, qui humilia respicit, & alta à lōgè cognoscit.

30. Vt verò manifesta omnibus fiat vniuscuiusq; Archidiaconi, Decani ruralis, & Pastoris sollicitudo ac vigilantia, omnesque sciant ad quos cuiusque Archidiaconi & Decani ruralis cura sollicitudo atque inspectio extendere se debeat: decernimus in proxima synodo catalogum edendum & publicandum esse, in quo singulis Archidiaconis, singuli Decani rurales, quibus præsunt, & singulis Decanis ruralibus singuli regiunculæ suæ Pastores asscribantur.

DE CA-

DE CANONICIS, VICARIIS, ALIISQVE SACERdotibus & Clericis.

1. *cap.10 statutorum Conradi pag. 13. concil. prouinc. sub Herm 5. parte 3. cap. 19. pag 360 d. & alibi. Rom 12.

1. Timoth. 4

Cap. Qualis erit.

D. Bernar. in prologo vitæ B. Malac

De interpretatione nominis clerici D. Hieronymus in Epist. ad Nepotianum; & de Clericorum officijs Concil. prouinc. sub Herm. 5 parte 2 cap 1.2.3.4 &c. 20 21,22. etc.

CAnonici, qui aliâs Clerici, aliâs *Fratres vocantur, interpretentur nomina sua, & hoc esse studeãt quod dicuntur.

2. Vt fratres sint, & charitate fraternitatis inuicem ament, imò vt sese mutuo tanquam seipsos ament, Deum ex toto corde & supra omnia ament, non vulgi tantùm more, vt satis sit ad euadendam æternam damnationẽ; sed quemadmodum Ecclesiæ senatum decet, forma quadam eminenti, qua alijs omnibus tantum præstent, quãtum præstant nomine & honore, ijsque præluceant in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate; & in cæteris virtutibus exemplo sint, atque incitamento ad currendam viam Domini, summa animi alacritate ac deuotione. Neque enim, vt ex D. Hieronymo causa 8. quæst. 1. annotatum est, solum Episcoporum est cunctum populum cui præsident, conuersatione, scientia, sermone præire, verùm etiam inferioris gradus: quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, laicos meliores esse quàm Clericos.

3. Vt Clerici sint, & peculiari quadam ratione Dominum possidentes, & à Domino possessi, honores, glorias, aliaque huius mundi bona, non modò infra se ponant, & pluris non faciant quàm sunt facienda, atque ijs (quod omnium Christianorum est) cor non apponant, sed ex animo contemnant, & tanquam pietatis & perfectæ charitatis, in Deum & proximum impedimenta, quantum possunt, quantum Deum amant, à se abscindant, & pereminentem scientiam Iesu Christi Domini nostri detrimentum faciant. Ne si non diuino desiderio, sed terrenis cupiditatibus & voluptatibus deseruiunt, intra Ecclesiæ gre-

gtemium filij alieni nutriantur. Huius eos admoneat regale decus, clericalis tonsura, quæ verticem capitis nudat, vt eminentiam mentis ad Dominum liberam debere esse demonstret, & renascentium capillorum superfluitatem vsq; ad aures crebrò præscindit, vt hoc schemate à sensibus & cogitationibus Clericorum curas omnes temporales, terrenas sollicitudines, vanas nouitates, cæteraque mundi huius irritamenta, non tam auferenda, quàm perpetuò resecanda exigat. *D. Greg. li. 2. Indict. 10. ep. 37. ca. 11.*

4. Vt autem sint Canonici, secundùm sacros Canones, mores & vitam suam conforment, & obedientiam quam iureiurando suis Episcopis, Prælatis, & Ecclesiarũ suarum statutis debent, non verbis tantùm, ad maiorem damnationem suam, sed & opere ac reipsa præstent, & perficiant; vt & hîc vitæ suæ subsidium iusto titulo ab Ecclesia accipiant, & in iustorum remuneratione immarcessibili obedientiæ & charitatis corona, à cœlesti Imperatore, cui soli seruiunt, donari mereantur.

5. Præcipuè verò hæc, quæ ex sacris Concilijs, synodis, & statutis, potissimum Ecclesiæ Colonienſis, pro eorum reformatione collegimus, inuiolatè ipsis seruanda proponimus & mandamus.

6. Quæ de diuinis officijs infra præscripta sunt, eo animi feruore exequantur, vt sese liberos & sub gratia constitutos esse demonstrent, & non tam præcepti necessitate, aut emolumenti cuiuspiam terreni gratia, tanquam sub lege constituti; sed voluntaria seruitute, amoreque ac desiderio amoris Dei incensi, in his præstandis ita flagrent, vt flamma charitatis suæ, siue cantando, siue legendo, siue aliud secundùm ordinem officij sui faciendo, sese mutuo ad laudandum & benedicendum nomen Domini magis magisque excitent, omniumque corda spiritu compunctionis & amoris Dei vulnerent, & ijs ignibus, qui ex odio & detestatione peccatorum, ac prædicatione misericordiarum atq; beneficiorum Dei erũpunt, inflamment. *Concil. prouinc. sub Hermanno 5. parte 3. c. 13.*

7. Quoniam verò omnis deformitas & peruersitas in Clero Domini peccatum est, siue elongatio à Deo; satagant, quantum sanctitudinem templi Dei, quod ipsi sūt, amant, vt per frequentationem sacræ Confessionis, & Sacramenti Pœnitentiæ, à peccatorum sordibus expurgati, & Deo reconciliati, per crebram corporis Christi communionem, ei arctissimè iungantur, eiq́ue omnibus modis intimè vniantur: prout titulo de Decanis Collegiatarum Ecclesiarum explicatius à nobis præscriptum est.

8. Seruent quoq; quæ eodem titulo de Capitulo disciplinæ, & quæ alibi de Canonicorum residentia alijs adiuncta sunt, &, nisi amoris Dei indigentiam manifestè prodere velint, animumq́; diuini honoris ac cultus, suæq́ue salutis negligentem: quod necessitate statuti Ecclesiastici, ac pœnę temporalis timore, primo residentię suę tempore didicerunt, ad officium diuinum dēcantandū, durante illo tempore, sine aliqua intermissione cum primis adesse, & in eo vsque ad finem perseuerare; hoc reliquo vitæ suæ tēpore, tanto diligentius obseruent, quāto & ipsa virtus primis virtutis inductionibus debet esse illustrior, & fides atque spes cœlestium bonorum, sensibilibus & luteis huius mundi præmijs, efficacior.

9. Ad horas canonicas recitandas, etiamsi iter faciāt, vel alia de causa cum facultate Superioris, templum cū alijs non frequentent, se ita astrictos esse cognoscant, vt cessante legitimo impedimento earum omissione, præter peccatum mortale, quod incurrunt, non solùm quotidianas distributiones, quas præsentes in choro accepturi erant, amittant; sed præterea reliquos beneficiorum seu officiorū fructus, pro rata omissionis officij & tēporis suos non faciant, iuxta Constitutionē Pij Quinti Romani Pontificis, hisce Decretis adiectā, quę incipit. *Expræcipuo Lateranensi Concil.* datam anno 1571. 12. Calen. Octob. Pontificatus eius anno 6.

10. Neque verò satisfeciisse se arbitrentur, si recitandarum

rum precum horariarum onus alicui alteri iniunxerint, eaſq; nomine ſuo ab alio legi curauerint: earum ſiquidē lectio, non ob interceſſionis duntaxat inſtituta eſt officium, ſed & ob inſtructionis, ædificationis, ac ſpiritualis refectionis, quod legenti præbet alimentum, & fidei, ſpei atque charitatis exercitium.

11. Et quia perſecutio non debet Eccleſiæ pietatem aut obruere aut euacuare; ſed extimulare & exaltare: nō mox ignauo cuiuſuis mali timore, à Canonico vel quouis alio Clerico inter hæreticos aut alios perſecutores iter faciente vel habitante, ita deſerendum eſt, in ſoluendo precum horariarum penſo, pietatis officium, vt nullum velit pro eo ſubire periculum: at ea prudentia cautè proſequendum, vt non ab aſpicientibus agnoſcatur profeſſionis irritabulo, vel nimia animoſitate temerarius; ſed à curioſis (ſi ita diuinæ diſpenſationis ſors fert) cum *a* Daniele propheta pietatis pabulo deprehendatur religioſus.

12. Si qui *b* grauioribus ſtudijs aut occupationibus multis & magnis diſtringuntur, quò felicius & facilius ſe ab illis expediant, preces ſuas horarias non negligant, aut irreuerenter & præcipitanter percurrant: ſed ea ſollicitudine animiq́ue pietate & attentione illas ante omnia ſatagant perſoluere, qua ſe ei faciant commendatiores, à quo omnis, ad res bene prudenterq́; gerendas, ſapientia, lumen, & facultas deſcendit, ſine quo nihil poſſunt, & tā to ſerius, ac infelicius negotia ſua abſoluunt, quāto magis ea præcipiti & irreuerenti, aut etiam omiſſa precum debitarum recitatione, abſoluere citius & imperfectius properabant. *c* *Maledictus enim qui facit opus Domini fraudulenter. Et maledictum ſtudium propter quod relinquitur diuinum officium.*

13. Si iuxta morem & conſuetudinem Eccleſię, cui aſſcripti ſunt, teneātur certis diebus ad *d* lectionē officij defunctorum, ad illud quoq; ſe obligatos eſſe cognoſcant, etiam-

a Cap. 6. Daniel.

b *Huius rei illuſtre exemplum, omnibus Eccleſiaſticis in primis imitandum recenſet Platina in vita Iohānis 20. de Roberto rege Franciæ, cuius tanta fuit religio, vt quoties ſibi per occupationes bellicas liceret, horas Canonicas vnà cū ſacerdotibus caneret. Qua pietate hoc meritum ferunt, cùm oppidum quoddam ex hoſtibus obſideret, neq; horas ſuas intermitteret, mœnia hoſtium diuinitus corruerēt, ſtatimq; irruentibus ſuis oppidū caperetur.*

c Ierem. 48.

d D. Thomas quodlibet. 6. & alij.

etiamsi in Ecclesia præsentes non sint; sed vel studiorum, vel alia legitima causa absint. Hoc enim institutum est, vt solliciti sint pro satisfactione & refrigeratione eorũ, quorum stipendijs viuunt, & peccata comedunt, commiserationis gemitus fundere, & dignos pœnitentiæ fructus facere; ne alioquin illorum peccata quæ redimere potuerant, ipsis imputentur, & pro ijsdem à iustissimo iudice ipsimet pœnas luere & satisfacere cogantur vsq; ad nouissimum quadrantem.

*D. Bernard. sermone de verbis Euangelij: Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, Ante medium sermonis. Concil. prouinc. sub Conrad. Archie. cap. 4. pag. 10. & 11. Statut. D. Sifridi cap. 1. p. 35. d. Statut. D. Henrici Anno 1321. edit. cap. 2. pag. 86. d. 87. a. Statut. D. Valrami c. 18. pag. 125. & cap. 19. pag. 128. Statutum D. Vilhelmi, cap. 5. pagina 157. a. & c. Ac capite 8. pag. 160. a. Et cap. 9. pag. 160. a. Statut. D. Friderici c. 5. pag. 189. Concil. prouinc. sub D. Nicolao de Cusa Cardinal. §. 7. pag. 284. a. Beda lib. 5. Hist. Anglic. cap. 12. Statut. D. Valrami cap. 4. pa. 111. d. Beda in 1. Esdræ cap. 9. *2. Cor. 6.*

14. Coronam Clericalem, quæ Christi Domini Regis nostri nostræque militiæ, & immarcessibilis gloriæ insigne est, omnes ordini ac gradui suo conuenientem (vt titulo de Prælatis à nobis explicatum & sub grauibus pœnis præscriptum est) perspicuè gerant, eamque tertia minimum septimana renouent. Nec propter hæreticorum derisionem, aut vulgi iudicium quemq; pudeat hoc symbolo ducem ac Imperatorem suũ agnoscere, cui per *arma Iustitiæ, à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, debet militare.

15. Nulli barbam nutriant, sed eam secunda vel tertia qualibet septimana, vel nouacula abradant, vel forficula ad pressum auferant, aut saltem per tenuem pectinem tondentes ita attondeant, vt tantum operta sit cutis, & nec infra in acutum desinat, nec ex superiori labro in alas excrescat, aut vltra ipsum labrum in os propendeat, ne aut sanguinem, aut corpus Dominicum accepturi, hinc, per contactũ barbæ, in peccatũ irreuerẽtiæ incidãt, vnde reconciliationem & gratiam maiorem sperabant.

16. Comam non dimittant, sed in secundam vel tertiã hebdomadã, ad medias vsq; aures vetusto Germanorũ more in rotundũ præcidant, hoc.n. Clericorũ est; illud

Statut. Henrici, Anno 1307. edit.

autem,

autem, vt docet Apostolus, ignominia viro, & vt dicit D. Hieronymus propriè luxuriosorum, barbarorum, & mili tantium est. *ca. 14. p. 72. b. statut D. VVilhelmi cap. 1. §. 1. p. 150. & cap. 29. pa. 180. c. 1. Corinth. 11. Hieronymus in cap. 44. Ezechielis. D. Ambrosius lib. 4. Epist. 15.*

17. Capillitium ne in cristam componant, seu à brechmate in occiput recrispent, forma enim hæc superba & vana crinium, magna deformitas est mentium: præcipuè in Canonicis alijsq; Ecclesiasticis viris, quibus ob hoc etiam crines frequenter præsinduntur, ne aut eorum cura teneantur, aut incuria molestentur.

18. Vestibus vtantur coloris duntaxat nigri, non dissectis, non etiam superfluo cultu ornatis, aut aliqua leuitate vel singularitate notandis; sed quæ Clericalem modestiam præ se ferant, & animum prodant, omnis vanitatis & superbiæ contemptorem, ne, quod scripsit olim D. *Bernardus, habitu milites, quęstu Clericos, actu neutrũ exhibeant. *Concil. provinciał. sub Conrado Archiepiscopo cap. 4. pagin. 10. d. & cap. 9. pag. 13. a. b. Statut. D. Sifridi cap. 1. p. 35. d. Statut. D. Henrici Anno 1321. edit. cap. 3. pag. 87. d. stat. D. VValrami cap. 4. p. 118. & cap. 18. pag. 125. stat. D. VVilhelmi cap. 1. §. 3. & 4. pag. 150. & cap. 5. pagi. 157. stat. D. Friderici. cap. 4. pag. 188. Concil. prouinc. sub Herman. 5. cap. 26. parte 2. *De consideratione lib. 3. circa fin.*

19. Vestis interior ad medium vsque tibiæ, vel vltra suram longa sit, exterior verò vsque ad talos diffundatur. *Statut. D. VValrami cap. 18. pag. 125. b. statu. D. VVilhelmi cap. 29. pag. 180. b.*

20. Sine veste talari nusquam foras prodeant, nisi itineris duntaxat causa. Decet enim vt vestium grauitate & honestate ab alijs semper distinguantur, & suæ vocationis atq; officij admoneãtur, qui alijs virtutis, honestatis, pudicitiæ, & grauitatis debent esse exemplar, atq; seipsos omnibus, tanquam signum purioris vitæ exhibere imitandos. *Concil. prouinc. sub Conrado cap. 9. p. 13. c. Anicetus Epistola ad Episcopos Gallie.*

21. Quò vestiti veste Clericali ire erubescerent, aut alioquin eos venire non deceret, eò nec alia vestium forma sese transportent. Quare nec laruati aut personati vnquam publicè aut priuatim conspiciantur, nec in sæ- *Conc. Antiochoren. ca. 33. & 34. Concil. Tolet. 4. cap. 30.*

Concil. Carthag. 4. cap. 47. distinct. 91. Clericus quilibet. Concil. Mogunt. ca. 10. Disti. 23. cap. His igitur. Concil Matisconense 2. cap. 19. Concil. Lateranense generale, sub Innocent. 3. cap. 18. & Tit. Ne Clerici vel Monachi cap. 9. stat. D. Sifridi ca. 1. pag. 35. c. d. Concil. prouinc. sub Hermanno 5. parte 2 ca. 32. Conc. Antisiodorense cap. 33. & 34. Conc. Toletan. 4. cap. 30.

culari vestitu in foro stent ociosi, aut obambulent, vel per plateas vagentur, nec comœdijs, pompis, alijsue spectaculis aut publicis lusibus interfint. Neque si reus quisquam ad carceres, vel ad Iudicium, seu damnatus ad supplicium ducatur, vnà cum populo spectandi causa accurrant.

Statut. D. VVilhelmi capite 1. §. 28. pagina 151. d. & 152. a.

22. Pro decoro ac grauitate Ordinis sui nusquam soli vadant, sed aut famulum semper habeant comitem, aut collegam, vel aliquem virum grauem sibi adiunctum.

Statut. D. Henrici Anno 1301. 4.

23. Nec caligæ inflatæ sint, nec thoraces ad ventrem turgidi, neque calcei sint incisi, perforati aut laquei.

Martij edit. cap. 4. pag. 27. c. stat. D. VVilhelmi §. 5. pa. 150. c. stat. D Sifridi ca. 1. pag. 35. d

24. Interulæ nec ad collum, nec ad manus rugosæ sint aut acupictæ, sed planæ, & nullo artificio ornatæ, quæ eos à Laicis apertè distinguant.

D. Aug. lib. 4. contra Iulianum doctissimè & elegantissimè sentiendi, viuacitatem, vtilitatem, & necessitatem, à sentiendi libidine distinguit. Quod caput dignum est vt aureis scribatur litteris & omnibus innotescat. Idem de sensuum oblectationibus agit libro decimo confess. cap. 30. & deinceps.

25. Ab odorum suauitatibus se contineant, eorumque fumis nec vestes, nec corpus imbuant. Huiusmodi enim sensuum oblectamenta, non inhærendo saturitatis experimento explenda, sed contemnendo intentione melioris boni sunt transeunda.

Statut. D. VValrami cap. 18. pag. 124. c. Consil. Moguntinense ca. 28.* Pag. 467. d.

26. Cùm in hac Diœcesi diligentissima semper habita fuerit ratio, vt Sacerdotes à cæteris Clericis certo signo distinguerentur: Ideoq; Synodus Diœcesana* vicesimo sexto Februarij Anno Millesimo, quingentesimo, trigesimo sub Adolpho tertio habita, Sacerdotali dignitati consultum cupiens, omnibus presbyteris mandauit, vt omnes

omnes in publico semper stolis seu orarijs, quæ collaria vocantur vterentur, quibus à cæteris, qui iugo Domini & Ecclesiæ ministerio sua colla submiserunt, discernerentur, & admonerentur dignitatis suæ: piam hanc consuetudinem approbantes, iudicantesq; ad continendum in officio singulos multum facere posse, si qui muneris seu ordinis potestate alios præcedunt, præeminentia quoq; singulari, in exteriori vestitu honorarentur: Volumus vt Decani alijq; Prælati sæculares nunquam in publicum veniant, nisi stolas seu oraria aut collaria holoserica, quibus pro excellentia dignitatis suæ, laudabili maiorum consuetudine insigniri debent, ex collo per humeros dependentia gestantes. Quocunq; enim vadunt, siue ad conuentus & actus publicos, siue ad negotia priuata, meminisse semper debent hanc personam eximium & singulare quoddam authoritatis pondus, præ alijs sibi vendicare, decere eam grauiores & decentiores mores, maiorem circumspectionem & grauitatem, quàm desideratur ab illis quibus præsunt, & omnibus modis reuerendi semper esse debent.

27. Pari ratione Pastores, & sacrarum virginum præfecti sæculares, atque Pastorum Sacellani, seu coadiutores eiusmodi orarijs seu collarijs semper ornati prodeant, qualibus ex præscripto Synodi Diœcesanæ, cuius mentionem fecimus, singuli Sacerdotes olim vtebantur.

28. Sacerdotes verò omnes & singuli, quo præ Diaconis, Subdiaconis, alijsq; inferioris ordinis Clericis honoratiores dignoscantur, & secundum debitum præeminētię Ordinis sui, singulari vitæ sanctitate lōgè alijs prę minere debere admoneātur, alijq; ad sacrū Ordinem magis prouocentur; posthac Clericale biretum ad crucis formam confectum, quod est Ecclesiasticorum hominum proprium, gerant semper.

29. Alijs verò Canonicis & Clericis, qui Sacerdotes non

tes non sunt, cuiuscunque fuerint Ordinis, eiusmodi biretum gestare non liceat, sed rotundum pileum, quali nunc Sacerdotes & alij Ecclesiastici communiter vtuntur, exceptis duntaxat Ducibus, Comitibus, Baronibus, alijsq; illustribus viris & adolescētibus, si illustrium personarum præbendas habuerint, & vtriusq; vel alterius iuris ac Medicinæ Doctoribus & Licentiatis, quibus etsi Sacerdotes non fuerint, prærogatiuam vtendi Bireto Sacerdotali in hac Diœcesi concedimus.

Non excipiuntur hic S. Theologiæ Doctores & Licentiati, quia illi meritò deberent esse Sacerdotes.

30. Porrò cùm etiam inter Canonicos, nec non Vicarios, Chorisocios & Cappellanos, hoc semper diligentissimè videmus obseruatum, vt pro maiestate dignitatis, præeminentia Sacri Ordinis, nobilitate generis, atq; humilitate conditionis, distinctio quoq; esset in superpelliceis, qua partim colore, partim forma superpelliceorū, Prelati à non Prælatis, Sacerdotes à non Sacerdotibus, Illustres à non Illustribus, Vicarij, Chorisocij, Cappellani, à Canonicis discernerentur; vt hinc quisq; personam suam agnosceret, & quid discretio hæc in humilitate charitatis, & charitate vnitatis à se requireret, quotiescunque hoc sumeret ornamentum, secum sapienter consideraret; prudentes nos facit ista à maioribus instituta obseruatio, & causam nobis dedit quorundam, imò multorum socordia vt imitandum censeamus quod prudenter institutum & vtiliter obseruatum videmus. Quiae nim pleriq; qui hactenus Romanorum Pontificum beneficio, Ecclesiastica beneficia cum obligatione prælegendi in Vniuersitate Colonienſi acceperunt, perinde ac obligationis suæ obliti, nihil aut parum incumbentis sibi muneris exoluerunt; Romani Pontificis authoritate & voluntate Præbendatos seu beneficiatos, hosce pro admonitione officij & obligationis suæ, hac nota discretos deinceps ab alijs esse volumus, vt superpelliceorum fimbriam, quam Sacerdotes in albis superpelliceis cinericiam, Illustres in rubris superpelliceis albam, Diaconi &

Sub-

Subdiaconi in rubris superpelliceis cinericiam, Vicarij, Chorisocij, Cappellani in cinericijs superpelliceis partim albam, partim cinericiam habent; ipsi siue Sacerdotis siue non Sacerdotis præbendam habuerint, partim rubram partim cinericia m gerant.

31. Huius rei occasione admonitos hîc volumus, singularum facultatum Vniuersitatis Colonienſis Decanos, vt Magistros, Licentiatos, Baccalaureos, pristino more à reliquis studiosis, peculiaribus, & proprijs insignijs, & prærogatiuis suis vti curent, quò & ipsi pro gradu honoris & eruditionis suæ, honorem & dignitatem suam debere tueri admoneantur, omnibusq; semper veniant reuerendi & suspiciendi.

32. Qui in aliquo horum quæ de Ecclesiastico habitu, de insignijs Prælatorum, Sacerdotum, Præbendatorum, seu beneficiatorum, & Sacellanorum seu coadiutorum, præscripta sunt, post trigesimum, ab horum Decretorum promulgatione diem deliquerit, eum præter vestium, aliarumue rerum amissionem, in prima vice vnius mensis, secunda duorum mensium, fructibus beneficij sui priuamus, & quanto frequentius excesserit, tanto plurium mensium fructus ei detrahi volumus: simili pœna in eum vel eos decreta, cuius vel quorum conniuentia, vel negligentia ista seruata non fuerint. Quod si contumacia meruerit, vel alia graui carceris aut excommunicationis pœna, secundùm statuta Archiepiscoporum Colonienſium, emendetur, vel beneficijs priuetur. *Mart. Papæ 5. sess. 43 Cæc. Constant.*

33. Suppellex & domus habitationis necessitatibus accommoda sit, vsibusque duntaxat sufficiat, minimè autem superfluitate, sumptu vel curiositate, superbiam aut vanitatem, ad delectandum oculos, vana ostentatione præ se ferat & superflua, quibus egeni sustentandi fuerant, impiè sacrilegeq; distrahat. Sacrilega enim crudelitate, si vnanimi Sanctorum omnium sententię creditur, pauperibus surripitur, quicquid vltra victum & vestitum *D. Hieron. in ep. ad Nepotianum & alibi. D. Prosper de vita contemplatiua lib. 2. cap. 9 10. 11. 12. 13. 14 &c. D. Bernard.*

de facultatibus Ecclesiarum, ab Ecclesiarum ministris retinetur.

ser 23 super Cantica, & ser. super verba Domini

: Dixit Simon Petrus ad Iesum, Ecce nos reliquimus omnia, & epistola 2. quæ est ad Fulconem Lingonensem Archidiacon. Concil. prouinc sub Herman 5 parte 2. cap. 24.

34. Nihil præterea faciant ad ostentationem, nihilq; dicant ad iactantiam, nec vllis in rebus laudem aut gloriam ab hominibus quærant; ne veniente sponso lampades eorum extinguantur, & quod videbatur hominibus lucere, laudabile & glorioſum esse, propriæ conscientiæ testimonio tunc contenebrescat, & pro gloria condemnationem adferat.

D. August. epistola 120 cap. 31. & de verbis Domini, serm. 22. & 23. In psal. 147. & alibi

35. Conuiuia rarò accedant, vel vt ipsi pro officio suo hospitales sint peregrinantibus, & in pijs quibusque, qui non habent quod comedant, Christum Dominum, à quo habent quæcunq; acceperunt, domi suæ superfluis suis reficiant; vel vt hac cautione temperantiæ non amittant modum, nullumq; dent opprobrio locum: facilè siquidem, vt inquit D. Hieronymus, contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat, prodit enim despicabilem epulandi cupiditatem, & eneruat virilem grauitatem nimia facilitate sua.

Stat D. Vilhelmi, cap. 1 § 24 pag 151 D Ambros. lib 1 offi. 10 cap 20. Possidius in vita D August. cap 27. dist. 24 per totũ D. Hierõ epistola ad Nepotianum & alibi.

36. Publica conuiuia prorsus fugiant, præsertim nuptialia, nec his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur, & turpia, ac choreæ ducuntur, aut tripudia fiunt.

Cap. His igitur dist. 23. can. 10. Concil. Mogunt. Concil. Agathens. cap 28 cap. Presbyteri, dist. 34. Concil. Laodicens. cap 54. de consecrat dist. 5. cap. non oportet.

37. Maiori cura hæreticorum & schismaticorum cõuiuia & societatẽ euitẽt, & ad omnia eorum verba aures suas obturẽt, nisi ea sint ingenij præditi viuacitate, vt captiosas eorũ rationes valeant intelligere, eaq; instructi eruditione, virtutisq; robore confirmati, vt potẽter valeãt & audeant pro defensione veritatis illos instruere, &, si opus est, contradicentes palam redarguere, eorumq; insultus propulsare; ne alioquin defensioni fidei & veritatis quic-

Causa 24. quæst. 3 cap. Clericus Cõcil Carth 4. cap 70.

quicquam desit, aut diuino honori aliquid detrahatur alijque scandalizentur, si taciturni patiantur eos quæcunq; voluerint pro hæresi sua dicere, & consensisse aut conuicti iudicentur, quia deprehensi tacuisse.

38. Sed & illos ceu mortem vitent, quos Propheta potentes vocat ad bibendum vinum, & viros fortes ad miscendam ebrietatem; qui nempe plenis bibūt poculis, alioq; ad æquales haustus vrgent, & abire cupientes abire non permittunt, quorum Deus venter est, gloria in ignominia, in ebrietatibus, in confusione, finis interitus. *Esa.5.* *Philipp.3.*

39. Si quando præter expectationem suam ad immodicam potationem, seu quæ altaris ministrum & sobrietatis cultorem non decet, vrgeantur; non indecorum putent aut inhonestum sine rubore eam constanter recusare, ac ab eiusmodi rusticis & inciuilibus, rustici & inciuiles hoc nomine haberi. Minus quippe ciuiles essent, magisque agrestes, si temperantiæ modum, quem bruta animalia naturaliter seruant, ipsi rationis lumine instructi, æternisq; præmijs ac pœnis in hoc deuincti, in gratiam bibulorum potatorum non seruarent, malentes perpetuā Dei indignationē incurrere, ac optimæ existimationi seu famę suę turpē maculā inurere, ac Ethnicis multis, bestijsque plurimis hac in parte inferiores esse, quàm ad breue momentum temporis, eiusmodi gulæ mancipijs displicere. *Plutarchus in libello de bona valetudine huiusmodi inuitatoribus occinēda suadet, quæ Creon in tragœdia loquitur: Mihi amice longè satius esse duxerim, tibi nunc vt ho stis reddar, ac gratus parum, quā vt leuis in te postea renum dolore.*

grauiter gemam. *Etenim, inquit Plutarchus, oh metū ne rusticior videaris; in laterum ac rem teipsum dare præcipitem, id verè rusticani est hominis, menteque ac ratione carentis.*

40. Vt semper, tum maximè in extraneorum conuiuijs, sobriā* à sæcularium hominum consuetudine seruent grauitatem, & vitam seriam, minimeque risu, ioco, cantu, alijsue leuitatibus, vel plausibus quidquā in eis plebeū, quidquā populare, aut cū studio & moribus incōditę multitudinis cōmune appareat. Sicut .n. vbiq; à reliquo populo vestib⁹, ita & moribus debēt esse distincti & vulgi consue-

* *D. Amb li. 1. epistolarū epist. 6. Conc. Cartha 4 ca. 62. De cons. dist 5. c. Nullus. Syn Diœces sub Adol. 3. feria 3 post S. Mathiæ Anno 1550. habita pag 467.*

consuetudines, latæq; viæ orbitas, per semitas dignitatis & sanctitatis suæ declinare.

41. Si ex Clero nullus ipsis honoratior fuerit inuitatus; ad se pertinere sciant, reliquos inuitatos, tanquam sal terræ, sua præsentia condire, & à noxijs continere atq; ad salutaria dirigere. Quare si quis sermo bonus qui alios ædificare possit à quoquam fuerit prolatus, hunc promoueant & minimè interrumpi sinant. Quin verò ipsi tanquam maiores natu, quos decet primum verbum, semper primi aliquid in gratia sale conditum proferant, vnde piè colloquendi detur occasio, qua non minus anima quàm corpus reficiatur, & recreetur, atq; inutilia, vana, otiosa, & noxia excludantur.

Eccl. 32.

42. Si conuiuium in longum tempus protrahatur, ipsorum erit sua authoritate hunc excessum moderari, & si in hoc nequicquam laborauerint, aliàs eò nunquam redire. Præstat enim vt domi suæ semel venire recusent, quàm alienæ redeundi domum facultatem frequenter rogẽt; ne ex aliena insolẽtia, condẽnetur eorũ præsentia.

Ambros. lib. 1. officiorum cap. 20.

43. Si ipsimet aliquando conuiuium facere voluerint, hoc faciant, non vt rursum inuitentur, non ad ostentationem, & vanam gloriam, neque ad explendam voluptatem; sed vel ineundę, vel excitandæ, aut fouendę beneuolentiæ, & charitatis causa; & talia sint, vt non solùm aliquem aliqua ex parte non offendant; sed formam exhibeant & exemplum, quibus excessus & abusus cæterorum tollantur & condemnentur. Nempe vt ita recreetur infirmitas corporis, vt nullus detur locus voluptati, nullus absens mordeatur, nullus ex irrisione, vel despectione reprehendatur, nullæ inanes sæcularium negotiorum fabulæ aut nugæ proferantur: sed sermo omnis talis sit, qui ministros Christi deceat, quorum verba, quouis tempore & quouis loco, debent esse eructationes abundantiæ Spiritus sancti. Proinde, aut cũ *D.* Augustin. omnẽ conuiuã, superfluas & noxias fabulas narrantẽ, ab eiusmodi abstinere debere

Luc. 14. D. Gregor. li. 2. epistolarũ indict. 10. epistola 37.

Possidius in vita D. August. cap. 22.

debere admoneant, aut saltem eiusmodi sermones, prorumpendo in serium quid, incidant, & pari religione curent, eos procul esse ab aure, quemadmodum procul ab ore.

44. Ad cuius rei memoriam, & conuiuarum instructionem atque cautelam, in conuiuarum conspectu, descriptos habeant insignes atq; celebres hosce Diui Augustini versiculos.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

45. Hæc vt facilè obseruentur, & otiosæ fabulæ ab eorũ mensis prorsus excludantur; initio saltem mensæ pia aliqua lectio instituatur, quæ religiosæ consermocinationis occasionem præbeat & materiam. *Dist. 44. ca. Pro reuerentia. Conc. 3. Tolet. c. 7.*

46. Quicquid facere aliquo modo posset ad inducendam aut procurandam ebrietatem (ne ipsi si hoc negligant, censeantur ebrietatis fuisse authores) non minus quàm ipsa ebrietas & gehenna, quam secum trahit, ab ipsorum mẽsa & habitatione excludatur. Eodem enim præcepto, quo prohibetur ebrietas, prohibẽtur & quęuis ebrietatis occasiones. *Lucæ 21. de cons. dist. 5. cap. Nullus Presbyterorum Concil. Moguntin. ca. 46. concil. prouinc. sub D. Hermanno 5. parte 2. capi. 24. Synod. vernalis Anno 1550. sub Adolpho 3. pagina 467. d.*

47. Quare nec sciphos, crateres, cyathos, siue quęcunq; alia poculorũ genera mittant in orbẽ, à singulis epotanda, nec paribus seu æqualibus potitent haustibus, alioue modo frequentius, quàm sanctitatem & sobrietatem eorum decet propinando vel inuitando quẽquam inebrient, aut diligentes in vino prouocent; neque iusto diutius mensæ assidendo, vinum luxuriosè & prodigè effundant, pretiosum tempus inutiliter terant, seipsos & conuiuas suos, multorum aliorum scandalo impiè perdant, atque peccatorum suorum meritis vini sterilitatem in populum inducant. At si vnquam aliâs, vel tum maximè & vinum sibi temperent, & se vino, quando & blanda confabulatione, & secura animorum relaxatione so- *Concil. Lateranens. sub Innocent. 3. ca. 15. De vita & honest. clericorum c. Acrapula statut. Sifrid. c. 1. pa. 35. c. vide Iohannem Molinum de Canon. li. 2 cap. 18. Eccl. 31.*

brietati ac temperantiæ, maius solet esse periculum, & sub honesto velamine tractandi amicos, peccati occasio licentius irrepere, ac suauius causæ suæ patronos decipere.

48. Si quis conuiuas suos abiturientes inuitos retinuerit, & obseratis ostijs exitum negauerit; is nouerit se hac constitutione nostra, quotiescunque id fecerit à participatione quorumlibet prouentuum Ecclesiasticorum per mensem esse suspensum, eosque fabricæ Ecclesiæ suæ donatos.

49. Ante vesperarum horam semper conuiuia sua absoluant, & tractandorum amicorum causa, nunquã diuinum officium negligant. Qua in re quid possint, si velint, primo residentiæ suæ tempore ostenderunt.

50. Diebus ieiuniorum à conuiuijs abstineant, & Ecclesiastica ieiunia, ad ædificationem aliorum religiosissimè obseruent.

51. *a* Vesperi nũquam foris cœnent, multo minus noctu foris dormiant, sed si quæ necessitas, vel causa ingens eos sub vesperum domo exire coegerit, non diutius illa eos detineat, quàm vt antè horam octauam domum redierint.

52. *b* Si ob necessariam causam nocte domo egredi cogantur, etiam tum, quando fortè se à nemine conspici arbitrantur, maximam honestatis & decoris habeant rationem, & nunquam in tenebris sint sine lumine; in ipsis quoq; tenebris, modestia & grauitate sic luceant, vt eorum qui in tenebris sunt, lumen sint.

53. *c* Tabernas nõ adeant nisi sola itineris causa; compotationes quoque pomeridianas, vel domi suæ, vel apud alios, & consortium quorumuis intemperantium & malè moratorum studiosè declinent. Vsus enim & cõsuetudo cum talibus facilè inficit naturam; & vt bonos mores corrumpunt colloquia praua, ita & reliqua conuersatio.

54. In

a *Concil prouinc. sub D. Conrado Archiepiscopo ca. 7. pa. 12. b.*
b *Statut. D Sifridi cap. 1. pag. 35. d. Statut D. VVilhelmi cap. 1. §. 25. pag. 151.*
c *Conc. Laodicen cano. 24. dist. 44. ca Non oportet statut. D. VVilhelmi ca 1 §. 26 pa. 151. Concil. prouinc. sub Herman. 5 parte 2 ca 25 stat. D. Friderici ea. 1 pa. 35 b. 36 a. b.*

54. In omni conuersatione sua, verecundiam & honestatem custodiant, qua nec familiariter nimis cum alijs agant, nec verbis suis, inhonesta, ridicula, amara, aut mordaces sales admisceant, aut verba sacræ scripturæ irreuerenter vsurpent. *Stat. D. Sifridi, c. 1 pa 36. b. D. Bernardus lib. 2. de consider paulo ante finē.*

55. Honore semper inuicem præueniant; nihil per cōtentionem, nihil per inanem gloriam agant, sed in humilitate sibi inuicem arbitrentur superiores. *Rom. 12. Philip. 3.*

56. Nihil appareat in moribus imitatum, nihil sæculare, nihil nouum, nihil aulicum, aut quod aliquo modo alicuius oculos offendere possit; sed totus exterior homo in omnibus motibus suis, Ecclesiasticum hominē præ se ferat, animumq; solida virtute pium, & Christiana sapientia maturum, quæ à contemptu & odio vanitatis mundi huius sumit initium.

57. Aleis, taxillis, tabellis, & pagellis pictis, vel alio simili ludi genere, multo minus gladijs, hastis, sclopis, aut bombardis, nec ludant ipsi, nec ludentibus spectatores astent. *Statut. D. Sifridi ca. 1 pa. 35. d Iusti in authen. de dū uinis episcopis, §. vt autem omnes, vers Interdicimus. col. 8 statut. D. VValrami, ca. 4 pa. 111. d stat. D. VVilh. cap. 1. §. 8. pa. 150 d. & cap. 5. pag 157. Item cap 9 pag 160 Concil prouinc sub Herman. 5 part. 2. ca. 24. Extra tit. Ne Clerici vel Monachi, cap. 1. & tit. de vita & honestate Clericorum capit. Clerici officia.*

58. Canes, accipitres, aliaue venatica animalia non alant, nec vllum aucupium, aut venationis genus exerceant, sumptus autem quos hic facerent, eadem animi promptitudine alendis & sustentandis pauperibus studiosis impendant, qui magno ipsorum merito, totiusq; Reipub. Christianæ commodo, aliquando venatores & piscatores hominum fiant. *Dist. 34. cap. 1. & 2. Dist. 87. ca Esau. Concil. Agathen. c 35. Extra tit. ne clerici vel monachi capit. 1. & tit. De clerico venatore.*

59. A studio rerum bellicarū prorsus sint alieni. nemo enim militans Deo implicare se debet negotijs sæcularibus, minimè autem sæculari militiæ & bellis propria manu *D. Ambros. li. 1. officiorū c. 35 2. Timoth 2.*

manu gerendis. Quæ etiam si iustissima sint, perpetua tamen irregularitatis nota, viros bellatores à sacris mysterijs excludunt, quod iam idonei non sint qui alios muti lauerunt, deformauerunt aut occiderunt, vt suo in altari ministerio (quo omnes Clericorum ordines destinantur) sacratissimam Domini mortem repræsentent, qui sapientia, mansuetudine, & patientia admirabili, non occidendo, sed moriendo, & mortem vincere, & inimicos ac interemptores suos sibi subiugare voluit. Hoc enim cùm suo ministerio viri Ecclesiastici quotidie agere teneantur; prorsus non competit, vt ipsi propria manu bella gerant, vel alios occidant, mutilent, & deforment, aut in hoc causam quam vocant propinquã dent: magis autem parati esse debent, vt imitẽtur opere quod gerunt ministerio, proprium sanguinẽ pro Christo fundere, & non vim inferendo, sed patiendo potius, Christi Ecclesiam per Christum cum SS. Apostolis Apostolicisque viris, ædificare, defendere, & instaurare.

D. Thom. 22. quæst 40. art. 2 Dist. 50. ca. Minor minus doctam, & ibidẽ ca. Clericum qui c. de his pro quibus capit. de his Clericis, qui in obsidione. Causa 23. quæst 8 cap. Clerici, & cap. Quicunq; ex Clero. Concil. Chalcedo. can. 7 qui habetur causa 20. quæst 3. ca. Eos qui semel. De clerico percussore, ca. Præsentium. De homicid. volunt. cap. Petitio tua. Concil. Magunti. cano. 16. 17. Concil. Triburiens. c. 27. 1. Cor. 11. Distinct. 50. cap. Si quis viduam.

60. Nec gladium nec pugionem vel alia arma ferant, nisi longius iter ingressuri, idque magis tegendi se, quo inimicis status Ecclesiastici ignoti sint: quàm defendendi causa. Nullum enim tutius & firmius debet eis esse defensionis præsidium, quàm oratio & firma spes in Deum omnipotentem, vt cum sancto Rege confidenter dicere possint: Hi in curribus, hi in equis, Nos autem in nomine Domini inuocabimus.

Statut. D. Sifrid. ca. 1 pa. 35 d statut. D. Vilhel cap 1 § 7 pa. 150 d Idol 3. in formula inquisitionis Cathedral Ecclesiarum § 81 pag 483 b psal 19 vers 8.

61. Non sectentur turpe lucrum, nec quærendi studio afficiantur. Nam sicuti ex D. Hieronymi sententia ignominia omnium Sacerdotum est proprijs studere diuitijs: Ita & Canonicorum, omniumque Clericorum: Nihil siquidem tam contrarium est internæ animi fortitu-

1. Timoth. 4. & 6. Amb. lib. 1 officiorum cap. 36. 39 li. 3. offic. capit. 6.

dini

dini & Clericali professioni, quàm lucro vinci. *Extra tit.*
Ne Clerici vel Monachi. *Hieroni epistola ad Nepotian D. Prosper de vita contemp* libr. 2. cap. 15.*

62. Quare nec per se, nec per alios negotiationē, mercaturam aut commercia faciant, nec vinum aut aliud quippiam vilius emant vt carius vendant, neque his qui bus vina crescunt pecuniam dent mutuam aut vtendā, vt pro hac vinum quod vendant, recipiant: minimè verò ingraueſcentis * annonæ tempore, pereuntib. fame pauperibus, ad extremum frumentum reseruent, aut tūc cariſſimè vendant. *Est* enim peccatum hoc vt grauiſſimum, ita à vitæ statu alieniſſimum. Nam cùm peccata populi comedant, & communibus *Ecclesiæ* stipendijs viuant, populum ipsum comedunt, & in viscera pauperum duri insidiantur, si damno publico frumentarij pretij captatores existant. Ab alijs quoque quibuscunq; sordidis & inhonestis officijs abstineant, qualia aliquot recensentur cap. 13. stat. D. VVilhelm. pag. 72. & cap. 32. parte 2. Concilij prouincialis sub Hermanno quinto habiti.

Vide D. Gregor. Homil. 17 in Euangelia, vbi exponit illud Threnorum: Quomodò obscuratū est aurum. statut. D. Sifrid ca. 1. pa. 35 b D. Ambros. li 1 officiorum cap. 36. 39 libr 3. offic. cap 6. D. Chrysost. in 1. Corinth. hom 39. D. August. lib. 13. de Trinit. cap 3. Concil prouinc. sub D. Conrado Archiepiscopo cap. 2 pag. 10. c statut D. VVilhelm. Anno 1321 post rid. D. Remig. edit. cap. 1. pag. 86 c. cap. Diœcesanis *in Clement* de vita & honest. Cleri. *Concil. prouinc. sub Herm. 5 parte 2. capit. 29. & 31. D. Hieron in epistola ad Nepotian. &c. * Prouerb. 11. infra tit. de Pastorib. § 83.*

63. Si qui vinum, quod eis ex fructibus beneficiorum suorum, vel aliunde præter negotiationem accreuit, vēdere voluerint, id eis sine fraude & dolo vendere permittimus, seruata præscriptione D. VValrami, qui cap. 3. statutorum suorum exponens statut. D. Henrici prædecessoris sui, tam pro religiosis quàm alijs Clericis super hac re æditum, vetuit in huiusmodi Præconis proclamationem, & nec in domo, nec intra immunitatem cœnobij aut Collegij venditionis gratia admittendas compotationes, neque quemadmodum in Oenopolijs fieri solet, mox ex poculo vendentis, id quod promptum fuit, ipso in loco epotādum: ideoq; nec pocula ementibus in hūc vsum commodanda. Si quis contra hęc facere prę sumpserit,

Pag. 110. c. cap. 1. statut. D. Henrici Anno 1321 post rid. D. Remigij æditpa §6. d statut. D. VVilhel. cap. 1. § 27. pag. 151. d. Statut. D. VValrami cap. 30. pag. 142. c d 143. a. b. c. &c.

serit, cuiuscunque fuerit ordinis aut sexus, omne emolumentum quod ex huiusmodi venditione acquisierat, secundùm eiusdem D. VValrami & D. VVilhelmi Constitutiones, in pœnam peccati, Sigillifero maiori tradere cogatur, ac alijs nihilominus pœnis à suo Decano, vel alio quocunque Superiore, si id faciendum iudicauerit, puniatur.

64. *a* Non conducant alienos agros, nec eos quæstus causa colendos accipiãt, neue cuiuis personę, domus, aut familiæ sæcularis, patrocinium, tutelam, curam aut administrationem suscipiant, nisi duntaxat pietatis causa. Quomodo enim, inquit D. Hieronymus, Procuratores & Dispensatores domorum alienarum atque villarum esse poterunt Clerici, qui proprias iubentur contẽnere facultates.

65. *b* Negotijs quoq; forensibus sese non addicant, nec officium Notarij vel Tabellionis exerceant, nisi in casibus à iure permissis.

66. *c* Cùm iure antiquorum Conciliorum, sacris Canonibus sæpius innouato constitutum sit, ne Clerici iudicibus laicis se sistant, aut alterius iudicis quàm Ecclesiastici (idque sui Ordinarij accedente consensu) iurisdictionem prorogent, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (à qua nemo præterquam ipse Ordinarius absoluere possit) interdicimus omnibus in sacro Ordine constitutis, ne vnquam fideiubeant, aut aliâs se obligent, aut contrahant cum renunciatione priuilegij Clericalis. Et si secus fecerint, fideiussiones, & inde sequuta nullius sint momenti; sed neq; se mutuo conueniant coram laicis iudicibus actione personali, sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ contra actorem, quam ipse reus loco suæ exceptionis ante litis contestationem allegare possit & debeat.

67. Lai-

Statut. D. VVilhelmi Anno 1352. edit. cap 7. pa 158 c. d. & 159. a. b.

a Concil. Carthag. 3. can. 15. Can Apostolorũ ca. 7 Chalced. cap. 3. Dist. 86. c. peruenit. dist. 88. ca. 1. 2. caus. 21. quæst. 3. cap. 1. 2. 3 Extra tit. Ne Clerici vel Monachi D. Cyprian. epistola 9. lib 1. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

b Extra tit. Ne Clerici vel Monachi, & tit. De postulan. do. Item tit. De testamẽtis ca. Cum esses.

c Stat. D. Engilb ca. 10 pa 23. c. D Adolphus 3. in mãdato quod incipit. Quanquam diuinis legibus. datum in arce Brulensi ipso die S. Michaelis Anno 1550. publicatum in synodo eiusdem anni feria 5. post festum S. Remigij. pag. 512. b. c. & 513. b. De foro competent. cap 1 & 2. & cap. significasti causa 11 quæst. 1. c. Inolita & cap. Placuit & c. Con. Agathens. ca 7. Concil. Matiscon 1. ca. 5. Concil. Rom. sub Sylvest. ca. 16. act. 2. Magunti c. 24

67. Laici quoq;,qui ad Iudicium sæculare Clericum pertraxerint,ex Decreto D.Engilberti & D. Henrici,cau sacadant,& excommunicationis sententię subiaceant. *Statut.D.Engilb cap.9. pag.23. & c. 11. ibidem d. & cæt. statut. D. Henrici Anno 1306 edit. capit. 15. p. 64. d. & cæt. D. Adolp.3. in mandato proximè cita.o.*

68. Non mancipent se famulatui seruili Dominorũ aut Dominarum,nec in famulatu Ecclesiasticarum personarum,quantauis illi dignitate fulgeant,vilia obeant officia, aut opera faciant,quæ clericali decoro non conueniunt. *Concil. prouinc.sub Herman 5. parte 2.cap. 27. D. Hierony. in epistola ad Nepotian.*

69. Cum fœminis,maximè adolescentioribus,etiam si magnam sanctitatis habuerint existimationem, nullam habeant familiaritatem. De vestimentis enim procedit tinea,& à muliere iniquitas viri,facileq; fit vt casta & sancta colloquia malam suspicionem generent, quæ vtrinque sanctitatis existimationi impurum quid affingat;hoc ne fingatur,deuitent. *Distinct. 81. ca.Clericus solus & sequent. Conc. Cabilonen. c.3.*

70. Nullam habeant domi suæ commorantem fœminam,nisi quam Canones admittunt, de qua videlicet mala haberi non possit suspicio,vel vllum oriri scandalum,à quo tutiores erunt, si more aliarum gentium, olim,& à quibusdam etiamnum hic obseruato, ad officia culinæ,loco ancillæ famulum coquum habeant. Dabit Deus,hoc religiosè volentibus, & studiosè conantibus, vt virum aut adolescentem probum inueniant, qui ad hæc culinæ,& ad alia multa officia,ac ministeria,ad quę ancilla ascendere non potest, non solum minus industrius,fidelis,& vtilis non sit,sed eam omnibus modis superet,minoriq; sumptu,honore verò maiore,quàm ancilla seruiat.Quis enimviro,in minimis istis,minus quã mulieri tribuat?Quisue huic nationi, adeoq; huic Diœcesi & ciuitati detraxerit, quod alibi passim magna cum nominis, & famæ existimatione,ab omnibus viris Ecclesiasticis frequentatur? *Author tractatus de singularitate Clericorum, qui est in operibus D. Cypriani. statut. D. Sifri. cap.1.pag 35. d statut.D. VVilhel.c.1. § 2.pag.150. Concil.prouinc.sub Herm.5.parte 2. cap. 28. Dist. 81. cap. oportet & sequent. Cõcil. Nicen 1. c.3.Concil. Elibertin. ca.27. Concil Arelaten. 2. c.3.& 4.Concil.Carth.1.c.3.& 4. Concil. Carth.3 c.17.Concil.Carthag.4.c 46.Concil. Turonen.2.c.7. Concil.Mogunt.c.47.Concil.Bracar.3.c.4 & cæt.Cons.Toleta.2.c.2.*

71.Scor-

Distinct. 82. Concil. Prouinc sub D. Conrado Archiepiscopo cap. 1 pag. 9. vult vt intrent carcerem Canonicalis disciplinæ, simili ter Concil. prouinciale sub Conrado Cardinali, capite 2 pagina 2 præcipit vt in claustris suis 40 diebus in cibo quadragesimali ieiunent. Concilium verò Prouinciale sub Cardinale Domino Nicolao Cusano §. 12. pag. 248. & 249 trium mensium spatio eos à perceptione fructuum beneficiorum suorum suspendit.

71. Scortatores pœnis à sacris Canonibus vel Cõcilijs & statutis Ecclesię Colonienſis impositis puniantur.

a Ibidem §. 12. Concil. Prouinc. sub D. Conrado. 81 pag. 9 d Concil. prouinc sub D. Henrico Anno 1310 habit c 9 pag. 80 b b Synod. Diœcesa. sub Adolp. 3 Anno 1548 mẽse Octob. habita pag. 4 c d 412 a b & concil. prouinc sub eodem Archiepiscopo cap. de concubinarijs pa. 444 b c & in inquisitionibus quæ in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs inquiri debent. §. 83. 84 pa. 483. b dist. 81. cap. si qui sunt. Concil. prouinc sub Cardinal Cusano habitum, loco notato & Concil. Prouin. sub D. Henr. Anno 310 habit ca 14 pa 81 c. & cap 15. ibidem.

72. Si quis Canonicus vel quilibet alius Clericus beneficiatus vel in sacris Ordinibus constitutus suspectã & infamatam de incontinẽtia mulierem, vel domi suę, vel alibi tenuerit, quam à Superiore suo monitus nõ dimiserit, perinde ac publicus *a* & notorius concubinarius censeatur, & ceu per rei euidentiam, siue per sententiã & confessionem in iudicio factam conuictus, eo ipso quo illam à se ablegare detrectauerit, ab officio & beneficio per statuta *E*cclesiæ Colonienſis suspensus, *b* & ad susceptionem noui tituli, quorumcunque beneficiorũ aut officiorum, honoris seu dignitatis *E*cclesiasticorum inhabilis intelligatur; donec post manifestam vitæ emẽdationem eorum Superioribus cum eis ex causa visum fuerit dispensandum. Fructus verò suspensi beneficij, seu beneficiorum, vsibus Ecclesiæ, vnde promanauerant, sunt attributi, vel Ecclesiarum si in diuersis Ecclesijs beneficia habuerint.

Synod. Diœcesana sub Adolph 3. Anno 1548. mense Octo. habita pag. 417 b c Concil pro uinc sub D. Conrad. Archiepiscopo cap 1. pag 10 sta

73. Ablegata autem vel dimissa nõ censeatur mulier, nisi tam procul extra viciniam commigrauerit, vt nec commercij possit dari occasio, nec suspicioni esse locus. Hoc si admonita intra nouem dies non fecerit, per Collegiatarum ecclesiarum aut Christianitatum, ipsorum locorum Decanos, vigore statutorum D.D. Sifridi, Friderici, & *A*dolphi excommunicetur, & excommunicata publicè nuntietur; & nihilominus ex Constitutione Concilij Prouincialis sub D. *C*onrado Archiepiscopo Colonienſi commendetur Pastori suo, vel alioquin viro

viro boni consilij, qui eius inspectionem & curam habeat, eiq; delicti sui magnitudinem exponat, & salutarem pœnitentiæ medicinam, atque condignam satisfactionē præscribat.

74. Ad hæc, quoniam qui secundùm carnem viuunt, pœnarum huiusmodi Ecclesiasticarum magnitudinem non satis æstimare solent: * Hortamur Magistratum sæcularem, vt pro zelo & charitate sua, qua Christi Ecclesiam ab omni scandalo cupit esse liberam, animi sui pietatem & deuotionem maiorum suorum exemplo, hic exerceat, & pro discretione ac prudentia sua in huiusmodi mulieres animaduertat; siue pro qualitate personæ exigendo mulctam, quæ in singulos inobedientię dies augeatur, siue qualibet alia ratione (minimo tamen, quantum fieri poterit, negotio & offendiculo) mentis hanc insaniam coërcendo. Quod si mulcta constituta fuerit, ea, aut magna eius pars, illius parochię pauperibus donetur, vbi sacrilegium huiusmodi perpetratum fuerit, aut impura hæc scorta delitescunt; quo ad obseruanda, prodenda, & accusanda huiusmodi scelera, magis vigilent, magisq; incitentur.

tut. D. Sifridi cap 2. pag. 36. c. Statut. D Freder c. 8 pag. 191. c. Concil prouinc. sub Conrado cap 1 pag. 9. d & 10 a. * Statut. D. Sifridi cap. 2. pag 36. d. Cōcil. Hispalen. 1 cap 3.

Statut D. Sifridi cap. 1 p. 35. c. Decernunt talem beneficio Ecclesiastico spoliandum, & demum perpetuò deponendum.

75. Si quis verò Canonicorū aut Clericorū diuinæ legis, & Ecclesiasticarum Constitutionum contemptor, officijs, à quibus ob præsentem causam, vt præscriptum est, suspēsus erat, sese ingerere præsumpserit; hūc eo ipso, irregularitatis pœnam, à qua non nisi à Romano Pontifice absolui queat, incurrisse pronunciamus; & si libi dinis furijs correptus, instar equi & muli, per mensem in huiusmodi suspensione insorduerit, extunc sine alia declaratione ex sententia statutorum D. Sifridi & Friderici, excommunicationis sententiam incidisse definimus, volumusq; cum prouinciali Concilio Anno 1310 sub D. Hērico habito, cap. 9. pag. 80. b. vt eorum sacrificia ab omnibus vitentur: Et si Capellani, aut socij muneris alicuius erant, diutius in officio suo non sustineantur.

Statut D. Sifridi cap 1 p 35 c. d. & c 2 pag 36 c. d Statu D Freder cap 8 pa 191 c. d. Dist 81 cap si quis iam c 3. Romanæ Synodi sub Nicolao 1.

76. Qui-

76. Quicunq; autem in prædicta excommunicatione per menſem perſeuerauerit, quiue tanquam canis ad vomitum reuerſus ad intermiſſum aliquamdiu concubinatum redierit, is partim hac Conſtitutione noſtra, partim definitione Concilij Prouincialis ſub Conrado Cardinali Portuenſi habiti, nulla alia requiſita ſententia, officijs & beneficijs omnibus Eccleſiaſticis priuatus ſit, & ad ea, vel quæcunq; alia officia vel beneficia ſit inhabilis. Beneficiaq; vel officia ſic vacantia, ab eis, penes quos erit eorum collatio, idoneis perſonis, intra ſex ſeptimanas conferantur; alioquin collationis ius (pro illa duntaxat vice) ad proximum ſuperiorem deuoluatur. Quod ſi nec hic, nec alius eo ſuperior intra menſis ſpatium ſuo functus fuerit officio, nec Ordinarius, quando ad eum ordo deuolutus fuerit, ius ſuum vſurpauerit. quod (niſi expreſſis iam terminis contineatur) ſexto ad ſummum menſe factum oportuiſſet. Liceat vnicuiq; beneficia huiuſmodi, per narrationem huius Decreti, à Romano Pontifice impetrare. Eadem ex Decreto D. Sifridi in alijs exceſſibus obſeruentur, quandocunque aliquis ſententias excommunicationis ſeu ſuſpenſionis obdurato animo per annum ſuſtinuerit.

Cap. 2 pag. 2. & 3. cap 6. pag 4.

Cap. 1. pag. 36. 4

77. Si qui filij ex Clericis illegitimè nati fuerint, eis non liceat, etiamſi ſuper irregularitate diſpenſationem obtinuerint, in Eccleſijs vbi eorum Patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent aut habuerunt, quodcunque etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſijs quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliâs obtinuerunt habere. Quod ſi in præſenti pater & filius in eadem Eccleſia Beneficia obtinere reperiantur; volumus vt filius ſuum Beneficium reſignet, aut cum alio permutet extra Eccleſiam: aliâs ipſo iure, eo priuatus exiſtat, & ſuper ijs quæcunque diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur. Ad hæc reciprocæ reſignationes, ſi quæ poſthac à parentibus Clericis in fauorem filiorum fient, vt alter al

Concil. Tole. 9. c. 10. ſeueritas animaduertit. Diſtinctio. 82. cap. Propoſuiſti.

De filijs Presbyterorum per totum.

terius beneficium consequatur: in fraudem huius decreti & Canonicarum sanctionum factæ omninò censeantur, nec collationes secutæ vigore huiusmodi resignationum seu aliarum quarumcunque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis Clericorum filijs suffragentur.

78. Obseruari præterea volumus, Constitutiones DD. Conradi, Sifridi, & Theodorici, quibus sub graui districti one, atq; Canonica pœna beneficiatos prohiberi voluerunt, vt, ne de patrimonio Christi, seu præbendarum, beneficiorum aut officiorum suorum fructibus, filios vel filias, aut concubinas dotent aut ditent, talium nuptijs aut exequijs intersint, ijsq; pompā aut solemnitatem aliquā adhibeāt. In quam rem *a* Archidiaconi, Decani & *b* Fiscales diligenter aduigilent, & districtè contra huius Decreti violatores procedāt, eosq; cogant vt iuxta præscriptionē *c* Concilij prouincialis, sub D. Conrado Archiepisc. Colonienſi habiti, Ecclesiæ satisfaciant, cuius bona prædictis vel alijs modis impiè dilargiti sunt, vel aliter in concupiscentijs & scortationibus suis luxuriosè consūpserunt.

Cōci. Prouin. sub. D Conrado Archiep. c 1. pag 10 b. statut. D. Sifridi ca. 2. pa. 36. c. d. Conc. prouinc. sub D. Theodoro Anno 1423. habit. c 1. pa. 232 b.

a Cap. 2. et 3. Conc prouin. sub. D. Cōrad. Card. Port. p. 3. b Synod. Diœcef. anno 1549. 2. Octo.

sub. D. Adolph. 3 habita pag. 462. d. c Conc prouinc. sub D. Conrad Archiep Colonienſi cap 1. pag 10. a

79. Si qui ex his testandi gratia abutentes, fructus Ecclesiasticorū beneficiorū, quos ante mortē perceperant, aut annos gratiæ quos vocant, aut aliquid aliud q̄ post mortē ab Ecclesia se accepturos sperabāt, spurijs vel cōcubinis legauerint, ij ex definitione capitis 5. Conc. Prouin. sub D. Cōrado Cardin. Portuēsi, & capitis 15. Cōc. Prouin. Anno 1310. sub D. Henrico Archiepis. Colonienſi habiti, excōmunicati habeātur, & Ecclesiastica careant sepultura, atq; legatum Ecclesiæ cedat, à qua processerat.

Conc prouin. sub D. Conrad. Cardin. Port c. 5 p. 3. Conc. prouin. sub D. Henrico anno 1310 cap 15. pag 81. c

80. Qui verò testamentum huiusmodi manutenere voluerint (caput 5. Concilij prouincialis sub D. Conrado Cardinali Portuensi habiti citamus & innouamus) & per quorum manus spurijs vel concubinis fructus præbendę beneficij aut officij fuerint administrati; ipso facto excōmunicationis vinculo se innodatos esse cognoscant, &

Pag 3.

Ecclesiam

Ecclesiam quamdiu hoc egerint sibi esse interdictam. Quod ne quemquam executorum testamenti alicuius Ecclesiastici viri latere possit, iniungimus Sigillifero & alijs, si qui præter illum fuerint constituti, aut erunt constituendi, testamentorum inspectores; vt cùm sibi in districtu suo, testamenti & inuentarij alicuius Clerici exhibebuntur exempla, executores huiusce Constitutionis admoneāt, maximè si quando aliqua suspicio aut verisimilis ratio, transgressionis indicium aut argumentum præ se ferat.

Concil prou. sub D. Nicolao de Cusa Card. §. 12. p. 249.

81. Si hæc, quæ pro extirpatione fœdissimi scortationis peccati, à nobis decreta sunt, illi ad quos eorum pertinebat executio non fuerint executi; eorum Superiores, tam in illos tanquam sceleris participes, & Canonicarum sanctionum disciplinæq; Ecclesiasticæ violatores, quàm in scortatores ipsos digna punitione animaduertant.

De testame. & vltimis voluntat. ca. 9 & 12. causa 12. quæst 3. cap 2. statut. D Frider. ca. 30 §. 2. pag. 202 c. De testame. cap Cùm in officijs & c. Relatum est auribus.

82. Ne porrò Canonum vel statutorum aut iuris communis ignorantia aliqui Canonici vel Clerici, in testamento, vel supremæ voluntatis aut codicilli, seu ordinationis quorumcunque legatorum expressione verbis vel scriptis grauiter delinquant: admonitos volumus esse singulos; quamuis de his quæ hæreditate vel artificio aut doctrina, siue dono, non habitu respectu ad Ecclesiam obuenerunt, liberam ex iure communi & statutis Ecclesiæ Colonien sis, habeant dispositionem, & non improbandæ consuetudinis sit, vt de mobilibus, quæ per Ecclesiam acquisita sunt, pauperibus & religiosis locis, & illis qui viuenti seruierunt, siue sint consanguinei, siue alij, aliqua iuxta seruitij meritum conferantur; non licere tamen vt fratres, cognatos, aut alios, quocunq; titulo ijs deuincti fuerint, rebus Ecclesiasticis ditent, vel testandi gratia, quæ eis in ædificationem & dispensationem, non in destructionem & dissipationem data est, quomodocũque aliter abutantur.

83. Quod

83. Quod si Ecclesiarum quarundam ministris à Sede Romana indultum sit, vt de acquisitis etiam per Ecclesiã liberè disponere possint: scire illi debent huiusmodi indulto ita permitti sibi, vt ad quas causas pias, iuxta suã cõscientiam legare pium duxerint, legare valeant; vt tamen eadem libertate de bonis Ecclesiæ, in quo suis vsus aut quo suis fines perinde ac de bonis patrimonij sui (in quo multi errant) disponere non possint.

Statut. D. VVichbol. c. 5 excommunicat eos, qui bona mobilia Ecclesiarum consanguineis conferunt sine consensu. Cap. Cùm in officijs tit. De testamentis.

84. Quæ vt obseruẽtur, despiciet Sigillifer, quemadmodum ei capite decimo partis 13. Concilij Prouincialis sub Hermanno 5. habiti, iniunctum est, alijq; testamentorum inspectores, prout eis hoc nostro Decreto iniungimus: vt si quid in quempiam stultum aut iure prohibitum vsum temerè relictum sit, in pium conuertatur.

85. Cùm in officijs charitatis, & piæ remunerationis ijs primo loco beneficium deceat impendere, in quorum gratiam beneficium agnoscitur datum & acceptum esse; monemus & hortamur Canonicos & omnes beneficiatos, maximeq; eos qui Præbendas aut Beneficia, quæ vocant Vniuersitatis, aut simili onere affecta, vel pastoratus habuerunt, vt de ijs quæ ex recta rerum suarum dispensatione supererunt, supremæ voluntatis eulogio, piè ac religiosè ad instituenda, fouenda atq; augenda, Clericorum seu studiosorum seminaria disponant. Hac enim ratione dum fundationibus suis præclaræ expectationis bonæq; indolis ingenia in Vniuersitatibus fouere non desinunt, vt columnas in domo Domini ædificent, & Prophetas seu Pastores & Doctores in perpetua tempora, ad ædificationem Ecclesiæ inseruituros subministrent, & de Ecclesia optimè merebuntur, & Dei benedictionem in se ac vniuersum populum multiplicabunt.

86. Vt non tantùm Canonicorum aut Clericorum, sed omnium fidelium vota in hoc opus promptius, liberalius, & deuotius concurrant, supplicandum duximus Romano Pontifici, vt, singulis vtriusque sexus Christi

fidelibus per vniuersas Legationis nostræ Prouincias dispersis, tot annos de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxet, quot substantiæ suæ aut facultatum suarum vncias, pia intentione huc contulerint.

87. Cùm ad instaurandam Vniuersitatem Colonien-sem, diuersi Pontifices Romani, pro Apostolica sollicitudine, & singulari affectu, desiderio ac charitate, quatenebantur ad Christianam Rempub multitudine doctorum virorum iuuandam, & hæreses vndiq;, præsertim finitimis hisce locis vigentes extirpandas, diuersis temporibus, diuersas dederint facultates, per quas in singulis Collegiatis Ecclesijs Ciuitatis Colonienſis certæ præbendę cũ onere legendi in aliqua facultate idoneis personis conferri possint, cũ expressa declaratione, vt in legendo cessantes, huiusmodi Canonicatibus & Prębendis priuarentur, ac fructus nullo modo suos facerent: Volumus vt quicunque Prębendas taliter affectas obtinentes, hisce institutionibus hactenus non satisfecerunt, pro rata omissionis & negligentiæ omissarum vel intermissarum, sine iusta & legitima causa lectionum, perceptorum fructuum, in manu Rectoris Vniuersitatis, restitutionem faciant, & per Rectorem ad hoc compellantur, fructusque huiusmodi, vel ad fundandum seminarium congregentur, vel aliâs in prouectionem & promotionem studiorum & studiosorum iudicio Rectoris, & Decanorum facultatum Theologiæ & artium expendantur.

88. Quod si qui in præsenti restituendo non sint, eis certum præscribatur temporis interuallum, quo restitutionem facere queant, & sub mulcta feciſſe teneantur. qui verò ante factam restitutionem mortui fuerint, nisi testamento satisfecerint, omnia eorum, etiam quæ ex hęreditate vel aliunde acquisierant restitutioni obligata sint.

89. Quicunq; autem deinceps, post tertiam admonitionem

tionem, præscriptis institutionibus non satis fecerit, eo ipso Canonicatu, præbenda seu beneficio suo sit priuatus, & illi à quibus illud acceperat, perinde ac ad manus suas resignatum, alij idoneo & qualificato viro intra tres septimanas illud conferant, alioquin si à Collegijs huiusmodi Canonicatum, præbendam, aut beneficium acceperat, ad Vniuersitatem, contra si Vniuersitas contulerat, ad Collegia hoc collationis ius deuoluatur.

90. Monemus porrò, Vniuersitatem, vt omni cura, sollicitudine & fide, huiusmodi prærogatiuis & gratijs se dignam faciat, & aduigilet vt verbis & menti Romanorum Pontificum omnibus modis satisfiat, & negligentia ac incuria pristina singulari deuotione, vigilantia, & sedulitate resarciatur. Alioqui quemadmodum Concilium prouinciale sub Domino Adolpho 3. faciendum iudicauit, remedium, quale non vellet adhibere cogemur.

Medio primo cap vltimo cuius initiũ Vt Cæsareę Maiestatis *pag. 430. d. 431. a & in inquisitionibus quæ in Ecclesijs Cathedralib. et Collegiatis inquiri debent §. 9 pa. 479.*

91. Vt hoc quod diximus facilius præstare queat, nullis posthac vel ab Vniuersitate, vel à Capitulis conferri volumus Præbendas vel beneficia, quæ legendi onus adiunctum habent, nisi qui per seipsos prælegendo auditoribus suis satisfacere possint, alioquin nullam & irritam, hoc Decreto censemus esse collationem.

92. Quemadmodum ad Præbendas prælegendi onere affectas, non nisi viri docti eligendi sunt, qui muneri suo cum laude abundè satisfacere possint: ita ad Præbendas, quę aliquod aliud onus vel officium adiunctum habent, non alij assumantur, quàm qui nomini & officio suo respondere queant: Atq; in vniuersum ad reliquas præbendas eligantur viri probati, non probandi, quibus, vt Sanctus Bernardus alibi præscribit, nec defectus timeatur, nec profectus optetur: Collegia enim Canonicorum, vt cum illo loquamur, & in re simili similiter sentiamus, bonos facilius recipere quã facere consueuerũt, atq; plures in eis videmus defeciſſe bonos, quã malos profeciſſe.

D. Bernard. de consider. lib. 4.

93. Si quando ingenui aliqui adolescentes recipien-

D. Adolp. 3. in inquisitione Cathedr. Ecclesiarum §. 28. pag. 479. d. 480. a.

di videbuntur, quorum indoles & voluntas spem adferat, eos magno deuotionis zelo, & integerrimæ vitæ exemplo, adeoq; toto corde Ecclesiasticis ministerijs perpetuò inseruituros: eos Scholasticus ad pietatem & religionem perfectè informari curabit, & à teneris annis ad pios & Ecclesiasticos mores ita assuefieri, vt eorum habitus illos totos possideat, eisq; cũ delectatione vtantur; nihilq; in eis appareat, quod vanitatem sapiat, aut quouis modo Ecclesiæ, adeoq; Christi ministros dedeceat; neq; emancipabuntur, nisi qui vt emancipentur, hoc est è manu pædagogorum suorum liberentur, & Ecclesiæ seruitijs addicantur, fuerint idonei.

Ibid §. 29.

Concil. proui. sub D. Adolp 3. Medio primo cap. 6. 7 & 8. & 9. pa. 429.

94. Porrò approbantes quæ de studiosis Canonicis ad studia Vniuersitatum mittendis, vel in ipsa Vniuersitate vbi habitant, erudiendis, quatuor Capitibus in Concilio Prouinciali sub D. Adolp. 3. prudentissimè & saluberrimè constituta sunt; eadem ad excitandos illorum, quibus istorum cura incumbit, animos, innouanda, repetenda, & adverbum hîc inserenda censuimus, in hunc qui sequitur modum.

DE STVDIOSIS CANONICIS mittendis ad studia Vniuersitatum, sumptibus Collegiorum.

NE, quod in formula reformationis iuxta Sanctorum Patrũ Decreta salubriter institutum est, vitio vel Collegiorum, vel adolescentum Canonicorum euanescat: decernimus & statuimus, vt dent Collegia vni, duobus, vel tribus, vt multus vel exiguus fuerit personarum numerus in Collegio, bonæ spei ac studiosis adolescentibus, non minus quàm triennij tempus, quo possint in studio, potissimum Theologico, versari: in quo si laudis aliquid obtineant, tempus eis prorogetur, atq; interim percipiant integros præbendæ suæ fructus, quotidianis distributionibus exceptis, aut saltem, quantum ad victum & libros necessarios sufficiat: nisi de competenti subsidio, sit olim per Capitula studiosis proui-

sis prouisum: dum tamen certis testimonijs, singulis annis ad Collegia mittendis, constet, nec peruersis moribus eos deditos, nec studia vana, quæ ad Ecclesiæ ædificationem non conferant, sectari: Committendum enim non est, vt cultui diuino dedicata stipendia, in huiusmodi Canonicos discolos erogentur. Debēt tamen curare, vt ipsis absentibus, alij eorum in diuinis suppleant vices.

DE CAVTIONE, QVAM DARE debeant mittendi ad Vniuersitates.

QVum formula Reformationis exigat, vt iuniores, in Gymnasiis alantur impensis Collegiorum, ad hoc, quo Collegia claris & doctis viris ornentur; vt huic menti satisfiat, & Collegia non fraudentur expectatione sua: statuimus, & communi consensu decernimus, vt Canonici nondum in maioribus Ordinibus constituti, poscentes hoc nomine, aut fructus integros, aut decreta subsidia, à Collegijs, quæ pro more habent, vt de fructibus participent, etiam in minoribus constituti Ordinibus, prius dent cautionem sufficientem, se non velle Ordinem & institutū Ecclesiasticum deserere, aut si mutato proposito forsan resiliant, tum se velle & debere fructus, perceptaque subsidia, Collegio illi integraliter soluere ac restituere.

COLLEGIA IN VNIVERSITATE aliqua sita, quo suos studiosos mittere debeant.

CAEterùm in locis, vbi Vniuersitas Catholica est, iuxta pri Pag 430 a
mariam institutionem reformata & probata, non videtur causa digna esse Collegia magnis sumptibus grauandi, & mittēdi studiosos foras, ad Vniuersitatem exteram. Proinde statuimus, vt tales dent operam litteris bonis in ipsa Vniuersitate, vbi ad mores & studia ipsorum potest haberi respectus: nisi Decanus & Collegium causam habeant, cur censeant eos ad ex-

teras Vniuersitates mittendos. Quod si qui fugientes disciplinam, velint omnino non ad eam, quæ eis à suo Decano & Capitulo designatur, sed ad aliam, quæ ipsismet videbitur Vniuersitatem proficisci; non tenebitur Collegium illis dare subsidium decretum. Ne verò Canonici, Vicarij, & Chorisocij Cleri nostri Colonienſis, vigilijs defunctorum, quas manè hora septima persoluere consueuerunt, à frequentatione lectionum præcipuarũ impediantur: volumus vt post hac vigiliæ tempore pomeridiano ad horam circiter secundam incipiantur, vt ante preces vespertinas compleantur.

Vide formulam inquisitionis cathedrali. & Collegiatis Ecclesijs ab Adolp. 3 propositam §. 60.

QVI GAVDERE POSSINT VNIVERsitatum Priuilegijs.

AD prohibendum grauem abusum, quo se quidam ad Vniuersitates non studij, sed priuilegiorum gratia conferunt, statuimus & mandamus, sicut ante nos in synodo Leodiensi, statutum est, vt nulli nisi ad litterarum studia idonei, & illarum præcipuè gratia, se ad Vniuersitatem conferentes, in membra seu suppositа, atque ad vsum priuilegiorum huiusmodi Vniuersitatis recipiantur, aut suorum beneficiorum fructibus vti sinãtur, nisi quamdiu causa studij permanserint, & spes sit, quod ex studio fructum vberiorem in Ecclesia Dei sint parituri. Qui verò desides & ocioſi comperti fuerint, ab eorundem priuilegiorum vsu & fructuum perceptione repellantur.

95. Quod autem in eodem Concilio post hæc quæ inseruimus immediatè subiungitur, De Theologo, qui doceat in Collegijs, alendo, in locis quæ extra Vniuersitatẽ Colonienſem sunt, in actum & vsum duci, sine longiori dilatione præcipimus. In Vniuersitate autem Colonienſi, Decretum nostrum super hac re, titulo de Residentia positum, quod incipit. *Si eorũ numerus*, iudicamus esse seruandum.

96. Cęterùm quoniam nihil profuerit in iuuentute sua, optima studiorum iecisse fundamenta, si eadem in virili

virili & perfecta ætate non excolantur, & magnum eruditionis nomen, non nisi magna vanitas sit, si eruditio conuenientibus exercitijs non exerceatur, & ad proferēdos vberes in Ecclesia Dei fructus recta intentione applicetur, ceu arbor sterilis plenissimè & vberrimè frondens ac florens, sed fructum prēterea nullum adferens: Examinent singuli Canonici talenta sua, æquos se sibi iudices præbeant, &, vt cum seruo pigro inde grauius non damnētur, vnde prę alijs maiorem in æterna beatitudine gloriam mereri potuissent; videant quid possint si velint; experiantur vires suas; & dona quæ acceperunt, non ociosi in sudario recondant, aut vt piger ille in terram fodiāt, sed ad faciendam Domino vsuram vtiliter exponant.

Considerent cœcorum & ignorantium multitudinem, pastorum paucitatem, cæterasq; Ecclesiæ necessitates in præcordijs reputent. Reputent autem: imò verò hisce cogitationibus toti immorentur, donec incalescant corde, & ita accēdatur charitas intrinsecus, vt videntes indigentiam & miseriam proximi, eum cum Sacerdote & Leuita sine charitate non pertranseāt, sed cum Samaritano curā eius pro facultatibus suis suscipiant. Induantur zelum Domini, & hortando, monendo, corripiēdo, docendo, publicè & priuatim, secundùm gratiam & authoritatem sibi datam, sollicitè, viriliter, & studiosè curent, promoueant, & defendant, honorem & gloriā Dei, Ecclesiæ splendorem, suam ac proximi salutem, non verbis tantùm, & inani aut vana professione, sed omnibus modis; vt alij videntes ipsorum conuersationem, in ea virtutes singulas agnoscant, earumq; pulchritudine, suauitate ac bono odore, ad eas imitandas & amplexandas prouocentur & percellantur. Hæc agentes nihil humile, nihil à dignitate, seu à vocatione sua alienum agere se arbitrentur, sed id, ad quod primùm fuerunt instituti, & præcipuè vocati, & ob quod dicuntur Ecclesiæ senatus, membra Episcopatus, opitulatores & cooperarij Episcopalis sollicitudinis.

Luce 10.

Concil Trid. sess. 24. c. 12. reform caus. 1. quæst. 3. Si quis.

97. Vt

97. Vt autem, quantum prædictis officijs in populo præstare possint & velint ordinatè declarent, & sensim à facilioribus ad grauiora progrediantur (ne meritò dici eis possit, Medice cura te ipsum, aut eijce primùm trabē ex oculo tuo) antè omnia specimen, ac simulachrum quoddam animi sui, in familia sua exhibeant: nempe vt illa probitatis & religiosis moribus, cultu vestituq; moderato, atq; singulari in Deum & proximum pietate, regulæ & disciplinæ domesticæ certum apud eos qui foris sunt, indicium præ se ferat, & authoritatem, virtutes, studia, ac amorem *D*omini sui, omnibus quotquot eam nouerunt, prodat atque manifestet. Hinc proximè ad consortes & collegas suos charitatem suam exerceant, eosque si quando in aliquo aduerterint esse reprehensibiles, fraternè admoneant, ne ipsi tacendo delinquant; Ab his vsque ad extrema corporis Christi membra, nempe ad omnem proximum suum charitatis suæ virtutem, omnibus Christianæ iustitiæ officijs dilatent.

98. Vt hæc constanter agant, & quotidie quasi noui homines, nouo zelo, nouo feruore, se ipsos semper vincant ac superent; in se ipsos quotidie, tanquam ante tribunal Dei constitutos, inquirant, & eorum quæ officij & vocationis suæ sunt, exactissimam à se exigant rationem: non tantùm sibi ipsis irascentes, & ex toto corde dolentes, si transgressione præceptorum peccauerint sed & magna animi concitatione contra se exurgentes, si (quod pauci satis æstimant) negligendo aut omittendo, quidquam boni quod factum oportuisset, se prætermisisse inueniant, ac in tepidorum aut timidorum numero se esse deprehendant. Hoc quantum valeat ad virtutem gnauiter exercendam, tantum experientur, quantum conscientiæ suæ testimonio vacauerint, eiq; permiserint, vt accusantibus & defendentibus cogitationibus seueritatem Dei in se exerceat, & inopiam, nuditatem ac turpitudinem suam, sine vlla occultatione, mendacio, aut

Apo 3. & 21.

aut compoſita excuſatione, cognoſcat.

99. Multum quoque iuuabit, confortabit, & animabit eos, ſi tanquam munda & ruminantia animalia quotidie ad refectionem ſuam, ex ſacra ſcriptura aliqua ruminent, quæ ad fugam vitiorum, ad amorem Dei ac virtutis, atque ad conſectanda charitatis & miſericordiæ opera, non monachis tantùm aut religioſis (quemadmodum ſeſe tegere aut excuſare ſolent, qui excuſant excuſationes in peccatis, cùm ad Chriſtianam pietatem admonentur) ſed in vniuerſum omnibus illis propoſita ſunt, qui ſalui eſſe cupiunt. Hinc cognoſcant qua cenſura iudicentur, & quo iudicio damnentur, peccata etiam illa, quæ multis quotidiana ſunt, & vſu ac conſuetudine non ſolùm leuia aut nulla, ſed etiam prædicanda eſſe videntur. *Hinc* ſapiant quàm Chriſtiano homini ſupra mel & fauum, adeoque ſupra mundi omnia delectamenta ſapere debeant, quæ mundo non ſapiunt, ſed vt ſtultitiam reputat, aut, vt ad contemptum ſe loqui putat, ad monachos, religioſos, & ſimilis profeſſionis Clericos, & Sacerdotes reijcienda iudicat. *Augu. in Enchirid. ca. 80.*

100. Huic ſtudio quotidie accedat lectio pij alicuius authoris, quo in genere vt multi ſint, cùm ex recentioribus, tum ex veteribus; præcipuè tamen eis commendamus vitas Sanctorum à Laurentio Surio, vel alio probato authore cõſcriptas, libros Confeſſionum D. Auguſtini, eiuſdem Enchiridium, & librum de fide & operibus, de doctrina Chriſtiana, atq; commentaria in Pſalmos. Præterea officiorum libros D. Ambroſij, *E*piſtolas D. Hieronymi, opuſcula D. Cypriani, quæ D. Hieronymus vir gunculis legenda commendauit, D. Bernardi opera, D. Proſperum de vita contemplatiua, & opuſcula D. Bonauenturæ. Quos quidem libros, ſi attentè legere inceperint, & perſeueranter legere continuauerint, ea, vt cõfidimus, Deo operante ipſis ingenerabitur eruditio & ſapiẽtia, qua in omni vita & actione ſua, ſimiles illis fiãt, quo- *D. Adolph. 3. in inquiſi. Cathedral Eccleſ. §. 60. pag 482.*

rum ſpiritum libri, quos legerint, referunt. Quibus vt tę dioſum non fuit inter reliquas curas & ſollicitudines ſuas, quamplurima ad ędificationem proximi dictare & ſcribere; ita ſi huius ſtudij guſtum ſemel perceperint, ipſis quoq; tædioſum non erit, ſed deſiderabile, & hæc quæ recenſuimus, & alia quæ illi, alijque venerandi & eximij Eccleſiæ Patres ſcripſerunt, inſatiabili ſtudio diligentiſſimè voluere, reuoluere, perluſtrare, & continua meditatione ſibi propria facere, atq; mores & vitam ſuã ſecundùm eadem inſtituere.

101. Habebunt quoque rationem vt fidei ſuæ, & eorũ quæ quotidie in Eccleſia aguntur, cuiuis poſcenti ſolidam poſſint reddere rationem, quo eis ſeruient Catholici ſcriptores, qui contra huius temporis hæreſes ſcripſerunt, & Canonem Miſſæ, aliaq; diuina officia expoſuerunt.

102. Præter hæc, cùm viua vox ſingulari efficacia attẽtos auditorum animos inuadat & tranſuerberet, atq; occulta vi ab aure ad voluntatem potẽter dilabatur; ſacris concionibus, quamuis ſint eruditi & magni, ſemper intereſſe ſtudebunt; eò magis quod ſua præſentia & dignitate concionatori calcar, & authoritatis aliquod põdus addere debent, & verbum Dei ſua cohoneſtatione venerari, atq; tanquam duces inferiores Cleri & populi, eoſdem quo ſequantur, præcedere.

103. Eandem ob cauſam, & vt fidem ſuam profiteantur, ſeq; inter mundi huius illecebras & perſecutiones, ad ſimilem vitæ conſummationem accẽdant, ſacra loca, vbi Sanctorum corpora quieſcunt, & Reliquiæ ſeruãtur, maiorum ſuorum exemplo, pia ſuæ præſentiæ veneratione frequenter viſitent, ijsq; quem merentur honorem impendant, vt in omnibus neceſſitatibus & angu-
ſtijs ſuis, eorum patrocinium tanto citius & efficacius ſentire mereantur, quo eis per huiuſmodi officia & obſequia affectu, & ſpiritu facti fuerint viciniores.

104. Si verò ipſis aut aliquibus eorum, docẽdi, exhortandi,

tandi, & permouendi aliorum animos, gratia à Deo donata sit; eam ne frustra acceperint; sed vt nõ frequentius (quod tamen maximè velimus) solemnioribus saltem Christi Domini, & præcipuis Sanctorum festiuitatibus consuetudinem faciant ad fratres suos, & quo suis alios accedere cupientes exhortationem facere, eisque in spiritu mansuetudinis, & lenitatis, ad implendã vocationẽ suam suauiter concitare.

105. Nullo verò modo patiantur sibi hanc ignauiã aut ignominiã inuri, vt nullũ in Collegio suo habeãt, qui ri te & laudabiliter cõcionatoris officiũ præstare velit aut possit. Vt quando in die Dedicationis tẽpli aut Patroni, vel aliâs veteri consuetudine in eorum Collegio ad populum habenda est concio, alicuius religiosi aut Pastoris operam petere cogantur, quin potius si illis nunc quidquam emolumenti temporalis ob hoc decretum fit, hoc eis liberaliter donent, & honorem ac gloriam suam non dent alteri.

106. In his itaq; præstandis & adimplendis, Canonici ad reformationem Ecclesiæ Dei, nomini suo plenissimè satisfaciãt, & obedientiam Superioribus promissam, & iurisiurandi sacramento deuotam, voluntaria, perfecta, & deuotissima, sacrorum Canonum, statutorum, obseruantia commonstrent, nullãq; posthac mala & ir regulari vita sua, aduersarijs fidei dent occasionem blasphemandi nomen Domini, & exprobrandi castris Dei Israel; minimè autem impœnitentia, inobedientia, cœcitate, pertinacia, & obduratione sua Catholicæ religionis æmulos faciant existimare Ecclesiæ Catholicæ præfectos, mala huiusmodi fouere & approbare.

107. Si quid in hoc delectu nos fugerit, quod vel hîc, vel titulis de electione, de Prælatis, Decanis, diuinis officijs, de residentia; beneficijs Ecclesiasticis, vel alio quocũque ad reformationẽ Ecclesiæ recensitũ oportuisset; hoc singuli pro singulari pietate sua, quemadmodũ charitas

Dei postulat, & studium decoris ac pulchritudinis domus Dei ab eis requirit, non minus quàm si à nobis præscriptum & præceptum fuisset, studiosissimè obseruent. Et quisquis tale aliquid obseruauerit, hoc vel ipsemet per alios, aut, si ita velit, per litteras quæ ita scriptæ sunt, vt authorem prodere nequeant, illis aperiat, quos hoc in synodum relaturos sperat.

108. Hisce decretis & præscriptionibus, Vicarij alijque Sacerdotes & Clerici se conforment, eaque non minus sibi (quatenus ab eis seruari possunt) quàm Canonicis præscripta esse cognoscant: & vt Canonici, ita quoq; Vicarij, alijque Sacerdotes & Clerici, qui in Collegiatis Ecclesijs officium aut ministerium habent, Decanis subiecti sint, & parere teneantur, atq; ad Capitulũ disciplinæ, de quo titulo de Decanis collegiatarum Ecclesiarum actum est, non minus quàm Canonici, & vocentur & sistere se cogantur. Sacerdotes verò alijq; Clerici & Ecclesiæ ministri, qui in Parochialibus Ecclesijs deseruiunt, inspectioni & directioni Pastorum suorum subiaceant, eisque secundùm caput 32. statutorum D. VVilhelmi, iura, si quæ eis debent fideliter persoluant.

Pag 183.b.

109. Cùm autem concilium prouinciale sub Hermãno .parte tertia, ca. 11. & Concilium Prouinciale sub D. Adolp. 3. medio tertio ca. vltimo, [a] Vicarios (quos aliqui Capellanos, aliqui Chorisocios appellant) ex eorũ nomine & superpelliceorum vsu, chori officijs mancipatos esse decernat, & esse obligatos vt Canonicis in cãtando adiumento sint, non quidem vt illi taceant, ociẽtur aut se se ab Ecclesia absentent, sed vt vnanimiter cũ eis honorem Dei augeant & concelebrent: ideoq; suspẽsionis pœna à fructibus nedũ quotidianis, qui distribuũtur, sed à reliquis omnibus ad prestandũ huiusmodi officium cogendos præscripserit: cõtra verò Vicarij, alij ex fundationibus suis, nõ ad assiduitatem chori, sed ad Missas quasdam, aliaue officia astrictos se esse, ex litteris fundatio-

[a] Pag 438. *Et in his quæ in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs inquirenda sunt § 68. p. 482 c.*

dationis suæ conuincere se posse prætendant ; alij agnoscentes quidem, se chori officijs assiduò obligatos, sed ab hac obligatione se putent absolutos, quod distributiones quotidianæ, quæ olim distribuebantur, quorundam arte, iniquitate, aut dolo, vel à Canonicis retineantur, vel in alium vsum conuertantur, & libros vnde hæc docere & conuincere possent, qui vel in choro, vel in sacrario, aut alio publico loco esse solent, clam ablatos esse, & vel perditos, vel absconditos querantur: vt hisce querelis finem faciamus, & honorem domus Dei omni ex parte pristino restituamus splendori: Volumus vt Collegiorum Decani, sine vlla dilatione, singulorum Vicariorum, Capellanorum, & Chorisociorum fundationes, Ecclesiæ statuta, & antiquam consuetudinem diligenter inspiciant, & examinent, & quos assiduitati chori obligatos esse cognouerint, ad assiduitatem chori; quos autem ab assiduitate chori liberos deprehēderint, sed ad certa onera alia deuinctos; ad eadem præstanda prædictis pœnis, iuxtà vtriusque Concilij Prouincialis definitionem cogant & compellant, ac hos præterea, quibuscunque possunt modis, ad assiduitatem chori inuitent, omnibusque distributiones debitas & consuetas, quæ arte aut dolo in alium vsum conuersæ sunt, dilargiri curent, & libros in quibus huiusmodi distributiones annotatæ, & descriptæ erant, loco tuto restituī; vt ad eos Vicarijs, quandocunq; eis placuerit, pateat accessus. Quod nisi intra mensem à die publicationis horum Decretorum factum fuerit, eum vel eos, per quem vel per quos steterit, quo minus huiusmodi liber, aut libri, loco suo reponerentur, primùm quidem sine vlla alia declaratione, ab officijs & beneficijs suspensos, deinde si contumaces in huiusmodi suspensione per mensem perseuerauerint, excommunicationis sententiæ (à qua præterquam ab Ordinario absolui nequeant) decernimus esse innodatos. Si autem liber, aut libri huiusmodi perditi fuerint, omne damnum, quod

inde Ecclesiæ & Ecclesiarum ministri acceperint, declaramus ab illis resarciendum, quorum negligentia, dolo, fraude, consilio, aut auxilio hoc acciderit.

110. Et vt inter Vicarios, Chorisocios, & Capellanos, certum, æqualem, & fraternum constituamus ordinem, qui ad Ecclesiæ decorem, ad diuini officij maiestatem, atque ad charitatis vnitatem, onerum quoq;, laborum, fructuum, & emolumentorum omnium communicationem, non solùm conferat plurimum, sed præstet omnia quæcunq; desiderātur: cùm in Canonicorum Collegijs nonnulli sint Vicarij, qui in fructibus & prouentibus principalibus, seu in corpore (vt vocant) abundant, & ad Missas pauciſſimas & ferè nullas, nec ad alia alicuius momenti onera obligentur; è diuerso alij astringantur ad Missas penè quotidianas, aliaue onera quibus prouentus annui minimè respondent: vtile & expediens fore iudicamus, vt in singulis collegiatis Ecclesijs, per Collegiorum Decanos conscribantur singulorum Vicariorum, Chorisociorum, Capellanorum & officiantium Missæ, aliaq; onera, ad quæ quisq; obligatus est, & in tabula aut libro annotentur, vt constare possit, quo die, quo nomine, quo in altari, vel quibus in altaribus, quo officio faciendū erit Missæ sacrificium. Idem fiat de alijs quibuscūq; oneribus, officijs, obligationibus, ad quæ singuli Vicarij, Chorisocij, Capellani & officiātes vel ex fundationibus, vel ex Ecclesiæ statutis & antiqua atq; laudabili Ecclesiæ consuetudine tenebātur. Hisce oneribus tot ex Vicarijs, Chorisocijs, Capellanis & officiantibus, secundùm ordinem ingressus sui ad beneficia, deputentur singulis septimanis, quot faciendis sacrificijs, alijsq; incumbentibus muneribus seu oneribus, quauis septimana sufficiant, ijsque alij ex ordine alia septimana in orbem succedant, & per vices ad onera præstanda, singuli septimanam suam obseruent; ita tamen vt Sacrificium Missæ, quando ex ordine vicis suæ facere non coguntur, ex deuotione

notione & voluntaria seruitute facere non negligant.

111. Qua in re ne confusio fiat, & omnes vna hora simul ad altare concurrant, reliquo autem tempore nullus in templo Sacerdos Sacrificium offerens reperiatur; sed pulcherrimo ordine, alter alteri succedat: habebunt illi qui ex officio sacrificare tenentur, certam sibi horam præscriptam: illi verò, qui ex deuotione sacrificium facturi sunt, si priores per interualla sacrificabunt, hoc interuallum obseruabunt, sin autem sine aliqua temporis intermissione, alius alium ad sacrificandum subsequatur, nec post, nec ante illos sacrificium offerre his integrum sit; ita cum prioribus concurrent, vt tamen non eodem temporis momento (nisi in parte duntaxat Ecclesiæ, si magna illa fuerit, longissimè ab alijs dissita) vnà cum eis ad altare accedant, sed vel ad lectionem Euangelij, vel post factam corporis Christi eleuationem.

112. Vt hic ordo constet, consultū fuerit, vt quicunq; ex deuotione rem sacram peracturi sunt, pridie eius diei post Completorium inter se conueniant, & ordinem sequenti die obseruandum constituant.

113. Cæterùm cùm quædam sint Vicariorum, Chorisociorum, & Capellanorum beneficia, quæ monocula vocantur, quod certi sint, qui ea semper cùm vacauerint conferre possint; ne illis hac Constitutione nostra priuilegiū hoc pereat, vel alioquin inde hic difficultas moueatur, cùm nulli Vicario, Chorisocio aut Capellano certum altare reseruemus, cui peculiare seruitium debeat, sed omnium & singulorum altarium onera, omnibus & singulis per vicissitudinem & alternationem distribuamus: Obseruabunt illi qui huiusmodi collationis ius habent, personas quæ huiusmodi beneficia nunc obtinent; illisq; mortuis aut beneficia resignantibus, non obstante hac reformatione, iure collationis, quod habent vtantur, eandemq; seruent nominis distinctionem, qua beneficia hactenus discreta fuerunt.

114. Quod

114. Quod si Vicariorum, Chorisociorum, Capellanorum & officiantium numerus non tam magnus fuerit, vt quemadmodum præscriptum est, vicissitudo & alternatio possit inter eos esse, vel alioquin id minus placeat; viritim omnia onera faciendorum sacrificiorum, aliaque connexa officia ex æquo distribuantur, & quisq; sciat quid à se vel in facienda re diuina, vel alio quocunq; officio, singulis septimanis, mensibus & annis debeat præstare; nempe vt qui pauca aut nulla habebant facienda sacrificia, vel alia onera præstanda, ijs diebus quibus ab omni officio vacabunt, alijs in leuandis oneribus succurrant, & partem oneris qua illi præ alijs grauabantur supportent, vt sit in omnibus æqualitas. Reliqua autem de tempore & ordine sacrificij seruentur, vt præscriptum est.

115. His ita constitutis, in vnam redigantur massam, omnes omnium Vicariorum, Chorisociorum, Capellanorum, & officiantium reditus, obuentiones, & fructus. Tum constituatur vnus omnium Vicariorum Camerarius, cuius sit officium, omnium nomine, fructus, reditus, & obuentiones omnes consectari, colligere, & perq; qua proportione distribuere; ac quotannis coram alijs, eiusdē Collegij Vicarijs ad hoc deputatis, statutis diebus, fidei suæ, per rationes facere fidem, vocenturq; deinceps omnes vno nomine Vicarij, quotquot ex Vicarijs, Chorisocijs, Capellanis, & officiantibus, in hanc æqualitatem oneris, laboris, fructus, & obuentionis coibunt, sintq; omnes chori assiduitati æquè astricti.

116. Hac ratione sine Vicariarum vel beneficiorum vnione, vnde necessariò numerus personarum minueretur, atq; multum officijs diuinis detraheretur, & Vicarijs omnibus de sufficienti & honesta sustentatione prouidebitur, & pijs fundationibus omni ex parte satisfiet, optimoq; ordine in quolibet Canonicorum Collegio per dies & horas diuinum officium, magno vocum & animo-

rum

rum concentu peragetur, ad laudem & gloriam Dei, ex hoc nunc vsquequo hisce aliisque reformationis Ecclesiasticæ decretis fuerit obtemperatum.

Contra non recitantes horas Canonicas.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

EX proximo Lateranensi Concilio pia & salubris sanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium Ecclesiasticum, cum cura & sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis suos non faciat, sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas, erogare teneatur.

Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habēda. Nos huic rei euidētius atq; expressius prouidere volētes: statuimus vt qui horas omnes Canonicas, vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorū suorum fructus, qui illi, vel illis diebus respondērent, si quotidie diuiderentur; qui verò matutinum tantùm, dimidiā, qui cæteras omnes horas aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque & distributiones fortè aliter assignatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucrifecisse prætendat, is etiam præter fructuum & distributionum amissionem:

Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse.

Declarantes præstimonia, præstimoniales, portiones, & quaeliacunq; alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri.

At quicunq; pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum paruum officium B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, & decreti, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo septuagesimo primo, duodecimo Kalend. Octob. Pontificatus nostri Anno sexto.

Cæs. Glorierius,

H. Cumyn.

DE PASTORIBVS SEV ECCLESIARVM PAROCHIALIVM RECTORIBVS, CONCIONATORIBVS, ATQVE PASTORVM SACELLANIS, & COADIVTORIBVS, VEL ALIO QVOVIS NOMINE ANIMARVM CVRAM GERENTIBVS.

1. CVM salus & incolumitas Christiani gregis à Pastoribus, seu Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, alijsque omnibus, quibus animarum cura commissa est, magna ex parte dependeat: valde nobis curæ est, vt in oculis Dei hoc esse inueniantur, quod humano ore dicuntur, omnesque quotquot in amplissima

plissima hac Diœcesi & Prouincia, tam ruri quàm in ciuitatibus, hisce nominibus censentur, digni sint atq; idonei, quibus cura salutis animarum tutò credi possit, & confidenter committi, cum certissima spe, vt non coactè, sed spontaneè, secundùm Deum, neq; vt dominantes fidei, & obedientiæ subiectorum; sed forma facti gregis ex animo, scientia & doctrina illum pascant, & in viam dirigant salutis æternæ. *Ierem. 3.*

DE PROVIDENDIS ET CONFERENDIS Pastoralibus Ecclesijs, Pastorum examine & institutione.

2. Quod vt obtineamus, statuimus vt cùm Parochialis Ecclesiæ vacatio, etiam si cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per vnum aut plures administretur, etiam in Ecclesijs Patrimonialibus, seu receptiuis nuncupatis, in quibus consueuit Episcopus vni vel pluribus curam animarum dare (quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandamus) per obitum vel etiam resignationem, etiam in Curia seu aliter quomodocunque contigerit; etiamsi ipsa parochialis Ecclesiæ reseruata vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti seu priuilegij, in fauorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium seu Abbatum vel Capitulorum; debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneũ in ea Vicarium, cũ congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat. *Concil. prou. sub Adolp. 2. Medio secundo cap. penultimo, cuius initiũ est.* Cùm bonorum omnium *pag. 433. d. 434. a.*

3. Porrò Episcopus & qui ius Patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos, ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam alijs qui aliquos ad id aptos nouerint, eorũ nomina deferre, vt possit postea de cuiuslibet ętate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut Synodo Prouinciali videbitur magis expedire, *Synod. Diœcesana sub Adolp. 3 An. 1550. 26 Februarij §.* Nimirum vt *pag. 465. b. 466 b. 467. a Concil prouinc. sub Hermanno 5 part 12 cap 6.*

expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo; siue eo impedito, ab eius Vicario generali, atque ab alijs examinatoribus, nō paucioribus quàm tribus. Quorum voris si pares aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus vel Vicarius quibus magis videbitur.

Concil Prouinc subtermissum 5 part. 12 cap. 6.

4. Examinatores autem singulis annis, in Diœcesana Synodo ab Episcopo vel eius Vicario, ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probētur. Aduenientéq; vacatione cuiuslibet Ecclesię, tres ex illis eligat Episcopus, qui cū eo examē perficiant, indeq; succedente alia vacatione, aut eosdem aut alios tres quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint verò hi examinatores Magistri seu Doctores, aut Licētiati in Theologia aut Iure Canonico, vel alij Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei. Iurentque omnes ad sancta Dei Euangelia, se, quacunque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caueantque ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec antè nec post accipiant, alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quàm alij dantes incurrant, à qua absolui nequeāt, nisi dimissis beneficijs, quę quomodocunq; etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus nō solùm coram Deo, sed etiam in synodo Prouinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur; à qua si quid contra officium eos fecisse cōpertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri possint.

Cap Quando 24. distinct.

5. Peracto examine renuntientur, quotcunque ex his idonei iudicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & alijs rebus, ad vacantem Ecclesiam oportunis. Ex hisque Episcopus eum eligat, quem cęteris magis idoneum iudi-

um iudicauerit, atque illi, non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.

6. Si verò iuris patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus probabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio quàm ab Episcopo erit faciēda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorē, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si ius Patronatus Laicorum fuerit, debeat qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, vt supra, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.

Cap. 13. reform. sessionis septimæ Concil. Triden. in synodo Diœces. sub Adolph. 3 Anno 1551 feria 2 post Dominicam Inuocauit publicat pa. 522. c.

7. In omnibus supradictis casibus non cuiquam alteri, quàm vni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, iuxta supradictam regulam de Ecclesia prouideatur, nec prædictorum examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, vlla deuolutio aut appellatio, etiam ad sedem Apostolicam, siue eiusdē sedis legatos, aut vicelegatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos impediat, aut suspendat. Alioquin Vicarius, quem Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo, ad tempus deputauit, vel forsitan postea deputabit, ab eius Ecclesiæ custodia & administratione nō amoueatur, donec aut eidem aut alteri, qui probatus & electus fuerit, vt supra, sit prouisum.

8. Si tamen adeò exigui reditus dictæ parochiales fuerint, vt totius huius examinis operam non ferant; aut nemo sit qui se examini quærat subijcere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus reperiuntur, facilè grauiores rixæ ac tumultus possint excitari: Nullus tamen in beneficium quodcunq; Pastorale institui possit, quin præcedente alio, licet priuato, attamen maturo examine, ab examinatoribus in Synodo vernali quotannis nominandis, & constituendis, ad hoc munus inuentus fue-

Concil. prouinc. sub Adolp. 3 Medio secundo ca. 6 pa. 433.

tus fuerit idoneus, cæteris tamen vt supra seruatis. salue que nihilominus examinandi iure, quod Prælati quidã habent, cui per præscriptum examen, nihil volumus esse derogatum.

9. Hoc priuato examine explorari volumus, etiam Vicarios, Capellanos, Adiutores vel Socios, qui ob populi frequentiam, & parochiæ latitudinem, vel aliam legitimam causam ad regimen & curam animarum assumendi erunt: inhibentes omnibus Ecclesiarum parochialiũ Rectoribus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne cuiusquam ceu Vicarij, Capellani, Adiutoris, vel Socij opera, in pastorali functione vtantur, qui non præter ordinationis suæ formatas, & Ordinarij sui authenticas dimissorias litteras (prout titulo de Decanis ruralibus, articulo: *Et ne quis vagus* pag. *195.* præscriptum est) exanimatorum suorum testimonium in scriptis exhibuerit, quo testatum fiat, eum sufficienti examine inuẽtum esse dignum & idoneum, qui in Vicarium, Capellanum, Adiutorem, vel Socium Pastoralis officij tali loco cooptari possit. Necessariò autem locus exprimendus erit, quia pro diuersitate locorum, aut personarum, quibus quis præficiendus erit, diuersum esse poterit de qualitate præficiendi iudicium.

10. *Archidiaconi quoq; & eorum Officiales, seu quibus iure vel consuetudine iurisdictio instituendi præsentatos in curas Pastorales competit, neminem in huiusmodi curam instituant, cuius ætas, mores, doctrina, zelus, prudentia, aliaq; quæ pro diuersitate locorum & personarum necessaria, vel oportuna videbuntur, legitimo examine iuxta formam supradictam explorata nõ fuerint.

11. Quod si qui contra facere præsumpserint, & vel nullo, vel minus rite seruato examine, vel etiam examine rite seruato, personas instituerint minus idoneas, aut de quibus cõstiterit, ꝙ carnalitatis, aut alio passionis humanæ

Concil. prouinc. sub Herman. 5. parte 4. cap. 6. synod sub D. Henrico An 1330. postridie B. Remigij habita c. 3 pag. 105. b. Concil pro uinc. sub Adolpho 3. Medio secundo cap. penultimo pag. 434. a. Et in mandato Adolp. 3. cuius initium est. Quanquã diuinis legibus *publicato in syno do Anni 1550 feria 5. post Remigij hab. pag. 513 a*

**Vvichbold. cap. 1. pag. 50 d. 51. a*

Concil. prouinc. sub Adolp. 3 Medio secundo cap. 6. Cuius initium est Porrò quo plus *pa. 433 a.*

manæ affectu, non rationis iudicio promotæ sint, tribus mensibus ab officij sui executione, & fructuum perceptione, eo ipso sint suspensi: Instituti verò iuxta Constitutionem Pij Quinti, cuius initium est. *In conferendis beneficijs Ecclesiasticis, & præsertim Parochialibus Ecclesiis &cæt.* datam Romæ ad S. Petrum anno 1566. 15. Calend. Aprilis, nullum ex prouisione, institutione, seu inuestitione huiusmodi, prouisionis ius aut titulum, etiam coloratũ accipiant, & Parochiales Ecclesiæ, vt prius ante collationem, atque institutionem huiusmodi vacabant, vacẽt: prout eas secundùm formam & præscriptionem, atque vigore eiusdem constitutionis, quam obseruari volumus; ex nunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus, non obstãtibus huic Decreto, exẽptionibus, indultis, priuilegijs, præuentionibus, affectionibus, nouis prouisionibus, alijsq; impedimentis quibuscunq;.

12. Et ne aliquo modo, ex dilata vel suspensa Parochialis Ecclesiæ collatione, prouisione, & institutione, salus populi in periculum veniat; quæcunque in eadem Constitutione Pij Quinti hisce Decretis adiuncta, ad huius incommodi & periculi cautelam statuta, decreta, & præscripta sunt; in vsum ducenda publicamus, & ad collationem, prouisionem, & institutionem, ritè & intra tempus ibidem præscriptum faciendam, omnes ad quos hæc Decreta diriguntur obligamus.

13. Quoniam verò institutio ianua est, per quam fit ingressus ad Ecclesiarum administrationem, sine quo haberi non potest Pastoralis iurisdictio, nec ligandi soluendiq; authoritas exerceri; ideoq; ceu fures & latrones habendi sint, qui per hoc ostium non intrantes, sed aliunde ascendentes, iurisdictionem Pastoralem in Christi fideles sacrilega temeritate vsurpare præsumunt; sub dulci Pastoris nomine, animas, quas saluare

Synod. Dioc. sub Adolp 3. Anno 1550. 26. Feb. habita pag 466. Cõcil. prouinc. sub D. Henrico anno 1310. habita cap. 12. pag. 81. a.

saluare prætendunt, decipientes, mactantes, & perdẽtes: vt huiusmodi Ecclesiarũ inuasiones, quantum in nobis est, in posterum impediamus; Decernimus eum qui temeraria atque sacrilega præsumptione, propria authoritate, sine titulo, Ecclesiæ parochiali se ingesserit, vel illam per intrusionem manus sæcularis, sine Canonica institutione occupauerit, inhabilem factum, non solũ ad Ecclesiam vel curam parochialem, quam inuaserat, obtinendam, sed & ad alia quæcunque beneficia vel officia Ecclesiastica, ac indignum quibuscunq; honoribus ac dignitatibus, donec post manifestam, & exploratam criminis huius pœnitentiam, atque Canonicam satisfactionem, eius Ordinario iusta ex causa, cùm eo visum fuerit, dispensandum. Fructus autem, si quos nomine Pastoralis curæ, Canonicè non institutus acceperit, fabricæ Ecclesiæ, à qua prouenerant, declaramus restituendos.

Statut. D. Sifrid. 5 cap. 1. pa. 47 d.

14. Si qui autem, vel in ciuitatibus, vel ruri, sine Canonica institutione, animarum curam nunc alicubi exercent, hi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua non nisi ab Ordinario absolui queant, intra viginti dierum spatium à publicatione horum Decretorum, primùm his, quibus examinandi officium incumbit, sese sistant: Deinde si post examen idonei & digni iudicati fuerint, qui admittantur, ab his quibus instituendi authoritas competit, sese in huiusmodi beneficia Canonicè institui curent: Alioquin si intra hoc spatium, vel ad examen non comparuerint, vel Canonicam institutionem accipere contempserint, sub eadem pœna Ecclesias, vel beneficia pastoralia quæ inuaserant, mox relinquant, & locum dent legitimè & Canonicè sufficiendis.

Ibidem & Concil. pro uinc sub Hẽrico Anno 1310. habitũ. c. 12 pa. 81. a. Adolp. 3. in Synod. Diœcesana Anno 1550. 26. Ianua. hab. in mandato cuius initium est: Cum non modò sacrorum *pa. 469. c d*

15. Similiter quoniam indigni sunt vt regendis alijs præponantur, qui seipsos regere nesciunt: sub eadem pœna omnes qui publico incestu, seu alijs enormibus crimini-

Ibid. & pag. 465. b.

minibus manifestè irretiti sunt, eodem temporis interuallo, beneficia pastoralia quæ tenebant, dimittant, & ad agendam de scelcribus ac scādalis suis pœnitentiam se componant, suiq́ue regiminis locum viris cedant ad regendum Dei populum, verbo, vitę exemplo, & eximio quodam Dei amore præstantibus.

16. Ad hæc omnes Apostatas monachos, vel qui extra obedientiam degentes, se Ecclesiarum regimini ingesserunt, quiq́ue vel ob hæresin, vel ob Schisma, vel aliam quamuis ob causam, aut ipso iure, aut ab homine latam excommunicationis sententiam incurrerunt, ideoq́ue ad exercendam iurisdictionem in populum Dei incapaces, & inhabiles sunt, excommunicatos publicè annunciari, & à plebibus, quarum curam sibi vsurparūt, alijsq́; fidelibus vitari, districtè præcipimus, donec Deo & Ecclesiæ dignis pœnitentiæ fructibus satisfecerint, ac beneficium absolutionis vel à nobis, vel ab Ordinario suo meruerint impetrare. *Ibidem.*

17. Volumus prętera vt singuli Decani Rurales, quē admodum titulo de Decanis ruralibus, articulo cuius initium est: *Similiter si qui, &c.* decretum est, in proxima Synodo exhibeant, nomina & locum habitationis eorundem Apostatarum, inobedientium monachorum, aliorumq́ue omnium excommunicatorum, & decretis hisce obtemperare contumaciter recusantium Pastorum, Vicariorum, Capellanorum, atque Coadiutorum, vt eorum temeritas, ausus, & superbia, tanto diligentius puniantur, quanto damnabilius desererētur impunita. *Pag 198.* *Extra de excusation. libro 5. tit. 1. c. Qualiter & quando.*

18. Quicunque post iustum & incorruptum examen idonei & digni fuerint inuenti, vt ad susciendam curam pastoralem, ad quam desiderabantur, possint admitti, & in pastoralia beneficia Canonicè fuerint instituti, ea quæ ad boni Pastoris officium pertinent, magno charitatis feruore, indefatigabili sollicitudine, & insuperabili constantia exequantur, atque omnimodè satagant,

etiam in multa contritione cordis, & corporis, in fame & siti, in frigore & nuditate, non modò vt ne quisquam ex sibi commissis pereat, vel de manibus suis rapiatur, sed omnes parent Domino plebem perfectam in omni sanctitate & iustitia. Ne si mediocritate quadam contenti in acceptorum talentorum vsuris fuerint remissiores, non quidem ea quæ Christi, sed quæ sua sunt quæsiuisse iudicentur; & non tam gregis salutem, & gloriam Dei, quàm vel quietem, vel honorem, vel vtilitatem suam, aut humanum fauorem, vel quidquam aliud corruptibile spectasse.

Ioannis 10.

DE MVNERE PASTORALI.

19. Quoniam multa pastoralis sollicitudinis atque dilectionis officia in præcedentibus varijs distinctisque locis à nobis explicata iam sunt, & quamplurima in illis digesta, quę Pastores & eorum Vicarios, Capellanos, Adiutores & Socios officij sui admonere, & in his quę muneris sui sunt instruere, atque ad eadem prudenter ac magnanimiter exequenda dirigere & excitare, continere & confirmare possint; eadem frequenter legant ac perlegant, & perinde ac si sibi speciatim prescripta fuissent, diligentissimè deuotissimeq; obseruent, & hæc quę ad magis excitandos & permouendos eos, vel indè repetimus, vel explicatius ponimus, aut nondum posita statuimus, peculiari animi deuotione accipiant, & obedientissimè, religiosissimeque præstent & perficiant.

Ioannis 21. Actor. 20. Dist. 43. cap. Ephesijs 7. quæst. 1 cap. Sicut. 8. quæst. 1 cap. Qui Episcopatum 11. quæst 3. cap. Præcipuè 12. quæst. 2. Cap. Gloria Episc.

20. Cognoscant itaq; omnes, quibus animarum cura cõmissa est, præcepto diuino sibi mãdatum esse; vt oues suas agnoscant, pro his sacrificium offerãt, verbiq; diuini prędicatione, Sacramẽtorum administratione, ac bonorũ omnium exẽplo pascant, & pro earum salute quandocunq; opus est, animã suam ponant; pauperum aliarũque miserabilium personarum curã paternam gerãt, & in cętera pastoralia munera incũbant. Ideoq; ad implenda & præstanda hæc pastoralis officij debita, ad assiduam

apud

apud oues ſuas reſidentiam, ſe iure naturali & diuino ita obſtrictos & obligatos eſſe, vt niſi Chriſtiana charitas, vr gens neceſsitas, debita obediētia, ac euidens Eccleſiæ vel Reipub. vtilitas abeſſe cogat; nihil eos à peccati mortalis reatu excuſet, prætenſa aut prætendenda Romani Pōtificis voluntas aut diſpenſatio; adeò vt nec ob vitæ propriæ periculū, quod vel ex peſte, aut alio contagioſo graſſante morbo, vel ex cōmuni fidelium perſecutione imminet, corporalē præſentiam, aut neceſſarium miniſterium ouibus ſuis ſubtrahere poſsint; niſi fortè à perſecutoribus ipſi ſoli quęrantur, & alij quibus non eſt eadē cauſa fugiendi in prōptu ſint, per quos impleri poſsit neceſſarium miniſterium. Quemadmodū enim Proreta nauē quam regendā ſuſcepit, nunquam periculoſius quā intumeſcentibus vndis deſerit; & ſicut Dux exercitus, totius exercitus ſalutem in præſentiſsimū diſcrimen adducit, ſi vel inſtante pręlio timidè ſeſe ſubducat, vel in ipſo certamine turpiter fugiat: ita Paſtor à grege quē paſcēdum, regendum atq; tuēdum recepit, nunquam minus quàm exorta contra populum Chriſtianum perſecutionis tēpeſtate abeſſe poteſt; non tantū ob ſermonis & vocis incitamentū, & Sacramentorū debitum miniſteriū; ſed & vel maximè ob fidei & virtutis exēplum, quo ad confeſſionis arma ſumēda, non verbis tantū plebē, ſed & factis cohortetur, omnemq; gregē in vnū cōgreget, & exercitū Domini, ad certamē militiæ cæleſtis armet. Ad quæ præſtanda quanta debeat eſſe Paſtorū virtus, & quā vehemēs in Deum & proximū amor, facilè ex eo intelligent, quod ipſas oues in tam magnū debeant ſpiritualem dirigere & excitare ardorē, vt vincant etiam mortis naturalē timorem, quo mori nolunt, etiā quando cum Chriſto viuere volunt. Et ſi ex ipſis ouibus, vt multi facti ſunt, ita futuri ſint aliqui Martyres, qui quantacunq; futura ſit moleſtia mortis, eam vincent vi amoris, quo amant illū, qui cū ſit vita noſtra, etiā mortem voluit ſufferre pro nobis; quan-

D Proſper. lib. 1 de vita contemplatiua cap. 16 D. Auguſtin. epiſt. 180. quæ eſt ad Honoratum. Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1.

D. Gregor. 34. Moral. cap. 21. 22. & lib. 2. indict. 10. epiſt. 38. D Cyprianus lib. 1. epiſt. 2. & lib. 3. epiſt. 1.

Venerab. Beda in cap. 21. Ioannis ad illud: Petre diligis me.

to magis debent vsque ad mortem pro veritate certare, & vsque ad sanguinem aduersus peccatum dimicare, atque animam suam pro ouibus suis ponere, qui sacramẽtis, verbo, & exemplo, pascendas, docendas, regendas, dirigendasque oues susceperunt, & imitando Pastorem summum, eidem hærere pastores, cùm eum tam multæ imitatæ sunt, & multæ si rectè dirigantur, imitaturę sint oues?

D Gregor. c. 24. lib 31. moralium in 39. cap. Iob D. Chrysost. homil 13 in Matth. & homil. 67. ad populum Antioch

21. Caueant tamen Pastores, ne nimia animositate sua persecutionem moueant, aut excitẽt, vel excitatam plus prouocent: vt ne cùm paci & tranquillitati in omnibus prouidere debuissent, materiam dent seditioni, & motam persecutionem exacerbent. Bella enim excitare non Pastoris, non militis, sed seditiosi est, nec temeritas à Christo, sed fides & modestia, *coronatur. Itaque cùm graue contra eos bellum exortum fuerit, nec quicquam facere possint quod prosit; nõ tam suã salutem, quã quietem publicam cogitantes, cum D. D. Vrbano, Cornelio & Cypriano, alijsque Sanctis ad tempus latebram & quietem teneant, & respectu vtilitatum aliarum, quæ ad pacem omnium pertinent & salutem, cauti & moderati existant, potius quàm vt suo conspectu atque præsentia motus graviores concitent. Nam hoc quoque fecerunt Apostoli, & ipse Dominus noster Iesus Christus. Non enim semper apparentes in media irruebant pericula, sed nonnunquam & fugientes & latentes secedebant, non timidi & cedentes, sed (ne patrandorum malorum causa esse viderentur) prudentes & magna circumspectione moderatissimi, malentes longanimiter ad maiorem Dei gloriam, & populi necessitatem, sese quam diu iustè potérant seruare, & quotidiana mortis expectatione longum pati martyrium, quàm recusando laborem, & afflictionem cordis & corporis, quasi sibi consulentes, impoténti animo, præcipitique martyrio, necessitatibus populi antè præordinatum à Deo tempus importunè sese subtrahe-

** Lib 4. Historiæ Eccle siast. cap 15. De D Vrbano in vita S Cæciliæ De S. Cornelio Papa in vita S Eugeniæ, de Cypriano Cyprianus ipsemet lib. 1. epist & 9 lib 3 epist. 5. & 10. Actor. cap. 9. & 19 2. Corint. 11. Matth. 14. D Chrysost. in tractatu super psalm. 43 Qui legitur Dominica 4 Octob. in officio Romano Rom 8. 2. Cor. 4. & 15.*

trahere. Quare in simili necessitate constituti, similiter agant Pastores, & postquam parum respirauerint, tanquam generosi quidam catuli ex antris exilientes,& è latebris emergentes,statuant nō se solos seruare,sed etiam alios,quoscunque tenentur;& loca omnia per quæ oues suæ dispersæ sunt obeuntes,quotquot inuenerint sanas, debiles,integras,& confractas colligant, omnesq; in pristinum statum restituant,& ad ferenda maiora ac grauiora componant.

22. Quare quæcunq; de residentia Pastorum aliorum quę curam animarum habentium,titulo de Prælatis, à nobis sancita sunt, singulos eorum æquè tangant, ac si hic ad verbum repetita fuissent.Quibus hoc adiūgimus, quod peculiariter ab Adolpho 3. ijs qui ad gerendum Ecclesiarum parochialium regimen instituti vel promoti sunt,in mandato, cuius initium est. *Quanquam diuinis legibus,& c.* Legimus olim quoque fuisse iniunctum; vt intra triginta dies proximos,quos eis pro Canonica & peremptoria monitione damus, apud Ecclesias suas resideāt, vel nobis aut Episcopo vel Archidiacono suo causam cur id facere nō possint, exponant, vt ea cognita vel recipiatur excusatio,vel insufficiens & illegitima iudicetur, alioqui ipso iure nouerint se suis Ecclesijs fore priuatos.

Adolph 3. in mandato cuius initium est: Quanquam diuinis legibus, *dato ipso die S. Michaël Arch. Anno 1550. public feria 5. post festū Remigij in Synodo eiusdem Anni pag 512. d. 513 a.*

23. Quia verò qui duo aut plura obtinet beneficia,quę personalem residētiam requirunt,assidua residentia singulis satisfacere non potest,& manifesta insatiabilis auaritiæ nota,stipendia sibi vendicat plurimorum,vix sufficiens vnū implere officium;cùm valde fœlix sit ille censendus, cui vnam Ecclesiam bene ac fructuosè,& cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit; consultè & necessariò in Synodo Diœcesana sub Adolpho 3. Anno 1551. feria secunda post Dominicam *Inuocauit* habita, publicatum fuit, cap. quartum sess. septimæ Oecumenici Concil. Trident. quod ita habet:

Cap. Quia nonnulli *lib.3 Decretal tit.* de clericis nō residentibus.

Quicunque de cætero plura curata, aut aliás incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, siue per viam vnionis ad vitam seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo, contra formam sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis Innocentij 3. quæ incipit, De multa, *recipere ac simul retinere præsumpserit, Beneficijs ipsis iuxta ipsius Constitutionis dispositionẽ, ipso iure, etiam præsentis Canonis vigore priuatus existat.*

C. de multa. de præbend.

24. Cuius saluberrimi ac necessarij Decreti inuiolabilem cupiẽtes esse authoritatem; declaramus eos omnes, qui sine legitima Romani Pontificis dispensatione plura curata, aut alia incõpatibilia officia, contra istius Decreti sanctionem, exindè recipere aut retinere præsumpserunt; nec beneficia huiusmodi iuxta ipsius Cõstitutionis dispositionẽ legitimè possidere, nec fructus inde perceptos tuta conscientia retinere posse; sed eos Ecclesijs restituendos, & Beneficia tanquam liberè vacantia, alijs dignis, qui in loco residere possint, & curã eorũ per seipsos valeant exercere, cõferenda. Quod si intra sex menses ea cõferre distulerint, illi ad quos eorum donatio spectat; non solùm ad alios secundùm Lateranensis Concilij statutum eorum deuoluatur collatio, verùm etiam, quemadmodum in generali Concilio sub Innocentio 3. definitum est, tantũ de suis in vtilitatem Ecclesiarum, quarum sunt Beneficia, assignare cogantur, quantum à tempore vacationis eorũ constiterit esse perceptũ. Et si forte vltra sex menses illa retinere contenderint, qui ea cõtra formam Canonũ obtinebãt, tam alia omnia Beneficia, quæ retinere poterant, quã hæc, quibus iure priuati erãt, ipso iure vacare censeantur, ac tanquam vacantia liberè alijs idoneis conferantur, nec ipsi antea ea obtinentes, tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant.

Cap Quia nonnulli 3 *Decretaliũ* de Clericis non residentibus.

Ibidem. Cap. De multa *lib.* 3. *Decretaliũ: titulo* de præbend. & dignitatibus.

Cap. Execrabilis. §. *Qui verò in extrauagant. Commun. tit.* de præbẽd.

25. Si qui Romanæ sedis indulgentia aut dispensatione, ab obligatione horum Decretorum se exemptos putent, dispensationes suas, quemadmodum titulo de Prælatis à nobis iniunctum est, examinandas & probandas exhibeant, sub pœnis ibidem constitutis. 26. Nul-

Articulo cuius initium est. Si qui autem ex prædictis. *Et articulo* Omnes qui plures, *pag.* 25.

26. Nulla tamē dispensatio obstet, quin in Parochiali Ecclesia resideant,& ibidē in diuinis deseruiāt, qui Parochialem Ecclesiā ac Canonicatū aut dignitatē in Metropolitanis,vel Cathedralibus seu Collegiatis Ecclesijs, vel aliud quodcunq; beneficiū Ecclesiasticum obtinent, secundùm formā Constitutionis Pij V. cuius initiū est. *Cupiētes pro nostri,&c.* Datę Romæ apud S. Petrum Anno 1568. octauo Idus Iul. Pontificatus eius Anno 3. nisi in ipsa dispensatione expressa illius Constitutionis facta fuerit mētio. Qui secus fecerit, cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis & prȩeminentiæ fuerit, à fructibus Parochialis Ecclesiæ, quamdiu in ea non resederit, sine vlla alia declaratione, suspensus sit, eosque Ecclesiæ restituere teneatur.

Concil. prouinc. sub Adolph 3. Medio tertio. Cap. Cupiētes ex animo.

Vide Adolp 3. in hū quæ in Cathedralib. & Collegiat Ecclesijs inquiri debent §. 38. pag 480. b.

27. Quoniam parum aut nihil pastoralis officij potest exercere Pastor, nisi præter authoritatem iurisdictionis, habuerit quoq; ordinis potestatē: & cùm ipso iure virib. careant collationes, de parochialibus Ecclesijs factæ, qui non attigerint 25. ętatis annum: atque Ecclesia sibi commissa priuatus sit, qui intra annum à commissi sibi regiministempore, ad sacerdotium non fuerit promotus: ita vt nec cui ætas deficiebat, postquam ad ætatem venerit, nec qui ætatem habebat, si post annum à suscepto regimine sacerdos ordinetur, sine noua collatione, nouaq; institutione, aut fructus possit suos facere, aut pastoralem iurisdictionem exercere: Volumus vt singuli Decani Rurales intra viginti dies, à cognitione huius Decreti, nobis, Ordinario, aut Archidiacono suo, in scriptis exhibeāt, omnium eorum nomina, qui vel infra legitimā ætatem ad Ecclesias Parochiales promoti sunt, vel si ne legitima facultate intra annū, à die suæ promotionis Ordinē sacerdotalē non receperunt. Singulosq; prȩterea quo ad mores, eruditionem, zelū, & prudentiam, cęteras que qualitates, quæ in Pastoribus obseruandæ & notādę sunt, describant, vt Ordinarius de his accuratè edoctus, vel cosdem si idoneos inuenerit, post peractam de excessibus

Cap licet de electione in sexto. Vvichbold. cap 2 pag 51. a. Adolp 3 in mandato quod incipit. Quanquam diuinis legibus. publicat in Synodo Diœcesana Anno 1570 feria quinta post Remigij pag. 508 c. d. &c.

Cap 34 lib 1. tit 7 in sexto.

sibus pœnitentiam,& Canonicam satisfactionem,vel alios à collatoribus vel patronis noua collatione, & ab ijs penes quos fuerit iurisdictio,noua institutione,intra tempus Canonicum,iuxta sacrorum Canonum & Constitutionum sanctiones,promoueri & instituicuret.

Cap. Licet. *Cap* Non. *& Cap.* Cũ ex co *de elect. in sexto.*

28. Facultates de non promouendo præterquam in casibus à iure expressis concessæ, ad annum tantùm suffragẽtur:iuxta Decretum cap.12.sessio.7.Concilij Tridentini,in Synodo Diœcesana sub Adolpho 3. Anno 1551.feria secunda post Dominicam Inuocauit,publicata.

Instatut. Adolph pag. 522.c.

DE MVNERE PRAEDICATIONIS.

29. Quod verò ad Euangelij prædicationem & populi instructionem attinet,cũ hoc præcipuum Episcoporũ munus sit,quod Ecclesiarum Prælaris & Pastoribus in regiuncula, parochia vel Ecclesia sibi commissa non minus incumbit, quàm Episcopis in Diœcesi sua: quicunque Ecclesias curam animarum habentes quocunq; modo obtinent,per se ipsos,diebus saltem Dominicis,& Festis solemnibus,plebes sibi commissas, pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis,docendo,quę scire omnibus necessarium est, vt pœnam æternam euadere, & cœlestęm gloriam consequi valeant.

Concil Constantinopo. 6.cap 8. Cap. Exijt *Habetur etiam de verborũ significatione Concil Lateranens. vltimum sess.* 11.

30. Quandocunq; verò legitimè impediti prędicationis officiũ per se obire nequiuerint;prouida pastorali sollicitudine curent,vt id per alios idoneos Sacerdotes impleatur;ne quod Propheta dolens queritur: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*:Ob eorum quoque negligẽtiam queri meritò quisquam possit. Quod si qui præstare neglexerint,& ab Ordinario vel eius subdelegato semel moniti,muneri suo defuerint, etiam si ab Episcopi iurisdictione quauis ratione exẽptos se esse prætenderent, & Ecclesiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monasterio etiam extra Diœcesin existenti, forsan annexæ vel vnitæ; modò reipsa in Diœcesi sint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius

Ieremias Threno 4.

Ordina-

Ordinarij seu eius subdelegati arbitrium cogantur, ita vt etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persoluatur, donec principalis ipse resipiscens, officium suum impleat.

31. Neminē tamē in prędicationis officiū substituāt, vel in Ecclesia sua prædicationis munere fungi permittant, nisi qui ab Ordinario, vel à Vicario in Pontificalibus, seu, à Vicario in Spiritualibus, prout moris aut consuetudinis fuerit, tā in moribus quàm doctrina, & fidei integritate probatus, & ad id muneris fuerit admissus, suæq; admissionis testimonium in scriptis exhibuerit. Si qui autem sine legitima hac, vel ab Apostolica Sede susceptа, ac ab Ordinario vel eius Vicario approbata authoritate, publicè vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumpserint, iuxta Decretum * magni Concilij Lateranensis, excommunicationis vinculo ab Ordinario innodentur, & nisi quantocius resipuerint, alia competenti pœna plectantur.

Cap.1. reformat. Cleri Germaniæ per Laurentium tit.S. Anast. Cardi nalem Sedis Apostolicæ de latere legatum Anno 1524. factæ. Concil. Prouinc sub Hermanno 5. par. 4. cap. 5 & 6.

** Cap.* Quia verò nonnulli.

32. Regularibus quoque cuiuscunq; fuerint Ordinis, nec in Ecclesijs suorum Ordinum, nisi ab Ordinario vel eius Vicario fuerint admissi, & benedictionem ab alterutro acceperint; nec in Ecclesijs non suorum Ordinum, nisi licentiam ab Ordinario vel eius Vicario in scriptis obtinuerint, prædicare liceat: quam quidem licentiam quotannis nouam, aut saltem innouatam Pastoribus, seu Ecclesiarum, in quibus prędicaturi sunt, rectoribus exhibendam esse titulo de Abbatibus, Prioribus &c. præcepimus.

Articulo, Cùm iuxta Apostolicam.

33. Illud præterea ex definitione D. Leonis magni volumus obseruari, vt præter eos qui sunt Domini Sacerdotes nullus ad munus docendi aut prædicandi assumatur, siue sit Monachus, siue laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur.

D Leo epistola 62. cap. 5. Cap Cùm ex iniuncto *& cap.* Sicut, *titulo* de hæreticis.

34. Cùm autem, vt docet D. Gregorius magnus, ars docentium sit, vt in auditorum suorum mentibus prius

In cap 27. Iob lib. 18. cap. 6. moral.

ſtudeant peruerſa deſtruere, & poſtmodum recta prædicare, ne bonum ſanctæ prædicationis ſemen, plena malis corda non capiant; ideoq; Ieremiæ Prophetæ Dominus iuſſerit, prius vt euellat, deinde vt plantet, prius vt deſtruat, deinde vt ædificet: prima Catholicorum Concionatorũ cura eſſe debet, vt primũ erroris fabricam deſtruãt, & mox veritatis fundamentũ ponãt, prius vitia euellãt, diſſipẽt, & diſperdãt, ac eorum loco optimarum virtutum ſemina iaciãt, eaq; nulla officij ſui intermiſſione foueant ac tueantur, & germinãtia rigent, creſcẽtia excolãt, & ab omni iniuria defendãt, atq; ad incrementũ & frugẽ, quãtũ officio & miniſterio ſuo poſsũt, perducãt.

De Conſideratione lib. 1.

35. Exeant itaq; frequenter in agrum Domini, quem excolendum receperunt, exeãt, vt D. Bernardus monet, quibuſdam paſſibus mentis & intentæ ſollicitudinis, ac ſollicitæ intentionis, & vigilantiſſimè conſiderent, quãtis ager Dominicus, maiorum ſuorum vigilantia quondam cultiſſimus & fertiliſſimus, nunc ſilueſcat tribulis & ſpinis, quantamq; paſsim pro tritico ferat zizaniam. Noſcant, noſcant optimè qui errores populum Dei captiuum ducant, quæ eum vitia premant, qui peccatorum funiculi, quæque inolitarum conſuetudinum vincula conſtringant; quæ denique neceſsitates, & impietates in ſeruitute Diaboli, eum ligatum teneant, excœcent, & in iniquitate ſua obdurent. Ad hæc tollenda, omnem prædicationis ſuę vim intendãt, & nõ minori ſtudio ac vigilantia, quàm Sanctiſsimi Patres, qui prima fidei & pietatis fundamenta in hiſce regionibus poſuerunt, fidem ac pietatem collapſam inſtaurent, inſtauratam conſeruẽt, neque vllo modo patiantur, vt ſua ignorantia, taciturnitate, vel negligentia, aut veritati fidei, aut ſynceritati & perfectioni pietatis, quicquam decedat. Id vt rectè adimplere valeant, recolãt diligẽter, & obſeruẽt, quæ in 4. 5. & 6. parte Cõcil. prouinc. An. 1536. habiti, prudẽtiſsimè ac sãctiſsimè Paſtoribꝰ & Cõcionatoribꝰ præſcripta ſũt, & hæc

& hęc præcipuè, quę vel illis addimus, vel inde ad eorum exhortationem vel excitationem refricamus.

36. In primis omnibus viribus contra ea peccata laborēt, quibus quasi ex professo, vera germanaq; Dei colēdi ratio extinguitur, vel corrūpitur aut obscuratur. Quod cū propriū hæresiū sit, qbus euertitur & tollitur vera syncera q; Dei religio, qua nullum à Deo munus tributum est homini maius, per cuius neglectū, & conculcationē ira & maledictio Dei super populum peccantem accenditur & multiplicatur, aç omnis animorū cōsensio, ordo & trāquillitas, sine quibus constare Respub. non potest, aufertur; seditiones, bella, familiarumq;, Ciuitatum atque regnorum euersiones concitantur: ad extinguendas faces istas, omnesq; totius hæreticæ prauitatis spinas euertendas, eradicandas, & euellendas (quæ haud dubiè non sine Pastorum & Concionatorum dormitantia, & negligentia, multum in hac Diœcesi inualuerunt, & in multorū cordibus altas ac firma s radices egerūt) maxima vigilātia, maximaq; animorū studiorūq; concordia, atq; zelo omnes concionatores conspirare, & vnanimiter ac potenter concurrere debent. Quod nisi fecerint, & non minori contentione ac vigilantia, nullo fundamento subnixas hæreses euertere studuerint, & impię persuasionis pestes dissipare; quàm hæretici firmissimè fundatā Catholicā religionē subuertere conantur; proculdubio per eos nō stabit, quin sensim religio vera obruatur, & in eas hæreticorū perfidia adigatur angustias, vt seges optima fidei & pietatis, domināte impietate præfocetur, & illis magis nostra socordia, q̄ virtute suavincē tibus, vera tādē religione iusto Dei iudicio spoliemur.

Amos 9.
3 Reg c.11.
D. Leo epist. 25 & 31.
Matth.13.

37. Quanam verò arte, quaue ratione contra hæreticos, & illos qui contradicunt, seu resistunt veritati, agendum sit, docet Apostolus, cùm ceu tempora nostra respiciēs futurum dicit; vt multi sanā doctrinā nō sustineāt, sed ad sua desideria coaceruēt sibi magistros pruriētes auribꝰ, & à veritate quidē auditum auertant, ad fabulas autem

2.Timoth.4.

tem conuertantur. Nam hæc prædicens, Timotheum, & in Timotheo omnes verbi Dei ministros, præcipuè tamen Episcopos, & animarum Pastores, terribili adiuratione obtestatur, & ad ea, quæ eis ad hæc auertenda ex officio incumbunt, obstringit, dicens. *Testificor coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnum eius, Prædica verbum, insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Quamdiu enim cum timentibus Deum, mitibus, & docilibus negotium est, sufficit adhibere declarationes, probationes, & ostensiones, quibus ipsa nuda veritas, sine vllius asperitatis aut suauitatis condimento, intellectui innotescat. At quando contra rebelles agendum erit, qui sanam doctrinam non sustinent, veritatisq; lumen oderunt, & veritatis assertores auersantur, quiúe à veritate auditum auertentes, ad audiendum aliquid noui auribus pruriunt: non illuminandæ duntaxat menti, sed & iuxta modum ab Apostolo præscriptum mouendæ insistendum est voluntati; vtendumq; obsecratione, quæ suauiter illiceat; increpatione, quæ salubriter terreat; redargutione, quæ inuictis rationibus conuincat, & manifestissima iniquitatis reuelatione vtiliter confundat: vel vt emendētur ipsi, si fieri potest, ne pereant; vel si in peruersitate obdurati sunt, & incorrigibiles, perdant authoritatem facultatēq; alios subuertendi, ne perimant.

38. Agenda sunt hæc instanter in omni patientia & doctrina opportunè & importunè: vt ne vnquā animo deficiētes, & delassati, errantiū salutē desperēt; aut aliquādo oportunā operā, quā dare possent vt reuertantur qui auersi sunt (ne duri vel importuni videantur) intermittant. Nunquam non illud secum cogitantes: *Si quādo Deus det illis pœnitentiā ad cognoscendā veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenētur ad ipsius voluntatē.* Quia donec viuūt, sēper incertū est, vtrū volunta-

D. August. de doct. Christi lib 2 cap. 7. Vide eundem sermone de vtilitate ieiunij qui est 61. inter sermonibus seorsim excusis, ad illud Ierem. 16. Mittam venatores.

D. Gregorius lib. 1 epistola 75.

D. Bernard libro 3 de cōsideratione paulo post initium.

D. Chrysost. de Sacerdot. lib. 2. tom 5.

D. August in initium cap 6 inchoate expositionis epistolæ ad Galat.

2. Timoth. 2.

D. Chrysost. ibidem.

voluntatem sint in melius mutaturi; & fieri posset, vt cui persuadere potuissent persistendo, & importunius, vt ægris mentibus videbatur, arguendo, eorum desperatione & officij intermissione pereat: dum aut virtutem potentiæ & bonitatis Dei longanimiter perseuerando non sperant, aut importunitatem oportunè non vsurpant; malentes oportunitatem meliorem frustra expectando, interitum peccantium otioso animo videre, quàm inuitis & reluctantibus animis, sanitatis medelā importunè adferre. Nullum igitur in re tanti momenti & periculi dissimulatio, nullum socordia habeat locū; nihilque in his, à quibus vniuscuiusque salus dependet, dubiè, nihil segniter, nihil plausibiliter aut perfunctoriè pertrāseatur. Abijciatur prorsus omnis pestifera à Sacerdotali vigore patientia & conniuentia, quæ nec alijs, nec sibimet, peccatis aliorum parcēdo parcit, sed magis dum sine ratione restituendæ salutis plausibilis esse cupit, & se & alios perdit: sicut Heli quondam Sacerdos, filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis diuinæ iustitiæ sententiam meruit experiri, quia segni patientia dissimulauit plectere peccatores.

D Augustin. lib. 1 de ciuitate Dei, c 9. Concil prouinc sub Herm 5 parte 6 cap 12.

D. Basilius regula 27 in breuiorib.

D Leo epist. 76. ad Anatolium. D. Aug li. 1 de ciuitate Dei ca. 9. D Cypria. epistola 10. in editione Pamelij. 1. Regum 2.

39. Si qui autem spreta hac monitione, cùm tempus, locus & auditorium postularet, nūquam aut admodum rarò, idque perfrigidè pro veritatis defensione & expugnatione falsitatis, sermonem ex professo facere fuerint obseruati, & de illis tantùm, quæ sunt extra controuersiam agere deprehensi: ij à Decanis ruralibus, vel illis quibus immediatè subiecti sunt, corripiantur, & si moniti sese non emendauerint, tanquam falsitatis fautores, in synodis Diœcesanis accusentur, maximè si docti fuerint, & sufficientem ad confutandas hæreses habere gratiam noscantur. In huiusmodi enim causis, suspicione non caret taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret, ac meritò prædicatorem causa respicit, si cū silentio faueat errori: quoniam seipsum errare demonstrat,

Cap. Error. dist. 83. & Cap. facientis culpam. item cap. In seriorum culpæ, Dist. 86. Cælestinus Pap. in epist. pro Prospero

ſtrat, dum tacendo alios ab errore non reuocat. Neque ſine cauſa de conſenſu eius ſibi blandiuntur aduerſarij, & in peruerſitate ſua confirmantur, vbi tacentem vidēt, qui ſi fidelis Domino ſuo eſſet, & quod cōtradicere arguēdo poſſet, haberet, ſine ceſſatione, clamare, oblatrare, & quaſi tubam vocem ſuam exaltare deberet.

& Hilario, ad quoſdam Galliarum Epiſcopos. D. Leo epiſt. 93. cap. 15. Iſaiæ 56. & 58.

40. In patientia porrò verbi Dei prædicatores miniſterium ſuum impleant; ne quando litigantes ſeu iraſcentes, vel immodico fruentes impetu, aut vt inimicum reputantes id faciant, & videantur non tam corrigendi vel ſanandi gratia, contra errores, peccata, peccatorumq; pericula, & pertinaciam agere, quàm vt ipſos peccatores mordeant, vituperent, diffament, & magis lædant. Quicquid enim lacerato animo dixerint punientis eſt impetus, non charitas ſalutifera corrigentis. Verùm his omnibus omiſſis, pleni charitate & Spiritu ſancto, puro gloriæ & honoris Dei ac ſalutis animarum zelo, cum omni modeſtia prædicationis miniſterium impleant, & amantes atque dolentes, magisq; quàm ille, contra quem agunt lugentes, & in illius caſibus tabeſcentes, cūcta exequantur. Sed etſi propter charitatis ac pietatis ſuę zelum maledicantur & blaſphementur; ſi opprobria & calumniæ eis irrogentur, vel ſi quidquam ſæuius in eos intentetur, non ſolùm infracto & patienti; ſed & magno ac generoſo hoc quoque perferant animo: vt nec opprobria timeant, nec blaſphemias metuāt, neq; propter perſecutiones, ſtudium ac ſollicitudinem curandi, & proſequendi animarum ſalutem intermittant; ſed quò magis malorum peruerſitatem creſcere viderint, eò magis prædicationem augeant, & communicantes Chriſti paſſionibus gaudeant exultantes, ſeque hoc nomine felices arbitrentur; quoniam quod eſt honoris & gloriæ & virtutis Dei, qui eſt eius Spiritus, ſuper eos requieſcet.

D. Chryſoſt. in ca. 4. 2. ad Timoth. D. Aug. in c. 6. epiſtolæ ad Galat.

Eſaiæ 51. 1 Pet. 3. et 4.

41. Cùm malum vitari non poſſit, niſi cognitum, ne quis per ignorantiam ſeducatur, & eò quod rerum ad ſalutem

lutem animiq́ue virtutem & constantiam necessariarū, nullam aut exiguam habuerit scientiam, per errores ac hæreses ducatur captiuus, (quod multi Pastorum suorū vel ignorantiam, vel socordiam, vel negligentiam accusantes, seductionis suæ causam fuisse, summo cum dolore nobis pro reconciliatione supplicantes questi fuerūt) necessarium censemus, vt omnes intelligant, quænam ab illis hæreses caueri vitariq́; debeant. Quare frequēter & quotiescunq; huius rei vei minima haberi poterit occasio, clarè & distinctè, à Catholicę veritatis prędicatoribus, populo proponēdi erunt Canones & Anathematismi, contra huius tempestatis errores & hæreses, in Oecumenico concilio Tridentino statuti & decreti. Quos etiā vnà cum professione fidei, vulgari idiomate typis edi cupimus, & paruo Catechismo, ad populi institutionem emittendo coniungi. *Isaiæ 5.*

42. Vtile quoq; erit ipsius erroris & peruersæ voluntatis hulcus aperire; & hæresis principia detegere, vt manifestetur quanā ex causa hęreses sint inuētæ, aut à populo susceptæ: reuelare etiam mysteria iniquitatis & occulta dedecoris, & hæreticę assertionis fundamēta, & fructus: vt videant populi, cui Spiritui, quibus qualibusue magistris, cōtra Catholicā veritatē præbuerint aurē; nēpe spiritibus erroris, doctrinis Dęmoniorū, ipsis hostib⁹ veritatis, inimicis oīs iustitię, filijs *D*iaboli, hominib⁹ mēte corruptis, reprobis circa fidem, plenis omni dolo & fallacia. *2. Cor. 4. Actо 13. 1. Tim 3. 2. Timoth 3.*

43. Vt hæc faciant minimè opus erit, vt laborent in recensendis hæreticorum argumentis, & vt lōga narratione ea proponant; quin verò quantum fieri poterit abstinendum ab illis esse iudicamus, maximè coram promiscua & imperita hominum multitudine; quam vt præclarè scribit D. Augusſt. non intelligēdi viuacitas, sed credēdi simplicitas tutissimā facit: & bene monet D. Cyprianus nō debere nos esse curiosos, quid hæretici dicant, cū foris doceant, sed magis horrere & pudere nosse eorum ineptias, *Cap 4. cōtra epistolam quam vocant fundamenti Epistola 2 li. 4. & epistо. ad Iubaianū de baptizandis hæreticis quæ est in editione Pamelij 73.*

ineptias & insanias. Quandocunque igitur nefandæ fallaces, ac perfidæ eorum opiniones conuincendæ, & confutandæ erunt, facient id ad populi captum, non prolixa disputatione, nec leuibus, incertis, ac futilibus, & excogitatis persuasionibus, sed plana ac breui declaratione, probatis, solidis, neruosis, ac ad quæstionem propositam cõuenientibus argumentis, ex sacra scriptura, Concilijs, receptarum ab omnibus traditionum authoritate, perpetua Ecclesiæ consuetudine, ac SS. Patrum doctrina, vnanimiq; consensu petitis.

44. Quia autem fidei incolumitas, & plena veritatis agnitio, infidelitatis eliminatio, & falsitatis extirpatio est; maiori longè studio elaborare debent verbi Dei prædicatores, & præcipuè Parochi, vt in cordibus Christi fidelium firma iaceant fidei Christianæ fundamenta; eoq; instruãt, vt agnita Catholica doctrina, in omnibus sic sentiant, & credant, sicut Ecclesia Catholica Romana credit & sentit; ac magna sedulitate curent, vt pia quadã verbi salutaris auiditate, eo proficiant, suæ vt fidei saltẽ generales, & communes quasdam teneant rationes, quibus oportunè possint, omni poscenti siue credenti, siue incredulo spei Christianæ proferre rationem. Atque in hac fide & spe, clauis timoris & charitatis Dei ita configat & confirmet; vt neque consanguineorum, aut aliorum blanditijs allici, neque minis & terroribus patiantur se adigi, vel facultatum dispendio, seu ipsius mortis metu, quidquam compellantur patrare, quod fidei Catholicæ aduersetur (etiamsi alioquin fidem in corde retineant, & de rebus diuinis in animo bene sentiant) sed Sanctorum exemplo mortem potius malint oppetere atrocissimam, quàm vt in religionis negotio, per fictam simulationem fidem negasse, eamue improbasse seu conuitijs damnasse, vel vllæ schismaticæ factioni verbo factoue communicasse, aut aliam deniq; Ecclesiam præter eam, quæ sola vera est, videantur prætulisse.

1. Petri 3 Col 3. D. Chrysost. Hom. 17 in c. 1. Ioannis.

45. Hæc

45. Hæc vt ſinguli facilius præſtare queant, & illibatam tenere religionem, animumque ab omni conſenſu & approbatione fraudulentæ & hæreticæ falſitatis ſeruare innoxium; doceantur non ſolùm præcepto Eccleſiaſtico, ſed iure quoque naturæ teneri, vt omnem cum hæreticis & ſchiſmaticis, quantum humana patitur neceſſitas, familiaritatem caueant & conuerſationem ipſorumque libros vitent, quos vel ſciunt legitima authoritate prohibitos, vel eſſe nouerunt pernitioſos. Sermo enim eorum vt cancer ſerpit, multumque proficit ad impietatem. Et ſicut fieri non poteſt, vt tangens picem non inquinetur, ignemque in ſinu ſuo geſtans, veſtimenta ſua non comburat; ita fieri vix poteſt, vt qui cum hæreticis perpetuò & familiariter agit, tam conſtanti ac præſenti ſemper ſit animo, quin aliquando, cùm illi Catholicam fidem oppugnando rident, vnà cum eis rideat, aut ſilentio ſuo, vel placidiori vultu, ſeu alio quocunq; modo, qui à conſenſu abeſſe nō videatur, trāquillo & ocioſo animo, eorum ſubſannationes audiat, eoſque ſine vlla contradictione, quæcunque voluerint, maleuolo animo contra Deum & ſanctam religionem effutire patiatur. Atque non tantùm conſilij, ſed præcepti eſſe ſciant, quod ad conſulendum animarum ſaluti dixit Chriſtus: *Si ſcandalizauerit te manus tua, vel pes tuus, abſcinde eum. Si oculus tuus: erue eum, & proÿce abte, Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem & claudum, aut cum vno oculo; quàm duas manus, duos pedes, aut duos oculos habentem, mitti in Gehennam ignis.* Hac Allegoria ſignificare volens, præſcindendos eſſe à conſortio humano homines; aliaque ceu manus, pes, oculus, chara & neceſſaria, pro vitando offendiculo ſeu impedimento pietatis eſſe abijcienda.

Eccl. 28. Matth 18. Marc. 18. Rom. 16. 1. Cor 15. Epheſ. 5. 2. Theſſ. 3. Tit. 3. 2. Timoth. 2. D Cyprian. lib. 1 epiſtola 3. 7 & Item tractatu de lapſis paulo antem finem, & de vnitate Eccleſiæ. et Beda cap. 6 lib. primo Commment. in prouerb. Salomon. ad verſum, Nū quid abſcōdere poteſt homo ignem in ſinu ſuo. Et cap. 8. libro 2. comment in Samuelem ad illud Et reſpexerunt exploratores Saul. Vide D. Auguſtinum li. 1. de Ciuitate Dei cap. 9. D. Leo epiſtola 76 Matth. c. 5. & 18.

46. Ne ſimplices in hæreticorum libros ignoranter incidant, & incauti ex venenato eorum calice mortem ſuam bibant: curandum eſt, & Sacerdotali diligentia pro

D. Leo epiſt. 93 cap. 15. Cōcil. prouinc. ſub Adolp. 3.

uidendum, vt hæretici codices, & à syncera veritate discordes, in nullo vsu lectionis habeantur. Iniungimus proinde omnibus, quibus prędicandi & docendi munus creditum est, vt libros prohibitos aliquando in concionibus recensеant, eos maximè quos vident in vsu esse apud populum, aut ab vsu non procul abesse; eumq; frequenter admoneant, ne quos libros domi suæ habeat, aut deinceps emat, quos Pastoribus suis inspiciendos & examinandos non exhibuerit, & habere, emere, ac legere ab ijs permissus fuerit; vt ne aliquando pia libri inscriptione, vel qualibet alia pietatis specie, aut verborum dulcedine & astutia decepti, latenter laqueis cuiuscũque inuoluantur erroris.

Medio primo *Cap* Cõpertum nobis est *pag.* 428 *d.* & *in inquisitionibus, quæ à Decanis, tam Collegialibus quàm Ruralibus, et Ecclesiarum Parochialium Rectoribus inquirenda sunt* § 91 *pa* 488. *d.*

47. Eis nihilominus, quibus superintendendi cura commissa est, curæ erit, vt facta domatim inquisitione, iuxta Decretum Synodi Diœcesanæ Anno 1550. 26. Februarij sub Adolpho tertio habitæ, libros omnes suspectæ fidei, seu per hæreticos deprauatos, penitus auferant, atque ignibus concrement, & eos qui huiusmodi libros eis tradere recusauerint, vel Ordinario, vel suis Visitatoribus deferant.

Pag. 464 *d.* 465 *a.* & *in præparatione ad visitationem titulo* De Scholis *Pag.* 490 *d* *D Leo epist.* 93. *cap* 15.

48. Typographi præterea, Bibliopolæ, Bibliopegi, ac reliqui librorum institores moneantur, vt nullum librum, chartam, scripturam, vel picturam, imprimant, vendant, ligent, aut compingant, nisi prius secundùm Decreta concilij Prouincialis sub Hermanno quinto habiti, & constitutionem Innocentij Octaui, cuius initium est: *Inter multiplices* &c. datam Romæ Anno 1487. 15. Calend. Decemb hîc olim publicatam, & quam hoc *D*ecreto innouamus, à Catholico & legitimo librorum censore examinata & admissa fuerint, & Typographi nomen, regionem, atque ciuitatem, seu locum, in quibus excusa sunt, designent. Qui verò huic Decreto contrauenire præsumpserint, ipso iure excommunicationis pœnam incurrant, iuxta formam Constitutionis Innocentij Octaui, à qua à nullo absoluantur, nisi re ipsa prædi-

Parte 12 *cap.* 9. *Sub Hermãno* 4 *pag.* 480 &c.

prædictæ Constitutioni satisfecerint, ac præterea iuxta præscriptionem Concilij Prouincialis, præter librorum confiscationem pœnis legalibus, ac pragmaticæ Constitutioni Augustanæ subiaceant.

49. Inter libros prohibitos in primis recensemus, quos Adolphus tertius in Concilio prouinciali *Medio primo*, Cap. *Compertum nobis est*, & in forma visitationis titulo, *Libri qui sequuntur* &c. recensuit, & sub anathematis pœna omnibus fidelibus, tam ipsis Parochis, quàm eorum subiectis vitandos præcepit. Præterea vt pleniorem huiusmodi librorum demus Catalogum, quemadmodum Concilium illud desiderare & promittere visum fuit, Indicem librorum prohibitorum cum Regulis confectis per Patres, à Tridentina Synodo delectos, & authoritate S. D. N. Pij Quarti Pontificis Maximi comprobatum, hoc Decreto nostro hic publicatum pronunciamus, ac omnibus huius Diœcesis fidelibus recipiendum, & in librorum delectu seruandum tradimus & mãdamus. *Pag. 428. b.* *Pag. 490.*

50. Enchiridion quoque Christianæ Institutionis, quod non, vt in quibusdam exemplaribus præ se fert, à Concilio Prouinciali, sed ab Hermanno à VVeda æditum est, postquam à Bucero seductus esset, & à fide Catholica defecisset, ob quod à Sede Apostolica Archiepiscopatu priuatus fuit; cùm doceat quædam erronea, & Catholicæ fidei repugnantia, inter Apocrypha ponimus, quamdiu ab Vniuersitate Colonienſi vel Louanienſi nõ fuerit expurgatum. *Vide Alphõsum à Castro contra hæreses verbo Gratia, hæres. 3.*

51. Vt, quod in libris prohibetur, ad publicam perturbationem, & multarum mentium subuersionem, in occultis conuenticulis secreta perfidia non inueniat libertatem; nihil intermittendum erit, quod ad prohibendos huiusmodi cœtus, à Pastore & Speculatore super gregẽ Dominicũ, quocũq; modo publicè & priuatim poterit præstari. Hoc aũt Sacerdotũ sẽper fuit officium, ratio- *Bernard. ep. 187.*

D. Auguſt. tractatu 11. ſuper Ioannem

D. Leo epiſt. 25.31 75. & 76.

Rom. 13.

D. Leo epiſtola 93. cap. Principes ſæculi, cauſa 23. quæſt. 5.

Ibidem Cap. Res autem

nibus, auctoritate, maiorumque exemplis docere, quid Principes ſæculareſque Magiſtratus, pro tuēda fide, pietate, ac Eccleſia matre, vnde ſpiritualiter ſunt nati, facere deberent, ſuiq; huius debiti eos admonere, ne quid per ſomnolentiam eorum, Eccleſia caperet detrimenti. Profuit enim ſemper contra turbulentam hæreticorum inquietudinem diſtrictio legum publicarum Eccleſiaſticę lenitati. Quæ etſi Sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones; ſeueris tamen Chriſtianorū Principum Conſtitutionibus adiuuatur, dū vel animæ fugiūt periculum, vel ad ſpirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium.

52. Vt hæc quæ de vitandis & abolendis hæreticorum libris, ac extirpandis hęreticis decreta ſunt, maiori diligentia & animi deuotione à Chriſti fidelibus præſtētur; innouamus quæ à Cōcilio Prouinciali ſub Theodorico Colonienſis Eccleſiæ Epiſcopo Anno 1423. contra hęreſes, preſertim VViclefiticam ſeu Huſſiticam, per id tēpus ſæuientem, ca. 9. ſtatuta & decreta fuerunt: Hortantes & requirentes omnes & ſingulos huius Prouincię Chriſti fideles, quatenus in Spiritu Dei exurgentes, ad cō uerſionem quorūcunq; hæreticorū, & extirpationē omniū & ſingularū hæreſium, totis viribus collaborent, ac ipſos hęreticos, eorūq; ſequaces, fautores, receptatores, libros atq; conuenticula, ſeu quæcunq; clandeſtina hæreticæ factionis molimina, quandocunque aliquid horum deprehenderint, vel quid certi de his intellexerint, nobis aut Ordinario Loci, aut alicui ex Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, ad hoc à Sede Apoſtolica aut à nobis deputatis aut deputandis, vel etiam viris in ſæculari Magiſtratu, ſuper his legitimam Iuriſdictionem, authoritatem, ac coercionem habentibus, quemadmodum in conſcientia tenentur, prodant, reuelent, atq; mediante Iuſtitia ſi non reſipuerint, exterminent, aut exterminari fideliter curent. Eiuſdemq; Concilij Statutis ac Decretis inhęrentes,

Pag. 234 d. &c.

in hærētes, omnibus & singulis confessis & contritis, qui ad hæc, aut aliquid horum operam efficaciter dederint, aut quocunque modo strenuè laborauerint de omnipotentis Dei misericordia, & Sanctorum ac Sanctarum huius præcipuè Prouinciæ protectorum, & Patronorum meritis, ac precibus, confisi, centum dies de iniunctis eis pœnitentijs, misericorditer in Domino relaxamus.

53. Istis atque alijs, quæ ad extirpandas hæreses, & ad fidei incolumitatem, vel vtilia vel necessaria videbūtur, proxima & persimilis debet esse cura, contra Magiam, Veneficia, fascinationes, aut incantationes, & de his quæ quouis alio modo læsionem vel diminutionem aliquam habent pietatis: vt sunt diuini cultus, Sacramentorum, sacrarum cæremoniarum, & Ecclesiasticarum traditionum neglectus, vilitas & contemptus, & præceptorum Dei & Ecclesiæ transgressiones, aliaq; iustitiæ diuinæ & humanæ, quæ secundùm Deum est contraria.

54. Vt autem fidelis populus, ea quæ ad diuinum cultum spectant, non solùm non negligenter, sed religiosè magnoq; cum affectu, sine intermissione & defatigatione quotidie exequatur; vt ad suscipienda Sacramenta maiori cum reuerentia atq; animi deuotione accedat; vt omnes diuinas, Apostolicas & Ecclesiasticas leges atq; obseruationes, inuiolabiliter, religiosè, ac propensa voluntate obseruet; vt sacras cæremonias, & pias religiosasq; consuetudines (quæ externa quædam Christianæ religionis vincula sunt, quibus solutis, omnes sensim religionis & pietatis nerui soluuntur) eadem qua fecerunt maiores pietate veneretur ac prosequatur; vt denique in omnibus Christianæ iustitiæ officijs, cum exultatione currat, omniaq; ex Dei ac proximi amore cū delectatione perficiat: Præcipimus & statuimus, vt omnes Ecclesiarum Parochialium rectores, & alij curam animarum habentes, & quibus onus docēdi populum impositum est,

postpositis inutilibus quæstionibus, de his quæ ad catechizandum, & instruendum populum Christianum pertinent, quotiescunq; vsu venerit, populum catechisent, & instruant, iuxta formam ac rationem in Catechismo ex Decreto Oecumenici Concilij Tridentini ad Parochos, præscriptam; vt quemadmodum vnus est Dominus, vna fides; ita & vna sit tradendæ fidei, ad omniaque pietatis officia populum Christianum erudiendi communis regula, atque præscriptio.

55. Cùm inter alia Christianæ religionis mysteria, a Missa magnam contineat populi Christiani eruditionem; vt populus eorum quæ in ea leguntur ex verbo Dei notitiam ac gustum aliquem habeat; iniungimus parochis & singulis curam animarum gerentibus, alijsque Concionatoribus, vt frequenter in cõcionibus aliquid eorum quæ in Missa leguntur, exponant, atque inter cætera sanctissimi huius sacrificij mysterium aliquot declarent, & cæremonias in Missa obseruari solitas, pro populi captu & temporis ratione explanent.

56. Hac occasione instruatur populus, quomodo tempore tremendi sacrificij Missæ se b gerere debeat, & quã reuerenter, quamq; perseueranter flexis in terram genibus, in spiritu humilitatis & animo contrito ab initio vsq; ad finem adesse, & quemadmodum in Concilio prouinciali sub Hermanno Quinto & Adolpho tertio, omnibus Pastoribus & verbi diuini Concionatoribus iniũctum & mandatum est; gladio spiritus tollantur hi, alijque si irrepserint abusus: vt vbi à pluribus simul in eodẽ templo ad diuersa altaria sacrificatur, populus ab altari ad altare ad S. hostiæ eleuationem non discurrat: vt ad orationem Dominicam, sicut plerisq; moris est; perinde ac si absolutum esset Sacrificium, templum non egrediãtur; vt nec in cœmiterijs, nec in templis circũambulent, donec ad sacrosanctæ hostiæ eleuationem signũ detur, qua è longinquo conspecta, & erecto corpore salutata, intermissę tãtisper inambulationes resumãtur. 57. Eam,

Concil Prouinc sub Hermanno 5. parte 7. cap. 19. & 21 Adol. 3 in inquisitio. quæ à Decanis tam Collegialibus, quàm Ruralibus, & Ecclesiarum Parochialiũ rectoribus inquiri debent §. 17. & 18. p. 485. a.

a Cõcil. Prou. sub Herman. 5. parte 7. ca. 25. Adolp. 3. in inquisitiõ. quæ à Decanis tam Collegiatarum Ecclesiarum, quàm Rurali. &c. inquiri debent. §. 26. p. 485 d.

b Cõcil Prou. sub Herm. 5. parte 7. c. 16. Concil. Prou. sub Adol. 3 c. Animaduertentes populum in decretis illius Concilij p. 450 a & in Inquis. ab Adol. 3. ad examen & visitationem Decanorum & Pastorum digestus § 26. pag. 485. d. et

57. Eandē prorsus ob causam, lingua *a* vernacula pro Concionibus populo explicandi sunt ritus, exorcismi, benedictiones, omnesq; in vniuersum cæremoniæ, quæ in Baptismo alijsq; Sacramentis & Ecclesiasticis officijs ab Ecclesia obseruantur.

§ 92. pag. 488. vbi ambulatoribus negari vult absolutionē & sanct communionem.

58. *b* Instituta præterea Ecclesiæ, sanctasq; consuetudines, & anniuersariarum sollemnitatum ac temporum mysteria, vbi occasio tulerit diligēter explanentur.

a *Adol. 3 Ibidem §. 19. b.*

b *Cōc. Prou. sub Herm. 5.*

tota parte 9 Adolp 3. in Inquisitio. quas Decanis & Pastorib. proponendas constituit §. 61. 62. 63 pag. 487. b.

59. Proponatur item fidelibus, quid eo die Ecclesia Dei per vniuersum terrarum orbem precetur, quidq; potissimum oret, vt rectè pieq; instructi, vota ac desideria sua, orationibus matris suæ Ecclesiæ conforment, ac cū vnicæ illius columbæ gemitu in vnitate fidei maximo animorum consensu, & sensus consensione conspirent: hacq; comprecationis vnanimitate efficiant, vt Ecclesię orationes facilius exaudiantur, & hoc quod petitur abūdantius præstetur, iuxta ineffabilem hanc Christi promissionem: *Dico vobis quia si duo ex vobis consenserint, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Nam si consensus duorum, tantum apud Deum valeat, quanto magis vnanimitas omnium. Quamobrem aliquando precationes seu Collectæ quæ in Missa primo loco ponuntur, fidelibus accuratè pieque exponantur; quod ad finem Concionis fieri commodè poterit, vt ipsa Ecclesiæ oratio, sit Concionis conclusio.

Concil. Prou. sub Herm. 5. parte 6. c. 22

Matth. 18.

60. In quē vsum edi cupimus libellum pro Latinis Latinum, pro Germanis verò Germanicum, in quo huiusmodi orationes Dominicarum, festorum, & feriarum exhibeantur. Damusque negotium ciuitatis Coloniensis Pastoribus, vt quàm primùm hoc factum curent.

61. Solliciti præterea sint Parochi, vt singulis diebus Dominicis & Festis, à prandio, vnam horam ponant

Ado 3. in Inquisiti quæ à

Decanis, & pastoribus inquiri debent § 10. pag. 484.

ponant in tradendis ex professo doctrinæ Christianæ initijs, instituendisq; parochiæ suę pueris, qui scholas frequentare non possunt: alijsq; etiam adultis rudioribus, quales multi (prô dolor) inter pauperes, mendicos, famulos, ancillas atq; mechanicos reperiuntur, catechisandis & erudiendis, in his quæ sine salutis suæ periculo ignorare non possunt.

62. Neq; hac in re segnes sint, eamue, quemadmodum hactenus multi facere visi sunt, tanquã puerilẽ aut se indignam à se reijciant, cùm non ignorent & horum animas (pro quibus quod fide iusserunt iam scriptum est in libris æternis) non minoris apud Deum precij esse, quàm cuiusuis alterius, quauis terrena felicitate inter homines eminentis. Et ad se in primis pertinere sciant quod Apostolus ait: *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, præsertim cùm vident, maiorem hæreticos habere curam, magisq; multo in occultis conuenticulis laborare, vt animas à Christo abducant, occidant, mactent, & perdant, & non erubescere insaniam doctrinæ suæ, Christianæ doctrinæ, seu verbi Dei nomine palliatam, quibusuis offerre, & sine vlla verecundiæ fronte, omnibus passim importunè obtrudere & inculcare. At neq; se ab hoc opere, per grauiores occupationes excusent; cùm vix vlla possit esse occupatio grauior, & aliæ si quæ sint, facilè vnius horæ patiantur aut præuentionem aut dilationem, cùm aliàs frequenter multæ horæ minus vtiliter collocentur.

1. Timoth. 5.

63. Quod si hoc opus non vnius videbitur esse hominis; adsciscant sibi Sacellanos seu Vicarios suos, si quos habent, adiutores, vel si qui sint Sacerdotes & Clerici in eorum parochia habitantes, illorum operam ad colligendam hanc messem quibuscunq; possunt modis expetant & requirant. Quinimò ex ipsa Laicorum multitudine, adeoq; ex ipsis quos catechisabunt, viros ac mulieres,

lieres, præ cęteris honestos ac graues, & quos ad lucrifaciendos instituendosq; alios, prę alijs idoneos iudicabunt, quò hoc prestare possint, diligentius & accuratius instruant, & ad ferendā opem in re tam pia, tam magna ac præclara, permoueant. Quid enim magis pium quā Christo Domino semen suscitare? cùm in veteri lege, quando omnia in figura contingebant, maledictus haberetur qui esset sterilis, & afficeretur ignominia, qui recusabat suscitare semen fratri suo. Quid verò maius, quidue præclarius & excelsius, quā vt qui per fidei, spei, & charitatis Sacramētum facti sunt fratres Christi; per fidei, spei, & charitatis sementem, fiant quoque Christi Patres & Matres?

Deut 25. Matth. 12. D Gregorius hom. 3 in Euang quæ est lectionis eiusdem.

64. Agent hæc Pastores, non quidem vt ipsi ocientur, fingentes negotia & impedimenta quæ non sunt, vt se quasi à vili & humili opere, honestiori titulo, vel quocunque prætextu liberent; sed puro, intimo ac vehementi zelo, salutis animarum, vt multorum auxilio & pia cooperatione breui tempore, quamplurimos Christo lucrifaciant.

65. Quod si fortè alios habeant, per quos æquè ac forsitan melius maioriq; cum fructu quàm per seipsos hæc præstare poterunt; nunquam tamen, quando poterunt adesse, personæ suæ præsentiam ignauiter vel verecundè, aut quouis alio modo reprehensibiliter subducant: sed ad conciliandam sanctissimis pijssimisque hisce conatibus maiorem authoritatem & gratiam, ad dirigendos quoque prouehendosque ipsos Catechistas seu instructores, nec non ad auertenda incommoda, quæ alioquin ad intermissionem vel negligentiorem horum laborum ac studiorum prosecutionem facilè irrepere possent, semper ipsimet adesse studebunt; & pro officio munereq; suo, cooperatores suos, diligētia, studio, atq; labore suo, in laborioso officio, quod ex charitate Dei & proximi susceperunt, continebunt. Curabuntque pastorali

sollicitudine, ne vlli sint ex grege sibi credito, qui ad salutaria eiusmodi salutis documenta, singulis diebus Dominicis & festis non conueniant.

66. Prudentissimè illud cuiuis verbi Dei ministro cõsiderandum, & diligentissimè obseruandum est, quod ex Beato Gregorio Nazian. ad instructionem docentium, admonentium, & exhortantium in Pastorali suo profert D. Gregorius Magnus; non vnam, eandemq; exhortationem cunctis congruere, quia non cunctos par morum qualitas astringit. Quare in tradẽdis fidei mysterijs & vitæ præceptis, doctrina ad audientium sensum, & intelligentiam accommodetur; atque pro audientium ætate, ingenio, moribus, conditione omnia omnibus efficiantur: vt & omnes Christo lucrifaciant, & seipsos fideles ministros & dispensatores probare possint; ac velut serui boni, fideles, & prudentes (qui nouerint vnicuique in tempore dare tritici mensuram) digni sint, qui supra omnia à Domino constituantur.

In prologo 3. partis Conci. prouinc. sub Herman. 5 parte 6 ca. 8.

Matth. 25. Lucæ 12. Ephes 6. Coloss. 3. 1. Tim 3.

67. Præcipuè verò doceant quæ vniuscuiusque ordinis siue status atque ætatis sint partes atque munera. nimirum:

Adolph. in inquisit. quæ à Decanis & pastorib. in quiri debent §. 8 p. 484 b

68. Vt Principes & magistratus sæculares, primam ac summam diuini cultus habeant rationem, eumque maiorum suorum exemplo & zelo omni studio promouent, multiplicent atque defendant.

69. Vt Ecclesiæ Præfectis assistant, suaque authoritate, potentia & seueritate opitulentur; vt fides Catholica (quæ est cultus diuini, omniumq; bonorum fundamentum) vbi labefactata est, restituatur, vbi per Dei clementiam salua & incolumis est, omni sua vigilantia, sollicitudine, & præsidio defendatur, & conseruetur. Et quemadmodum Ezechias & Iosias, potentiæ suæ præsidijs, Sacerdotibus quondam ac Leuitis, ad idololatriam exterminandam adfuerunt: ita Catholicæ Ecclesiæ Episcopis, eorumque Vicarijs, & Coadiutoribus adsint, ad repur-

4. Reg. 18. 22 2. Paral. 29. 34.

repurgandas pernitiosæ doctrinæ sordes, atq; ad confringenda omnium hæreticorum machinamenta.

70. Vt leges ab Imperatoribus contra hæreses & schismata latas fideliter & magnanimiter exequantur, & hæreticos in errore obstinatos, & ipsos in primis errorum magistros aliorumque seductores, quantum possunt, iuxta legum formam exterminent; ne ipsi omnisque populus cum eis iusto Dei iudicio, cùm vires sumpserint, ab illis exterminentur, atq; irascente Domino, & ipsi & omnis eorum posteritas pereant de via iusta; eo quod perdẽtes & perditos quando poterant, punire ac à populo fideli, ne eorum peste inficeretur, & cum eis in æternum perirent exterminare nolebant. Diuino enim iudicio cum eis agitur, vt qui noluerunt mala vitare cùm possent, nõ possint vitare cùm volunt, & qui sponte incurrunt mala prægnita, fugere non possint experta.

71. Vt Sacerdotes Dei honorent, foueant, ac tueantur.

72. Vt ad tuendam Ecclesiasticam iurisdictionem, & immunitatem gladio & armis collaborent, & quæcunque pro his in sacris Canonibus constituta, definita, Imperatorumque legibus sancita & confirmata, atque à maioribus suis recepta, & in vsum ducta fuerunt; ipsi pari pietate, recipiant, confirment, & inuiolata ab omnibus seruari satagant.

73. Vt omnia quoque reliqua sacrorum Conciliorũ, Episcoporum, ac Prælatorum suorum Decreta, tanquã Ecclesiæ filij cum veneratione recipiant, ac obedienter humiliterque obseruent.

74. *Vt procurent quò eadem ab alijs simìliter recipiãtur & obseruentur, atq; in omnibus disciplinæ spiritualis exercitium, quando ita postulat Ecclesiæ Magistratus, sæcularis brachij auxilio adiuuent.

75. Vt

*Statut VVilhel cap. 20. p. 172. a Deut 13 cap. Si audieris. causa 23. qu. 5 & cap. Si propterea. ca. De Ligurib. cap Quali nos. Ibi. Psal. 2. D. Greg c. 2. l 4. in 1. Reg. exponensverba cap 9. Et clamabitis in illa die, & nõ exaudiet vos Dominus.

*Conc. Trid. sess 25. ca. de obseruand. & recipien. Concil. decret. D. Gregor. li 7. epi. 47 Conc Prouinc. sub Herman 5 parte 4 c. 15. Conc. proui. sub Adolp. 3. in Decret & Cens. cap. Quod si

qui Apostatæ, pa. 447. b Idem Adol. in Inquisi. ab hæreseos insimulatũ inquirẽdis. § vlt pa. 505 a. & in Synod. Diæces fer 5 post Remigij Anno 1550. habita, in mandato quod incipit, Quanquam diuinis legibus, pag. 506. c & 509. d, Imperator Carolus 5. in formula Reformationis Anno 1548. proposita & recepta.

Esaiæ ca. 49. 75. Vt omnibus modis studeant, vt iuxta Esaiæ Prophetæ vaticinium Ecclesiæ Dei nutricij censeri mereantur, & cum Iustiniano dicere possint; *Nos omni prouidentia curam Ecclesiarum gerimus, per quas & Imperium nostrum sustineri, & publicas res per clementiam Dei muniri credimus.*

Nouella 42.

3 Reg. 20. Psal. 49 cap Qui vitijs 23 quæst. 5. 76. Vt in alijs omnibus, quæ ad mundi regnum & populi gubernationem pertinent, externam politiam, morum iustitiam, & in omni pace tranquillum Reipub. statum tueantur; quo suis eius perturbatores, omnesq; maleficos seuera animaduersione, ne scelerũ participes fiãt, sine dissimulatione compescant, atque digno supplicio, etiam extremo, si res ita postulauerit, afficiant.

Exod 23. Deut. 1. Esaiæ 33. Eccl. 20. 77. Vt diligenter aduigilent, vt in Iudicijs omnia incorrupta sint, & absque personarum absque munerum acceptione, absque timore, cupiditate, odio, amore, omniq; praua affectione suum cuique ius dicatur.

D. Bernar. ad Eugen lib. 1. cap 18. 78. Ne quis scienter causam iniustam defendat, aut definitiuæ iustæ sententiæ frustratorias & venatorias inducat dilationes.

79. Ne quis iniusta mensura aut pondere, frumentũ, panem, vinum, cereuisiam, aliasque merces vendat.

80. Ne qui pannum vendunt, ita eum extendant, vt eius madefacti longè minor mensura inueniatur, quàm qua primùm venditus erat.

Adolp 3 in his, quæ de Laicis et plebe inquirenda sunt §. 63. 64 65 &c. Statu Sifrid. c. 12. pa 55. b 81. Ne quis noxia vel iniqua & fraudulenta commixtione merces suas corrumpat, & emptorem decipiat, quod aliquando cum multorum hominum vitæ discrimine fieri posset.

82. Ne qui pacto vel monopolio pretia rerum pro arbitrio suo statuant, vel merces suas pluris, quàm communi hominum iudicio valent, vendant.

D. Ambr. li. 3 Offic ca. 6 D. Chrysost hom. 39 in 1. ad Corinth. 83. Ne qui frumentum comprimant, & annonam in frugum inopia faciãt duriorẽ: sed si aliquos tales esse cognouerint, eos vt veros gurguliones, & publicos hostes, Patriæ

Patriæque pestes, ac qualibet fera in humaniores, seuerè puniant, & in Repub. sua esse non patiantur: vt ne & ipsi participes sint maledictionis, cuius Sapiens meminit: *Qui abscondit frumenta, maledicetur à populis.*

84. Vt in arctiore annona famem patientibus per seipsos succurrant, granaria omnia perlustrent, priuata & publica aperiant, frumentum quod in his habent, non solùm sine lucro; sed potius, quod sinceræ charitatis est, etiam suscepto in se aliquo damno, communi æstimatione vilius vendant; iniquum omne frumenti pretium ad æquitatem contrahant; atque vt quamplurimi annonam aduehant, vectigalia aliaque onera negotiatoribus remittant, eisque lucra & commoda, sicut Claudium Imperatorem fecisse scribit Suetonius, proponant. *cap. 18.*

85. Ne quis, vbi ex credita pecunia thesaurum comparauerit, de composito bonis suis cedat, & thesauro furtiuè alio transportato, creditores fallat.

86. Ne quis vsuras exerceat.*

* *Statut. Henr. Anno 1306. edit cap. 4. pag. 61. b. c.*

87. Ne Iudæi, siue viri, siue mulieres, vsquam in populo Christiano compareant, nisi iniustitiæ atque insaniæ suæ Symbola palam præ se ferant; & nihilominus compellantur decretali, *Post miserabilem (extra de vsuris)* satisfacere. *Concil prouinc sub Nicolao Cusano. Cardinal. cap. 5 pag. 247.*

88. Ad has aliasq; omnes iniustitias, iniquitates, fraudes, & dolos à populo, cui præsunt exterminandos, nón solùm eos teneri ex charitate; sed & ex iustitia, atque officio suo ita doceant esse obligatos; vt ad resarciendum damnum, quod Respub. per eorum notabilem culpam & negligentiam passa fuerit, obstringantur, adeoque omnem iniquitatem Deo esse execrabilem; vt propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos transferat regnum à gente in gentem. *Exod. 23. Deut. 22. Rom 1 cap. Error, dist. 83 cap Si culpa tit. de iniurijs. ca. Non satisfacit 86 cap. de forma. 22 quæst 5. cap Quantæ, De sen-*

89. Et

tentia excommunicat. cap Regum, & cap. Administratores. 23 quæst 5. cap. Ego ff. de iureiur. Cap Non inferenda 23 quæst. 3. D Ambrosius lib. 1. officiorum, ca. 36 D. Thomas secunda 2 quæst. 62. artic. 7. Nauarrus cap. 24. manualis, numero 15. & cap. 25 numero 8. §. 23. Eccles 10.

Vide Bullam Cœnæ Domini.

89. Et quod plurimi interest, ex periculo coniuncti Anathematis, subinde declarent, quàm temerariè agant, qui de Apostolicis Diplomatibus iudicium sibi vsurpant:

Cap Quanquam, *de censib. in 6. Concil prouinc. sub Adolph. 3. Medio sexto. cap vltimo pag 448. a. b. Item cap.* Accepimus. *capit.*

90. Qui Clericos ad præstanda vectigalia compellunt.

91. Qui contra exemplum Constantini de eorum personis aut causis, de matrimonio, de Decimis, de Pijs testamentis, alijsque ad forum Ecclesiasticum pertinentibus actionibus censent, & vel inuadere iurisdictionem, vel violare libertatem seu immunitatem Ecclesiasticam, quauis ratione præsumunt.

Peruenit cap Ad hæc, & cap. Perlatum est, in eiusdem Concilij Decretũ. pag 453 b. c. d. Et pag 454. a Item in inquisit. quæ à Decanis & Pastorib. inquiri debent § 94 95 pag 488 d. Synod. Diœcesana Anno 1550 feria 5. post Remigij habita, in mandato cuius initium est Quanquam diuinis legibus, *pag. 512 b c statut. D. VVilhelmi, cap. 16. 17 pag. 168. c d. statut. D. Frid. cap. 33. pag. 208. d. Synodus Diœcesana Anno 1551. sub Adolph 3. habita, feria 2. post Dominicam* Inuocauit, *tit. 5. & 6. pag. 529. d. Concil. prouinc. sub Henrico, Anno 1310 habita, cap 3 pag. 78 d.*

Ecclesiast. 7. 1 Thess. 5. Prouer. 8. Deut. 17. Matth. 22 1 Corint. 14. Hebr. 13. 1 Pet. 2. cap. Quia frater. *93 dist cap.* Si quis. *7 q. 1. Conc. Trid. sess. De delectu ciborum D Bernard de præcep & disp. sub medium. *Exod. 16. 1. Regum 8. Rom. 13. 1. Corinth. 14. * Syn Diœc. 2. Octob. Anno 1548. sub Adolph 3. habita pag. 412. a.*

92. Populũ omnẽ crebrò admoneãt, vt omni honore ac beneuolentia prosequantur Præpositos suos, eisq; in omnibus obediant, quos qui audiunt Deum remuneratorem audient, qui verò contempserint Deum ipsum vltorem sentient.

93. Leges omnes tam sæculares quã Ecclesiastici Magistratus, & quæcunque ritè præcipiunt, sicut rectius * Dei quàm hominum mandata dicuntur, ita etiam statim à legitima promulgatione; nisi obligatio expressis restringatur verbis, non solùm coram hominibus adeuitandã pœnam ab ijs infligendam; verùm etiam in conscientia ad peccatum obligare, non veniale modò, sed quandoq; etiam mortale, præsertim si vel contemptus adsit, vel magni momẽti res præcipiatur. Atq; adeò tãtę quandoq; esse obligationis, vt mors potius subeũda sit, quã violẽtur.

94. *Quæcunq; igitur in generalibus & prouincialibus Concilijs, atq; sacris Episcoporũ Synodis, & Constitutionibus populo præscripta sunt, diligenter eidem à Pastoribus & Concionatoribus inculcentur, ne eorum ignorantia teneatur.

95. At ve-

95. At verò quemadmodum maximè tenentur Pastores peruigilare pro animabus sibi commissis,& vniuscuiusq; vultum agnoscere,easq; ipsimet pascere, atq; singulis conuenientia dare salutis documenta, & quæcunque eis à Deo & Ecclesia præcepta & præscripta sunt annunciare:ita Christi fidelium est Pastori suo, qui pro eis redditurus est rationem,semper adhærere,eius vocem & instructiones libenter audire,quo in statu salus animæ suę sit, & quæ sint pro illius incolumitate facienda, ex illius ore magno cũ desiderio cognoscere; ac idcirco parochialem Ecclesiam suam, & Conciones pastorum suorum, studiosè ac diligenter frequentare. Ad quod ex statuto & definitione Henrici Colonienſis Ecclesię Episcopi admoneantur teneri (nisi rationabilis & euidens causa excusęt) in quatuor præcipuis anni festis, Paschæ nimirum, Pentecostes, Omnium Sanctorum,& Dominicę Natiuitatis. Inducãtur præterea, vt quod dictis diebus de iure facere tenẽtur, alijs quoq; diebus faciant,præsertim die Epiphaniæ Domini,Festis Beatæ Mariæ virginis, Die cinerum,Dominica Palmarum,nec non in Ieiunijs,siue diebus Rogationum, dum supplicationes fiunt ab Ecclesia,& Ascensionis Domini,ac Apostolorum,Natiuitatis Ioannis Baptistæ, die dedicationis & Patroni Parochialis Ecclesię,diebusDominicis,ac die commemorationis animarũ, & quandocunq; in Parochiali Ecclesia, aliqua statio,supplicatio,velpeculiare aliquod festũ celebratur.

Cap.12 in statutis secundario ædiis, Anno 1307. pag.71.c.

Ibidem & tit de Parochis cap. Concil. prouinc. sub Hermano 5 parte 7. cap.24.

96. Atq; licet ad Pastores præcipuè pertineat, ea quæ ab Ecclesia statuta & prędicata sunt,populo indicare,singuli tamen verbiDei prędicatores,tam Regulares,quàm sæculares,Ecclesiæ Dei præcepta Ecclesiæ quoq; suæ,siue illius in qua concionem habent,proprios dies festos, ac alias annuas pias obseruationes feriandi,ieiunãdi, & abstinendi à carnibus(instante tẽpore quando in vsum venire debent) singula tamẽ pro gradu suo tempestiuè,populo annuncient & obseruanda commendẽt, ac quibus modis religiosè integreq; seruanda sint,& quid in eis vitiosum ac reprehensibile fuerit cõmonstrent.

Concil prouinc.sub Herman 5 parte 9 cap 9. 10. 11. Adolph 3. in Inquisit. quas Decanis & Pastoribus in visitatione proponendas dige. sit. § 93 pag. 488.d.

97. Ac

97. Ac initio quidem Quadrageſimalis ieiunij, & eo durante frequenter de obſeruatione & ratione ieiunij, & quinam ad illud teneantur, edoceant, atq; Canonem, *Omnes vtriuſque ſexus* (de pœnit. & remiſſ.) in Eccleſijs publicent, omneſque vtriuſque ſexus fideles, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint teneri declarent, vt ſemel in anno peccata ſua proprio Sacerdoti, ſeu Parocho ſuo, vel qui ab eo, eiuſque Superiore legitimam habeat poteſtatem, confiteantur, & S. Euchariſtiæ Sacramentum ad minus in Paſcha reuerenter ſuſcipiant, ſub pœna in contrauenientes lata, vt viui arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & mortui Chriſtiana careant ſepultura.

Concil. prouinc. ſub Adolph. 3 cap. Perlatum nobis eſt, in cenſuris eiusdem Concilij Pag. 455. a.

98. Hortentur etiam omnes, & omni contentione in vſum ducant, vt non ſolùm inſtante die Paſchę, quando corpus Domini accepturi ſunt; ſed initio quoque Quadrageſimalis ieiunij, more à Chriſtianis in Eccleſia Catholica hactenus obſeruato, peccata ſua confiteantur, cùm vt ſatisfactionem pro peccatis iniungendam, tempore conuenientiſſimo, & ad hoc conſecrato, quantum fieri poſſit abſoluant, ſeque ad Paſchalia myſteria magno cum fructu peragenda ritè diſponant; tum vt ſi propter dilatam in longum temporis interuallum confeſſionem, & peccatorum multitudinem, quidquam in prima illa confeſſione inueniatur eſſe deſideratum, illud interea temporis emendari poſſit. Maximè verò vt ſacerdotibus otium ſit, quò eos qui imparati ad confeſſionem venerint, & abſolutione indigni ſunt, perfectè inſtituere poſſint, & ad faciendam ſalutarem confeſſionem omnibus modis iuuare; quod ad feſtum Paſchæ concurrentibus vno tempore ſimul omnibus, & Sacerdotibus plurimum defatigatis, ſine periculo Confeſſarij & confitentis fieri vix poteſt, & ſine magno aſtantium & expectantium tædio non fit.

Adolph. 3. in inquiſit. quæ

99. Quinimò omnes inducant, vt frequenter per Sacramentum pœnitentiæ peccata ſua expient, & vt Deo corde

cordi sint, eiusque paternum in se affectum experiri mereantur, corda sua ab omni affectu, qui eum offendere possit, dolore, detestatione, ac lachrimis semper expurgata habeant, veroque ac sincero amore accensa & illuminata. *à Decanis et Pastoribus inquirenda sunt, §. 17 pa. 485 d.*

100. Conscientiam suam quotidie examinent, & quam viri prudentes, ac filij huius sæculi in accipiendis & exponendis pecunijs, rebusque temporalibus administrandis adhibent diligentiam, ne damnum accipiant; eandem vt filij lucis, & salutis æternę studiosissimi procuratores, ponant ad breue momentum temporis, in recēsendis totius diei dictis & factis, intimisque cogitationibus cordis examinandis: singula ad præcepta Decalogi, & gemina charitatis præcepta, debitumque muneris sui scopum expendentes. *D Gregor. Homil 4 li. 1. in Ezech.*

101. Modum rectè cōfitendi, & quæ ad salutarem pœnitentiam salutaria ac necessaria sunt, populo sæpe proponāt, ac pios libellos, vnde peccatorum species cognoscere possint, & ad instituendam rectè confessionem dirigi ac iuuari, eis commendent: qualem censemus esse libellum sodalitatis Francisci Costeri.

102. Exterminent à Sacramentali Confessione, longam ac generalissimam illam confessionem, qua ad verbum recitata, multi se peccata sua optimè confessos esse persuasissimum habent, vt qui nullum non peccatum in genere recensuerint, cuius se reos non dixerint. *D. Thom. opusculo de modo confitendi, conditione; Quod confessio debet esse vera.*

103. Instante die quo solennis aliqua habenda erit supplicatio, processio, aut statio, exhortentur Christi fideles, vt omnes ad profitendum fidem suam, ad celebrāda crucis Christi mysteria, ad glorificandum in benedictionibus multis nomen Dei sui, & ad comprecandum pro necessitatibus Ecclesię Reiq; publicę conseruatione, magna deuotione, animorumq; concordia sub vexillo crucis Christi in vnum conueniant, stent, & procedant; atq; ab abusibus in Concilio prouinciali sub Adolph. 3. damnatis, *De processionib. vide libellum sodalitatis D. Frāciſci Costeri. In censuris, & decretis, Concil prouinc sub Adolph. 3. Cap. Nihil prope tam San*

ctum, pag 451. & in inquisit. quas idē Archiep. Decanis & Pastorib. præscripsit, §. 32. pag. 456. Concil. prouinc. sub Herman 3. parte 9. ca. 7. 8 9. 2 ad Cor 6. D Leo serm. 4. de quadrages qui legitur Dominica in quadrages. in officio Romano

Vide exēpl. 1. Reg. 2. de Heli.

natis, omniq; cursitatione, confabulatione, risu, ioco, ac quauis alia dissolutione, seu irreuerentia, religiosè abstineant; vt nemini dantes vllam offensionem, vituperationibus obloquentium non sint obnoxij. Digna enim re prehensione ab aduersarijs fidei, & Catholicę religionis æmulis carpentur, & eorum vitio, linguę impiæ, in iniuriam se religionis armabūt, si ipsorum mores in actu religionis, à puritate Christianæ professionis discreparint.

104. Dies festos ac sacra Iciunia, quæ ex præcepto Ecclesiæ coluntur & obseruantur, singulis diebus Dominicis, in singulas hebdomadas de suggestu populo denūcia re nō omittāt, & sæpè moneāt ad hæc obseruāda sub peccati mortalis periculo, omnes Christi fideles obstringi.

105. In quibus præstandis ne filij familias, famuli, & ancillæ negligentes sint, aut à parentibus, dominis, siue dominabus impediantur; crebra inculcatione docendi illi sunt, non solùm teneri eos, vt illos ab obseruatione præceptorum Ecclesiæ non impediant, sed & vt in ea re negligentiores excitent, transgressores corripiant & corrigant, atq; inuitos quibuscunque possunt modis cogant & compellant. Nam quod de Sacerdotibus scripsit Chrysostomus: *Sacerdos etsi propriam bene dispensauerit vitam, aliorum verò non cum diligentia curam habuerit, cum permitiosis in gehennam vadit*: etiam in parentibus, præceptoribus, dominis, omnibusq; præfectis, ex cura & disciplina filiorum, discipulorum, famulorum, omniumq; subiectorum neglecta, locum habere arbitramur.

In 10. cap. Ioannis.

Cap Duo 23 quæst. 4.

106. Ne caupones, nautæ, carrucarij, tabelliones, pastores ouium, armentarij, bubulci, ac reliqui omnes iumentorum pecudumq; ac vinearum custodes, alijq; similis sortis homines, quiq; vel cū hominibus externis negotiū habent, vel extra hominum consortium versantur, aut tanquā vagi & errones, per regiones ac ciuitates discurrunt tam brutales & irreligiosi fiant, vt homines, aut certè Christiani esse non videantur, nullisq; Ecclesiæ legibus

Adolph. 3. in Inquisit. quæ de laicis & plebe fieri debent. §. 25. pag 500. a.

gibus teneri, ac ita prorsus obliti Domini Dei sui, vt nullũ inter festos & profestos dies faciant discrimen; intenti tantùm vt ventrem siliquis impleant, cõtempto verbo Dei, ac viuificis redẽptionis suæ mysterijs, sine quibus omnis anima fame perit: persuasum esse cupimus omnibus Pastoribus & verbi Dei prædicatoribus, multos imò quãplurimos inter hos, esse à Deo electos, & ad vitam æternam prędestinatos, qui non tam malitia quàm crassa ignorantia, & cæca quadã vitæ consuetudine, profundè in peccatis suis dormiunt, eò quod dormiãt ipsi, qui eos extimulare, & ab hoc lethargo excitare deberent. Quos vt excitemus, quò ministrorũ Ecclesiæ officium illis nõ desit, quin instructionibus, monitionibus & exhortationibus salutaribus excitati, resipiscant & salui fiant; omnes Pastores & Cõcionatores hoc decreto censemus monendos, vt pręter alia charitatis & vocationis suę officia publicè & priuatim, per se aut per alios hisce præstanda, frequenter ad eos sermonẽ in concionibus suis conuertant, & pro gratia sibi data, ea in mediũ adferant, quæ eos acriter cõpungant, vnde in timore Domini concipiant spiritũ salutis, quo viuificati anteactæ vitæ eos ex animo pœniteat, & Ecclesiæ præcepta ceu certissima & necessaria æternæ salutis subsidia, tota voluntate amplexentur, & religiosè obseruẽt; ita vt diebus Dominicis & festis nihil prius habeant, quã vt sacrę concioni attẽti intersint, & propiciatoriũ nouę legis, à Christo Domino institutũ Missæ sacrificiũ, in spiritu humilitatis & corde cõtrito, vnà cũ sacerdote Deo Patri offerant, & per odorẽ suauitatis illius, se suaq; omnia, diuinę eius maiestati cõsecrent; & quò eadẽ illius clementiæ faciant acceptiora & commendatiora; omnẽ sollicitudinem suam in illum proijciant, scientes, quoniã ipsi cura est de ipsis, seq; hac in spe, promissione eius magis magisq; confirment, quoniã ipse dixit: *Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis: & non te deseram, neque derelinquam.* 1. *Petri* 5. Matth. 6. Lucæ 12. Hebr. 13.

107. Quoniam quandoq; videre est, pauperes & mendicos, tempore diuini officij & sacræ concionis, perinde ac si illa nihil ad eos pertinerent, inuerecundè & irreuerenter per templum obire, & populi attentionem importunis emēdicationibus in petendis eleëmosynis perturbare; monendi illi sunt, non minus sua quàm aliorum interesse, vt vnà cum alijs attentè, reuerenter & deuotè diuinis officijs, sacrisq; concionibus interfint, & eleëmosynas ante fores templi petant; atq; insinuandum populo, in statutis Synodalibus sub Henrico & Herman no quarto, ad præscindendam hanc inuerecundiam constitutum esse, vt in Ecclesijs eleemosynas petentibus, nihil tribuat; sed quod largiente Domino eis dare volebat, hoc eis ante Ecclesiarum fores dilargiatur.

In statutis Henrici in vere æditis, cap 14 pag. 103 b. statut. Herman. 4 § 26. pag 275. a. Concil prouinc sub Herman. 5 parte 3 cap 25.

108. Admoneatur quoque populus & frequenter & acriter, vt à deambulationibus, fabulis, alijsque irreuerentijs in domo Dei se contineat, non tantùm, quando diuina peraguntur mysteria, aut conciones habentur, sed omni omnino tempore: atque pueros & canes, quos à clamoribus strepitu atque latratu cohibere non valet, domi relinquat, memor sermonis Domini. *Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Et sanè acriter, ac exemplo Domini magno feruore hoc agendum est, cùm abusus ille videatur fidei esse defectus, eamque vnà cum charitate in Deum tantum refrixisse, quantum in cauendis & tollendis huiusmodi abusibus, pietatis zelus decreuerit, esseque proximum, vbi hæc inualescunt, vt quod reliquum est in diuino cultu, pereat, ac tandem auferatur regnum Dei, ac detur genti facienti fructus eius.

Esaiæ 56. Ieren. 7. Matth. 21. Marc. 11. Lucæ 19. Adolph. 3. in Synod. Diœcesan Anno 1549. 2. Oct. habita pag. 462. b.

109. Arguantur & illi, qui audita concione, imò neaudita quidem concione, sed Euangelio duntaxat, mox templum egrediuntur, ac perinde, ac si Ecclesiæ præcepto in eo satisfactum esset, neglecto (quod prę cipuū erat) sacro Missę officio, reliquum diem in ocio in obambulationibus,

Concil. Carthag. 4. cap. 24. de Consecrat. dist. 1. cap. Sacerdote.

bus,conuiuijs,compotationibus,ebrietatibus,ludis,adeundiſque ſpectaculis, vel operis aliquid ſeruilis faciendo conſumunt ac perdunt. Moneantque eos audito in primis Miſſæ ſacrificio & ſacra cõcione, reliquum diem animo & corpore in pietatis & religionis officijs eſſe trãſigendum. Ideoq; matutino & veſpertino tempore diuinum officium ſolenni cantu in templis, adhibita etiam inſtrumentali melodia prolongari, vt hiſce Chriſtianæ pietatis incentiuis & delitijs ab omni alia re, quæ eos delectare poſſet, eorumq; animos ad ſe auocare, ablactarentur, & in eiuſmodi officijs ab initio vſq; ad finem perſeuerarent: quemadmodum in primitiua Eccleſia factũ eſt, & ab omnibus longo poſt tempore obſeruatum, quamdiu opera ac beneficia Chriſti vigili mente, amanteq; animo, cuiuis cognita & perſpecta erant, & vniuſcuiusq; deſiderium, ad cæleſtia magis quã ad terrena ferebatur.

Adolph. 3. in Inquiſit. quæ à Decanis et paſtorib. inquiren. ſunt, § 92. pag. 488. d. Et in Inquiſit de laicis. § 23. pag. 499. d. Concil. Agath. cap. 21. De conſec. diſt. 5. cap. Conuenit.

110. Non ſolùm diebus feſtis & Dominicis, ſed & prophanis, maiorum ſuorum exemplo, ſtudeant S. Miſſæ ſacrificio intereſſe: cuius vt abundantem in ſe virtutem ſentiant, eius myſteria cum affectu recolant, & vnà cum oblatis muneribus voluntatem ſuam, omniaque ſua Deo ſacrificent, & ad eius ſolius honorem & gloriam omnem vitam ac mortem ſuam ei in perfectiſsimum holocauſtum offerant.

111. Sed & conſuetudinem ſibi faciant, ſæpe ac frequẽter per diem, ſancta cogitatione corda ſua à terrenis abſtrahere, & Chriſti beneficia, redemptionisq; noſtræ myſteria, vigilanti deuotoq; animo ita expendere, vt in affectum tranſeant, animumque ac omnia interiora eius, tam validè accendant, vt gratitudinis loco hoc quod acceperunt quodque ſentiunt, alijs quoq; ſecum commune eſſe cupiant, & ad hoc vnà cum paſtoribus ſuis, pro modulo ſuo, collaborare ſtudeant.

112. Moneant cunctos ſedulò, vt quę docente Paſtore in Eccleſia didicerint, eadem filios ſuos & alios, præci- *Adolph. 3. in inquiſit. quæ*

puè quorum eis cura commissa est, domi suæ doceant, eosque in omni pietate & obedientia, timore & reuerentia erga Deum ac Superiores suos, & fraterna charitate erga omnem proximum assiduè & diligenter instruant.

113. *Vt eos secum ad templum semper adducant, eorumque mores, corporis motum, atque dispositionem, ita forment, qualiter eum decet, qui cum Deo est locuturus, aut eum ad se loquentem auditurus.

114. Vt domum reuersi, eos examinent, quid ex concione obseruauerint, dentq; operam, vt ad ea maximè pateant eorum aures, & inardescat animus, quæ ad exercendam pietatem in Deum & proximum potissimè faciũt.

115. Vt nunquam cibũ sumant, nunquam cubitũ eant, nunquam è lecto vel à mensa surgant, nisi per orationẽ se Deo commendẽt, & de acceptis beneficijs gratias agãt.

116. Vt quotidie recordentur tyrocinij sui diem, in quo Sathanæ & omnibus pompis ac operibus eius mortui, & Christo in Baptismate consepulti, se ei soli victuros in Sacramenti verba iurarunt.

117. Vt ad huiusce rei memoriam, & ad innouandam atque excitandam in Deum fidem, spem, & charitatem, Symbolum Apostolorum, antelucanis & vespertinis horis quotidie recensẽant; eoque cùm horrent aliquid, animo recurrant, seque hoc cordis sui signaculo contra omnia tela nequissimi ignea muniant.

118. Ad omnẽ motum, ad omnẽ incessum, manu crucem pingant, & vniuersam crucis causam, meritũ, virtutem, & mysteriũ, tanquã incensum Deo gratissimũ, sibique adiutoriũ potẽtissimũ, aduersis autem potestatibus, cõtra omnia eorũ machinamenta horribili trophæũ, vniuersis cogitationib. verbis, & operib. suis coniungant.

119. In omni aduersitate, afflictione, periculo, seu necessitate sua, toto corde ad Deũ confugiant; ac voce salutare nomen Domini nostri Iesu Christi inclamantes, omnẽ sollicitudinem ac spem suam in illũ proijciant. Scientes quoniam eius velle iuuare est; hoc autẽ eum facturum, si pos-

à Decanis et Pastorib. inquiri debent. §. 19. pag. 484. d.

Vide D. Augustí sermo. 30. de Sãctis vel lectionẽ 8 diei 3 infra octauam S. Laurentij in Breuiar. Roman.

** Chrysó. Homil 6. ad populum Antiochen.*

Hiero. in epist. ad Heliodorum.

Ephes. 6. D. Ambros. lib. 3. de virginibus D. Aug. li 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1.

Marc. 9. Adolph. 3 in inquisition à Decanis & Pastorib. inquirendis, §. 60. 61. pa. 487. b

poscenti salutare, & satis pro merito rei desideratum.

120. Vt Deiparę virginis Marię, Sanctorumq; Angelorum, ac omniũ Beatorum patrociniũ assiduè implorẽt, eorumq; intercessionibus & meritis se Deo faciant gratiores; quò, quod ab eo desiderant facilius obtineant, & abundantiorem eius erga se gratiam experiantur.

121 Vt certos sibi ex his eligant studiorum, negotiorum, ac actionum suarum præsides, totiusq; vitæ suæ custodes; quos sibi peculiaribus officijs ita deuincire studeant, vt eorum patrocinio, protectione, atq; auxilio in omnibus periculis, necessitatibus, & difficultatibus suis frui mereantur, quemadmodum deuota ac sapiens maiorum pietas, magno suo commodo, domos, parochias, Episcopatus, prouincias, ac regna sẽper cõmendata esse voluit, eorumq; tutelæ ac patrocinio religiosè cõmissa. *Daniel. 10.*

122. Vt peculiari animi gratitudine ac deuotione ferantur, ad colendos & inuocãdos eos, quorum opera ad fidei cognitionẽ peruenerunt, & in ea confirmati, & educati sunt; eorumq; meritis & intercessionibus eã instaurari, conseruari, & posteritati suę, integram & inuiolatã, quemadmodum à maioribus accepimus, traditam iri postulent, & in hoc quoq; Sanctorum ac maiorum suorum exemplo, alijs modis collaborent.

123. Vt ad Sanctorũ patrociniũ obtinendum, eorũ exemplo, vitæq; ac spiritus consortio, à peccatis peccatorumq; illecebris, & occasionibus, ad eorum honorem se se contineant; & si quando aliquam inde maculã pro humana fragilitate contraxerint; ab ea se quàm primũ purgent, ieiunijs voluntarijs, & misericordiæ officijs, alijsq; carnis castigationibus, bonisq; operibus sanctis appropinquent. Debent enim Martyres, vt dicit D. Augustin. in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, vt dignentur pro nobis supplicare. Et proximi illi nobis sunt, inquit D. Ambros. si ipsi Martyribus, deuotionis societate, misericordiæ quoque muneribus appropinquemus. *Sermo. 46. de Sanctis.* *Ambros. de viduis.*

124. Dies eorum festos religiosè colant, eorũ corpora, Spiri-

Spiritus sancti quondam habitacula, sacrasq; Reliquias atque imagines in summa veneratione habeant, precioso velamine ornent, procubitu, osculo, cereorum accensione, alijsque pijs officijs honorent: loca eis dicata, vel eorum Reliquijs, operibus aut memorijs illustria, deuotè visitent; peregrinationes eò instituant; vota eis cum iudicio, & discretione voueant; quæ vouerunt fideliter reddant; obtentorum beneficiorum signa grato animo eis ponant; Deo de eorum victorijs gratias agant, & seipsos ad imitationem talium coronarum, atque palmarũ, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoria accendant.

D. Aug li 8 de ciuit. Dei, cap. 27.

125. Ad quę vt magis inflammentur, Sanctorum resgestæ, pugnæ, victoriæ, honores, triumphi, patrocinia, miracula, & varia quæ inuocantibus se præstiterunt beneficia, cùm eorum natales celebrantur, & aliâs quandocunque dabitur oportunitas, ex probatis duntaxat authoribus & historijs recensentur; nec id quidem ieiunè aut historicè tantùm; sed ad excitandum similem fidei, spei, & charitatis feruorem, qualem Dei gratia & in Sanctis & in illorum cultoribus, qui Sanctorum intercessionibus, & meritis in necessitatibus suis mirabiliter adiuti fuerunt, viguisse videmus.

Eccl. 10. Tob 1. Galat. 6.

126. Vt vnicuique cura sit de proximo suo; & sese mutuò, exemplo pijssimi Tobię ad currendam viam mandatorum Dei, ad Ecclesiæ præcepta, omnisque iustitiæ, charitatis, & misericordiæ opera præstanda adducant, cohortentur, inuitent, & extimulent, nihilque intermittant, quod ad lucrifaciendam fratris sui animam, ad augendum & promouendum honorem & gloriam nominis Dei se debuisse facere in hora mortis suæ iudicabũt.

D. Aug. li 1. de ciu Dei, cap. 9.

127. Vt peccantes benignè admoneant; & ne ob intermissum fraternæ correptionis officium iusto Dei iudicio cum peccatoribus affligantur, semel, iterum, ac tertiò eos corripiant. Quod si ipsi corripiendo nihil profecerint,

cerint, alios quos plus obtenturos sperant, ad præstandum hoc officium inducant.

128. Vt filios suos, & in quos ceu parentes, tutores, præceptores, domini aut præfecti & inspectores authoritatẽ habent, non modò peccantes corripiant, sed & quemadmodum de obseruatione præceptorũ Ecclesiæ dictũ est, [a] corrigant & castigent, atque inuitos ad omne opus bonũ quod facere tenentur cogant & compellant. Nam ad ea quæ consilij & liberæ meræq; electionis sunt, adeò cõpellendus nemo est, vt quicunq; id facere præsumpserit, vel in hoc consiliũ, auxiliũ, vel fauorem dederit, in quibusdam casibus ex vigore sacrorum Canonum anathemati subiectus sit. Quare nemo vel ad ingrediẽdum Monasterium, vel ad suscipiendum cuiuscunq; Religionis habitum, vel ad emittendam professionem, vel ad contrahenda matrimonia aliquam cogat, vel sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi sine iusta causa, impediat, quo minus liberè id faciant.

1. Reg 2. et 4. Prouerb 23. Eccles. 30.

[a] Supra §. 105. cap. Duo 23. quæst. 4.

Concil. Toletan. 3 Can 18. 32. quæst 2. cap. vltimo. Concil Parisiens 1. cap. 6. cap. Nullus 36 quæst. 2. Concil Trid. sess 24. ca 9. sess 25 cap. 18.

129. Vt singuli siue in publico, siue inter domesticos parietes agant; semper laudabiliter, & irreprehensibiliter conuersentur; & non minus filijs aut famulis duntaxat præsentibus, à verbis & factis improbis abstineant, quàm in magna & reuerenda hominum multitudine constituti abstinerent.

130. Vt probi & pij filij, qui parentes habent, impios vel improbos, aut aliter quàm Christianos decet viuentes, eos obsecrent vt à peccatis suis conuertantur. Itẽ doceant & rectè eis consulant si possint; adhibeant etiã viros graues, qui authoritate apud illos pollent, vt hoc faciant, nihilq; pietatis & Christianæ sollicitudinis prẽtermittant, vt resipiscant, & salui fiant. Si autẽ tam peruersi fuerint, vt etiam filios à pietate abducere studeant, vel eis aliquid contra præcepta aut consilia Dei vel Ecclesiæ præcipiãt, aut in his sine quibus Deo placere nõ possunt,

quoquo modo molesti sint; dictum sibi cognoscant: *Si quis non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus*: & *si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te*. Atque cum D. Petro Apostolo dicant, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*.

Luc. 14. Matth. 18. Actor. 5.

131. Porrò crebris cohortationibus, & instructionib. agant, vt omnes & singuli agnoscant, fugiant atq; horreant peccatorum turpitudinẽ & immanitatẽ; ac seruitutem, qua illis sine vlla requie seruiebant, in seruitutem iustitiæ commutent, & ad studium & amorẽ virtutum singulis peccatis, quibus tenebãtur, contrarium transferant; vt quẽadmodum seruiebant immunditię & iniquitati, ad iniquitatẽ; ita seruiant iustitię in sanctificationẽ, ad formã ab Apostolo Romanis & Ephesijs præscriptã: vt qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret manibus, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.

Psalm 36. Rom. 6. Ephes. 4.

132. Contra ea autẽ peccata, quæ cõsuetudine ita viluerunt, vt peccata esse nõ videãtur: vt sunt multis quotidiana iuramenta, periuria, votorũ violationes, maledictiones, deuotationes, blasphemiæ, irę, inuidiæ, odia, æmulationes, rixationes, lites, cõtẽtiones, detractiones, furta, lucra illicita, vsuræ, mendacia, cõuiuiorũ & vestiũ luxus, ebrietates, crapulæ, impudicitiæ, fornicationes, omissiones actionũ misericordię, aliorũq; bonorũ operũ, quãdo ad ea tenebãtur; & si quę sint alia, quorũ frequẽs vsus aut peccãtiũ multitudo, corda hominũ dementauit; tãto crebrius agãt, tãtoq; studiosius, vehemẽtius & acrius insurgãt, quanto minus ab ijs populũ esse viderint auersũ, minusq; ad ea cauenda & declinanda, instructum atq; munitum. Nihil enim potest homini Christiano periculosius accidere, quàm ad letalia hæc vulnera obstupescere, & de vulnerum medela ne quidem cogitare.

Vide D. August. cap 78. 79. 80. Enchiridij. Plura quæ huc pertinent, vide in Inquisitionib. quas Adolph. 3. ad visitationem & examen plebis edidit, pag. 499

133. Et cùm videamus Christianam charitatem adeo nunc refrixisse, vt in omni Christianorum ordine, in omni statu ac ætate, magna sit ad omne vitiorum genus facilitas, magnaq; pronitas & inclinatio: censemus Catholi-

tholico Concionatori, nullum omnino peccati genus prętermittendū esse, quod non, quādocunq; dabitur occasio, prudēti circūspectione & methodo tractandū, & à Christianorū finibus expellendū, suscipiat, & quātopere à Christiana professione, & libertate alienū sit peccatis seruire, declaret; quandoquidē illa non solū non patiatur inter Christianos peccata regnare, sed ne nominari quidē, & Deum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex omni mente ita diligendū præscribat, vt ne quidē remissio ab intentione inchoatæ & inceptæ charitatis facienda sit vnquam; sed ad perfectiora semper contendendum. Nam & otiosum verbum, & leuis ira in iudicium vocatur. *Ephes 5. Luc. 10. Philip. 3. Matth. 12. & 5. D. Bernard. serm. De Baptismo. de Sacram. altaris, de ablatione pedum habito in cena Domini.*

134. Quādo peccatū quod exterminatū erat, & à Christianorū vita diu exulauerat, in Christianorū mores rursum irrepere, vel aliud nouū prodire animaduerterint, mox vt decet sollicitos supra populū Dei speculatores, qui nolint silentio suo animęq; suę periculo, populū cui superintēdunt perire, buccina vocis suæ vniuersum populū excitent, & qua parte aduersarius, qui circuit quęrēs quē deuoret, in castra Dei studeat irrūpere, ac fidei, spei, & charitatis munimenta deuastare, commonstrent: atq; tāquam Pastores super gregē suum, semper vigilātes, in ipsis principijs, antequā consuescere malū inceperit, (difficilius enim reprehenditur, quod permittitur consuescere) ei validè resistant, primisq; eius excursionibus potenter occurrant; nempe vt peccantes ita corā omnibus arguant, vt cęteri eos imitando peccare timeant. Quod, vt prudenter & ea qua par est circūspectione faciant, atq; feruenti quidem, sed ordinata, ac pastorali charitate perficiant; consultissimum fuerit, in Synodis Pastoralibus, huiusmodi causas tractandas proponere, ac communi deliberatione, communique iudicio definire. *Frater enim qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium.* Si tamen quid graue acciderit, in quo eorum iudicia hærent, vel tanti non sunt *Ezech. 33. 1. Timoth. 5. 1. Cor. 4 et 5. Galat. 1. & 3. Proverb. 18.*

ponderis, vt authoritatem facere possint, hoc ad próximam Episcopalem Synodum referant, plurium ac maiorum iudicio exquirendum, maioriq́ue auctoritate & censura definiendum.

135. Quia verò in ciuitatibus ac locis, vbi magna populi frequentia est, & in quibus viget negotiatio & mercatura, cùm ex consuetudine cũ hæreticis, tum ex iniquis cambijs, vsuris, varijsq́; & nouis dolis, ac fraudibus, quotidiè noui exoriuntur conscientiarum casus, qui nec sine magno iudicio, & eruditione explicari queunt, nectã longam semper patiuntur tẽporis dilationẽ, vt superijs vel pastoralis vel Episcopalis Synodi resolutio expectari sine incommodo possit: præcipimus & mãdamus, vt Pastores ciuitatis Metropolitanę Colonienſis, singulis mẽsib. loco aliquo publico cõueniant, & difficultates quas vel ipsi, vel eorum Coadiutores seu Capellani, vel Pastores alij, in alijs ciuitatibus aut pagis Diœcesis Coloniensis habitantes in ministerio suo experiuntur, inter se cõferant, examinent, ac communicatis consilijs & iudicijs se inuicẽ, ac quoscunq; alios, in quibus possunt, iuuent & cõfirment. In casibus autẽ grauioribus, & difficilioribus nimisq́; ambiguis, Ordinarij sui, vel nostram quoad hic erimus, aut Romanæ sedis definitionẽ & authoritatem requirant; quemadmodum à maioribus magna sollicitudine, & diligentia semper factũ, tot Decretales Romanorũ Pontificũ epistolæ manifestant. Pastores verò qui aut ruri, aut in alijs ciuitatibꝰ Dięcesis Coloniensagũt, alijq́; animarum curã gerentes, in causis & quęstionibus ambiguis, omnibusq́; officij pastoralis difficultatibus, iudicio, consilio, ac responsis Pastorum Coloniensiũ eruditi & cõfirmari petãt. Et si quẽ in parœcia sua habuerint hęreticum, quẽ quod satis eruditi non sint, ab errore suo reuocare nõ possũt, eum Coloniam, vel ad pastores prę cipuos, vel ad alios Theologos instruendũ adducãt, vt ei erroris sui tenebras manifestè reuelẽt, & Catholicæ veritatis lumen, omnibus modis cõmonstrent. 136. Vt

136. Vt autem Metropolitanæ ciuitatis Colonienſis Paſtores, tales ſint, quales eos eſſe debere par eſt, qui alijs hac prę rogatiua & eximia authoritate prę ferantur, ac in explicandis omniũ aliorum difficultatibus, & perplexis quę ſtionibus ſoluendis, aliorum onera portent, magnãque Epiſcopalis ſollicitudinis partẽ ſubleuẽt: Volumus vt ad hoſce Paſtoratus, non promoueantur niſi viri, vt ſingulari vitæ integritate, prudentia & zelo, ita & eruditione magna alijs omnibus præeminentes; qui iuxta Bullã vnionis præbendarum, paſtoratibus hiſce vnitarum, ſint Doctores aut Licentiati, in S. Theologia vel iure Canonico, aut digni vt quamprimũ Licentiati fiant; & vt illi qui nõdum promoti huiuſmodi Eccleſias nunc obtinent, vel ad hunc promotionis gradum, omni ſtudio & diligentia contendant, vel cur id non faciant, coram nobis aut Ordinario ſuo, intra viginti dierum ſpatium, à publicatione horum Decretorum ſeſe excuſent.

137. Ad conſulendum conſcientiarũ puritati, & ad extirpandum omnem cambiorum, negotiationis ſeu mercaturæ, muniorũ, artium, ac diuerſarum operarum iniuſtitiam, & iniquitatẽ; neceſſariũ eſſe cenſemus, vt Paſtores alijq; Concionatores, prætermiſſis ſermonibus alijs minus vtilibus, cùm tẽpus, locus, & auditorium poſtulare videbitur, quæ ad cambia, & negotiationẽ, iuſtè inſtituenda, quæq; ad quæuis munia, artes, operas rectè & piè exercenda requiruntur, pro Concione explanent, & caſus omnes ad faciendã reſtitutionem obligantes, recenſeant, fraudeſq;, dolos, & vſuras, (quantum ſine ſimplicium, & fraudes ignorantium periculo fieri poterit, nedum iniqua agentes corriguntur, iniqua facere diſcant, qui iniquitatis exercendę modum antè ignorabant) ſpeciatim proponant, ſinguloſq; ſedulò ac frequẽter admoneant, vt ſe diligẽter examinent, anne quidquã quod reſtitutioni obnoxiũ ſit, poſſideant, illudq; quamprimùm reſtituant. Quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

138. Quandocunque vel ad fugam & odium iniquitatis seu peccati, vel ad amorem & studia virtutum populum excitabunt; nõ solùm aut terroribus eum verberẽt, aut præmiorum laudibus erigant, vel proposita etiam virtutis pulchritudine eum ad faciendam virtutẽ duntaxat alliciant, peccatiq́ue turpitudine, & abominatione peccati inijciant horrorem; sed & modum ac rationem doceant, qua à pristina consuetudine mala, potenter, & efficaciter abducatur, & ad faciendos quotidie in via virtutis magnos progressus, in interiori homine corroboretur; vt tota voluntate in hoc ardeat, & perseueranter sic currat, vt ad perfectum, quò lex perducere non potest, perueniat, illudq́ue comprehendat. Cùm autem multa adduci possint, quæ ad cuiusque peccati extirpationem, & ad inducendas, exercendasq́ue virtutes plurimum conferant; meminerint tamen ad innouandam interioris hominis creaturam, nihil tantã habere efficaciam, nihilq́ue tam necessariũ, & à noui testamenti prædicatore magis prædicandum; quàm præuenientem, viuificantem, cooperantem, dirigentem, conseruantem, ac consummantem Christi Redemptoris ac vnici Saluatoris nostri gratiam; qua occęcatus hominis animus, ad ea quæ salutis suæ sunt illustratur; voluntas ad bonũ in primo eius effectu præuenitur, ex praua & rebelli corrigitur, ac in bonam & rectam mutatur, correcta in singulis operibus bonis, & tentationibus omnibus superãdis, potenter & misericorditer ita adiuuatur, &, vt bonũ velit, & vt bonum operetur; atque vt malum odiat, illudq́ue persequatur; ac vt in bono proficiat, & ad finem vsq; vitæ suæ perseueret. Ad hanc gratiam impetrandam & obtinendam, media sunt, Sacramenta, & oratio. Sacramentis quidem gratia confertur: oratione verò exercetur desiderium nostrũ quo possumus capere, quod Deus præparat dare. Illud enim valdè magnum est, sed nos ad accipiendum valdè parui & angusti sumus. Tanto autẽ latio-

D. Augu. de nat. & gra. cap. 68.

Ioan 15. 1. Cor. 4. 2. Cor. 3. Philipp. 2. Conc. Arausican. 2.

D. Aug. epi. 121. cap. 8. 1. Cor. 3.

latiores sumus ad accipiendum, quanto id & fidelius credimus, & speramus firmius, & desideramus ardētius. Ad frequentem igitur Sacramentorum vsum, & orationis familiaritatem, in primis excitandi semper erunt, quicunque vel ad relinquenda peccata, vel ad superandas tentationes, vel ad quascunque virtutes alias exercēdas, doctrina & exhortatione dirigentur.

139. Quando concionem habituri sunt, diu ante considerent, quid sint dicturi, nec vnquam ingenio aut dicēdi facultate, & consuetudine ita cōfidant, vt sine diligenti studio & præparatione ad concionandum prodeant, & temerè quidquid in buccam venerit, profundant.

D. August. de doctr. Christ. li. 4. ca 15. 18. a 1 Petr. 5. D. Greg. cap. 11. li 19 mor. ca 24 li. 22. moral. cap. 1. li 1. cōment. in 1. Reg Ad illud: Noua cula nō ascēdet super caput eius. *Conc prouin. sub Hermā. 5. parte 4. ca. 8 parte 6. ca. 4 12. & 13.*

140. *a* Ad præparationem hanc in primis pertinet, vt recta faciant intentionem suam, & sola Dei ac proximi charitate, ad concionandum moueantur, vnicū sermonis ac laboris sui scopum ponendo, in excitatione & promotione pietatis; vt in eo, q̄ vice Dei positi dispensant, nihil se humanitatis admisceat; nihil sit in verbis aut moribus, quod ad vanā ostentationē faciat; nihil quod ex ambitione prosiliat; nihil quod ex æmulatione, indignatione, contentione, auaritia, vel quouis alio prauo affectu procedat; sed subtili examine cuncta discussa, & discreta sint, & in rationali iudicij, pro sola interni iudicis intentione definita.

D. Greg. parte 2 past. c. 2.

141. *b* Erigendus ac confirmandus deinde meditatione est animus, ne timore, metu, verecundia, vel adulatione, ac studio placendi hominibus magis q̄ Deo, animi robore dissipato, verbū Dei alligetur; & ad euadendas irrisiones, ingratitudines, aliaq; incōmoda, pericula, & tribulationes, subterfugiāt aliquod Dei consiliū populo annunciare; faciantq; huius vitæ cōmoda, aut ipsam vitā suam pretiosiorē anima sua: sed euangelij causa, & procurādæ salutis proximorū gratia ad prædicandam veritatē tanto acrius instigentur, quo vel maiore persecutione premuntur,

b Hic seruiūt nōnulla Psal. 39. 52. Sap. 7. Esa. 3. 12. 40. 41 43. Iere. 1. 7. 15. Ezec. 3 & 33 Ionæ 1. 3. Matt. 10. Marc 8. Luc. 9. 10. Act. 4. 5. 20. 27. Rō. 1 Gal 1. Ephe. 6. 2. Thess 3. 2 Tim. 1. & 2. Apoc. 2. et 3 D. Cypr. de hom 9 l. 1. in Cat. Catech.

exhort Mart. ca 10 D. Greg. c. 21 lib 31. Mora part 2 past. c. 4. & 8 Lib. 1 epistol. epist. 24. & Ezech. D. Prosp li. 1. vitæ cont. ca. 20. 22. Plura vide apud Auton Pess. in lib. de rat docendi

mũtur, vel impia cogitatione ad molliter vel eneruiter agendum, vehementius tentantur: vt nunquam taceant siue proficiãt, siue non proficiant auditores; siue eisdem placeant, siue displiceant.

Actor. 4. Matth 10. Historia tripart. l. 10 ca. 33 D. Grego. lib 31. Mora. cap. 25.

142. Proinde si Princeps quispiam, aut sæcularis Magistratus silentium eis imperet; meminisse debent Apostolorum, quibus cùm esset non sine graui interminatione mandatum, ne vltra de Christi nomine loquerentur, dixerunt: *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate; non enim possumus nos, quæ vidimus & audiuimus, non loqui.*

143. *a* Et vt non sint velut æs sonãs, aut cymbalum tinniens aërem duntaxat verberantes, seu inani verborum strepitu aures ferientes, & ad ostium cordis non penetrantes; non tantùm curare debent vt habeant quod cõgruenter dicant, & hoc quod dicturi sunt bona intentione, sine timore & adulatione pronuncient; sed (quod etiam ad illa quàm plurimum facit) vt id ipsum ipsimet quoque sentiant; nec sentiant modò; sed & in se ipsis habeant; vt hoc quod loquendo docturi sunt, non è labijs tantùm, sed & ex corde proferant, aliorumque vitam non loquendo saltem, sed vitæ quoque suæ exemplo cõponant: adeoque non solùm descriptiones Rhetoricas, aut definitiones Dialecticas faciant; sed quemadmodũ maximè eos decet, qui pro Christo legatione funguntur, rem ipsam actu demonstrent; vt *b* forma facti fidelium ex animo, in sermone, in conuersatione, in fide, in castitate cum D. Paulo, verè & confidenter dicere quisque possit: *Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Magnam quippe illius sermo ad excitandam fidem ac spem, & ad accendendam in alijs charitatem habet virtutem, qui cum hisce virtutibus plenus sit, totusque charitate ardens, & lucens, de ijs loquitur, non vt de rebus extra se positis, & quas tanquam canalis siccus, ac forsitan immun-

munditia sua etiam horridus, ad alios transfundere velit; sed vt eas ipsas verè possidens, & purissimum fontem aquæ viuæ, in ventre suo scaturientem habens, e quem foris deriuet, in plateas diuidat, & abundantia sua supereffluens, in flumina latissima effundat. Lucerna autem quæ in semetipsam non ardet, rem cui superponitur accendere non potest.

a D. *Augusti lib. 4. de de doctr. Christ. ca. 27. D. Gregorius lib. 19. cap. 6. & li 25 ca. 30. & li. 31. cap. 21 moral. Item parte 3 pastoralis cap. vltimo. & lib. 2. cap. 4. in 1 Regum exponens verba hæc.* Et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. *Et libro tertio cap. 1. in 1. Regum exponens illud.* Iudicauit quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ. *Et lib. 4 cap. 4. exponens illud.* Senuit autem Samuel b 1. *Pet. 5. 1. Timoth. 4. Tit. 2. Philip. 3 Concil. prouinc. sub Herman 5. parte 5. cap. 3 & parte 6 ca. 8. c Prouerb. 5. Ioan. 7. Vide D. Bernardum serm. 18 & 59. in cantica. D. Gregor Homil. 11. & 18. lib. 1 in Ezech.*

144. Mundi igitur sint, qui alios mundare ex officio & professione sua debent, & à peccatis omnibus ita abhorreant, vt horrore suo peccatorum horrorem alijs incutiant. In semetipsos ardeant, qui ad illuminandum & accendendum alios, supra candelabrum positi sunt. Nihil in moribus, nihil in omni conuersatione, & vita eorum reprehensibile appareat, qui alijs ceu pastores, doctores, & recti itineris duces, ad præcedendum, exhortandum, & extimulandum verbo & exemplo præpositi sunt, sed quæcunque vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc in eis resplendeant, hæc ad aliorum eruditionem, directionem, ad faciendam quoque prædicationis suę fidem, & ad existimationis, regiminis, ac ministerij sui authoritatem confirmandam, vita & conuersatione sua tanto illustriori forma possideant, & præ se ferant, quãto * caput pedibus, montes vallibus, cœlum & solterris, Reges ac consules plebeis, & Angelis hominibus decet esse excelsiores.

Ioan. 8. *D. Greg. 18. moral. c. 15.* *Philip. 4.*

* *Psal. 71. Esaiæ 40 & 33. Malachiæ 2. Apocal. 2. 3. D. Greg. cap. 2. & 4. lib. 9 moral & li. 4. moral. cap. 33. Item lib 34. moral. cap. 4.*

145. Proinde apud laicos cœnare aut prandere, quasi

domi non haberent quod manducarent, & familiaritates aut consuetudines cum eis inire maximè recusent: omniaque vitent quæ ministerij sui dignitatem, atque authoritatem, aut in contemptum adducere, aut dedecorare, vel imminuere quouis modo possent; & in omni colloquio, ac conuersatione sua grauitatem, decorem, mansuetudinem, humilitatem, & benignitatem teneãt, à persona quam sustinent non alienam.

Concil. prouinc. sub Hermanno 5 parte 5. ca 6.

146. Et ne qua vel sua, vel auditorum suorum culpa prædicationis sermoni aut fructui quidquam desit; ante quam concionem aggrediantur, in spiritu humilitatis & contrito corde, accedant ad eum in cuius manu sunt & ipsi, & sermones eorum, & corda auditorum suorum; vt pro se ac illis sint oratores, antequam dictores. Orent autem, vt viri desideriorum, instanter & ex totis præcordijs, per merita ac virtutem passionis Christi, cuius gloriam quærunt, & ouium eius salutem, vt æternæ sapientiæ Spiritus cogitationes, intelligentias, voluntatem, ac linguam ipsorum illa hora ita dirigat, vt occurrat quod & ipsis eo tempore dicere, & per ipsos maximè expediat audiri: atque vt idipsum eo modo dicant, quo dici & ad honorem Dei efficacius, & ad salutem proximi vtilius & oportunius diuinæ bonitatis, & sapientiæ instrumento, ac Christi vicario congruát; vt in omnibus à Spiritu sancto regantur, non à suis opinionibus; ille in eis loquatur, non ipsi, illiusque sint viuum & rationabile instrumentum, ad eius instinctus suscipiendos, & exequendos pro eius voluntate & nutu semper paratum. Orent etiam pro auditoribus suis, vt Deus eorum corda aperiat, & admirabili potentia, & bonitate sua rebellium ac repugnãtium contumaciam emolliat, vt intendant his, quæ ad ipsos dicenda sunt, eaque corde bono ac optimo suscipientes, retinentes, ac ruminantes, in patientia fructum faciant cẽtesimum. Fortassis enim sic * prædestinati sunt, vt ipsorum orationibus concedantur, & pro corde lapideo,

D. Greg ho mil. in Ezech 12. & hom. 4 ac 17. super Euang. Sap. 7. D. Augustli 4. confess. cap. 15. & 30. D. Ambros. in psalm. 36.

Acto. 16. Isaiæ 45. Luc 8.

**D. Aug de correp. & gratia lib. 2. cap. 22.*

deo, accipiant cor carneum, ac gratiam qua conuertantur & resipiscant.

147. Huius rei etiam auditores suos admoneant, eosque ex vetustissima Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, initio concionis ad vnanimiter comprecandum, & implorandum, per merita & intercessionem Deiparæ Virginis Mariæ, Christi gratiam excitent. Quam ob hoc peculiariter per Angelicam salutationem, eo tempore inuocari sciant: quod singulari prærogatiua ac electione omni gratia plena Christi secreta nouerit, Deique verbum ac lucem in mundum attulerit, ac potentissima sit ad ipsius verbi fructum, suum patrocinium magno affectu inuocantibus, impetrandum.

148. Instruant etiam illos, qui seducti sunt, aut erronea opinione præoccupati; vt cauteriatam conscientiam deponant, & sine præiudicio, mansueto, ac beneuolo animo, ea quæ dicenda sunt audiant, nec tam attendant vilitatem dicentis, quàm dictorum veritatem, & illius, cuius locum tenent, maiestatem. *1. Tim. 4. Eccl. 5. 2. Corinth. 13.*

149. Pronunciatio nec submissa nimis, nec clamosa sit, neque etiam nimis aut tarda aut præceps; sed clara, firma ac grauis, quæque à priuato colloquio plurimum distet, vt intelligantur publicam personam gerere, & loqui tanquam Superiores ac Christi Vicarij.

150. Sacræ Scripturæ verba, & Conciliorum, ac Sanctorum Patrum sententias, cum maiestate quadam, ac singulari sermonis pondere proferantur: ita tamen vt nihil aut affectatum appareat, aut de composito factum videri possit, sed è dicentis dicendorumque dignitate, sine coactione, aut data opera, naturaliter profluere.

151. Non laborent, vt multa in medium adferant, perinde ac si vna concione omnem scientiam, eruditionē, ac totū spiritū suū exhaurire, vel effundere velle videantur, sed vt pro ratione auditorij pauca eaq; bona bene *Prouerb. 29.*

ac solidè dicant atque efficaciter persuadeant.

152. Non sint curiosi vel anxij in faciendo verborum delectu, vt quæ proferunt humanæ sapientiæ verbis ornatissimè proferant; sed potissima cura sit de re ipsa, & sic loquantur prout Spiritus sanctus dabit eloqui ipsis: vt omnis eorum sermo charitate, ac omni virtute plenus sit, & non tã ab ipsis, quàm ab inhabitante eos Spiritu, & eorum corda ac linguas mouente; per os eorum prolatus intelligatur.

1 Cor. 2. 2. Cor. 11. D. Aug. lib. 4. de doctr. Christ. cap. 7. Actor. 2. Vide D. Ambros. epistola 63. lib. 8 & D. Prosper lib. 1. de vita contemp. cap. 23. & 24.

153. In proferendis S. Scripturæ sententijs vtantur vulgata & veteri S. Bibliorum editione, perpetuo sanctæ Ecclesiæ vsu comprobata.

154. Ne suæ prudentiæ innixi in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinę Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueant, contra eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum.

Cap. Hæreses 24 quæst. 3 Conc. Trid. sess. 4. tit. de editione sacrorum librorum cap. 9. Synod. in Trullo cap 19.

155. Ne nouas allegorias comminiscantur, sed eas seligant ex receptis ab Ecclesia scriptis.

Concil. prouinc sub Herman. 5 part 7. cap. 24

156. In Concionibus de Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, seruent Constitutionem Pontificis Pij Quinti, quæ incipit. *Super speculam Domini*. datam apud S. Petrum anno 1570. pridiè Calend. Decemb. Atq; apud rudem plebem à difficilioribus & subtilioribus quæstionibus, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus nulla plerumq; fit pietatis accessio, prorsus abstineant. Incerta item & quæ specie falsi laborant, non commemorentur.

Vide etiam Constitutio. Xixti 4. in extrauagant Comm. libr. 3. de reliquijs et veneratione Sanctorum cap. Graue nimis, *&* Cum præcelsa merita. *Concil. prouinc. sub Herman. 3 parte 6. cap. 10. & parte 7. cap. 23.*

157. In quæ-

157. In quæstionibus non diligenter digestis, aut nōdum plena Ecclesiæ authoritate firmatis, ne temerè aliquid definiant, neq; faciles sint, vt in genere aliquid peccatū esse audacter asseuerent, cùm communis obseruatio obnititur.

158. Indulgentias non euulgent, nisi ab Episcopo vel eius Vicario recognitæ fuerint. Cùm verò publicandæ erunt, faciant vt populus vim ac efficaciam earum intelligat, seq; ad eas vberrimè consequendas, omnibus modis componat. Nam tanto plus quisque meretur, & efficacius indulgentiam consequitur, quanto cumulatius & deuotius præstiterit opus, pro quo concessa est. *Bonifacius 8. extrauag. com tit. de pœnit. & remiss.*

159. Vt populum Christianum in aduersitatibus & afflictionibus consolentur, & confortent, non ædificent *a* super arenam, promittētes ei, si in Christo piè vixerit, incertam sæculi huius fœlicitatem, quam Deus nec ipsi quidem sæculo promittit: sed in iustitia & timore eum confirmantes, ad tentationes & varias afflictiones, magno & parato animo suscipiendas eum præparent, & cū Christo prædicēt, labores super labores vsq; in finē vēturos ipsi sæculo, ac Christianum, quia *b* Christianū aliquid plus passurū in hoc sæculo: Christi enim & Sanctorum eius passiones imitandæ sunt Christiano, non delitiæ, quibus corrumpatur, conquirendæ; quæ si promissæ non venerint, superueniente tribulationum tempestate prosternatur, & fortassis extinguatur.

a *Vide de hac re D. Aug. in tractatu de Pastoribus qui est sermo 79. in sermonib. Iouinij seorsim excusis. cap. 5. ad illud Ezechiel 34.* Quod infirmum est non confortastis. *Matt. 7. Thren. 2. 1. Timoth. 6. Hebr. 13. Apocalip. 12.* b *Math. 24. Luc. 21. Ioan. 15. 16. D Gregor. ca. 1. libro 34. Moralium D. Augustin. in psalmum 96. in fine. D. Cyprian. de bono patientiæ. D. Bernhardus in psalm.* Qui habitat. *Conc. 5. in fine. 1. Petri 1 Psal. 72. Iob. 2. 1. Corint. 15*

160. Ne autem infirmus vel terrore prædicatarum &

imminentium tentationum incipiat contremiscere, claudicare & nolle accedere, vel in ipsis tentationibus labi & deficere; pollicitatione misericordiæ Dei, & præmuniendus, & erigendus erit: non quia tentationes deerunt, sed quia non permittet eum tentari supra quàm potest ferre, & quia maior ille est ad protegendum, quàm Diabolus ad impugnandum.

Psalmo quinquagesimo quinto. Matthæi sexto. Lucæ duodecimo. 1. Corinth. decimo Hebr. duodecimo & decimotertio. 1. Petri quinto. Psalmo vicesimo sexto D. Cypriani de exhortatione Martyrum capite decimo, vndecimo & c. Huc quoq; seruiam quæ habet D. Bernard. in psalm 90. Qui habitat.

Concil. prou. sub Herm. 5. part. 6 ca. 16.

161. Cùm in vitia & scelera inuehentur, non hominum, sed peccati odio id facere ostēdant, neminem apertè vel tacitè commonstrantes, vt de quo loquantur facilè auditores animaduertere possint.

Ibidem & Cap. 17.

162. Eos qui in Ecclesiasticæ seu sæcularis dignitatis gradu collocati sunt, ne asperius obiurgent, sed paterna, leni, piaq; cohortatione admoneant.

D. August. de bono perseuerant lib. 2. cap. 21. in fine & cap. 22

163. Caueant quoq; ne in redarguendis, & corrigendis populi peccatis, ad auditores redargutionis suæ verba conuertant, & quasi in audientium frontem compellando collidant: dicendo per secundam personam, hoc aut simili modo: Vos estis tales, vos ista facitis: sed ad ipsos quasi de alijs loquantur per tertiam personam, dicendo. Sunt qui hæc & illa faciunt. Illud enim vt verissimè dici possit, ita sanè improbissimè, & incongruentissimè dicitur, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini infirmitatis humanæ apposito.

164. Vt per totam Diœcesin Colonien sem sit vniformitas in Epistolis & Euangelijs, diebus Dominicis & Festis pro concione explicandis, & non aliud Euangelium vel Epistola ab hoc concionatore, aliud ab alio, vno eodemq; die in concione tractandum suscipiatur: Volumus vt Pastores ciuitatis Colonien sis in Calendarijs ac tabellis, quæ ritum celebrandi diuini officij præscribunt, Epistolas & Euangelia pro concione explicanda, singulis

singulis diebus Dominicis & Festis annotari, & annotata edi curent, eaque, & non alia à Concionatoribus in concione explicari. Qua in re vt certus & perpetuus sit ordo, more Breuiarij Romani, Epistolę & Euangelia, quæ post Epiphaniam superueniente Dominica Septuagesimæ superfuerunt, ponenda erunt post Dominicam vigesimam tertiam post Pentecosten.

165. Finis concionis sit breuissimus Epilogus, vt quæ dicta sunt, facta breui ac facili commemoratione, facilius capiãtur, & firmius retineãtur, & auditores se profecisse intelligẽtes, alias lubẽtiori ac attẽtiori animo adsint. *Concil prouinc. sub Hermanno 5. parte 6. ca. 26.*

166. Finita concione, seria adhortatione ea populo commendent, quæ communibus totius Ecclesiæ votis & orationibus, à Deo obtinenda sunt. In primis autem orandum esse sciant pro Pontifice Maximo, pro Romano Imperatore, pro Episcopis, Regibus, Principibus, ac omnibus qui in sublimitate, aut magistratu aliquo positi sunt; vt à Deo in omnibus dirigantur, eiq; placita cupiant, ac tota virtute perficiant, & ad diuinam gloriam propagandam semper vigilent, religioseq; & magnanimiter conspirent: Pro operariorum excitatione, & missione in vineam Domini, vt tot millia hominum & puerorum, qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram suam, potius quàm nostra peccata respiciat: Pro peccatorum, infidelium, & hæreticorum conuersione & extirpatione: Pro animabus defunctorum: Deinde pro tota Christi Ecclesia, vt sit omnibus cor vnũ & anima vna ad voluntatem Dei perficiendam, omniaque concedantur, quæ ad diuinam gloriam nostramque salutem faciunt. Si verò sedes Pontificia aut Episcopalis vacet; si ad dignitatem vel ad Pastoratum Ecclesiæ in qua habetur cõcio aliquis assumendus; si ad Imperium, Regnum vel quemcunque populi magistratum quisquam promouẽdus: Si sæcularis magistratus mutandus, & alij in locum eorum, qui defuncturi sunt surrogandi; si qui videntur regere populum, non rectè suo munere fungantur; & si

1. Timoth. 2. Hier. 29. Baruch. 1. Vi de D. Aug. de ciuit. Dei lib. 19 ca. 26.

Ionæ 3.

Conc prouin. sub Hermanno 5. parte 6. cap. 27.

& si quid aliud immineat, vnde Reipub. aliqua clades, aut graue aliquod periculum timeatur; aut si sagittæ iræ ac vindictæ Domini in populum peccantem iam emissę sint, eumque vt ad cor redeat & reuertatur ad percutientem se affligant: moneatur clamare ad Dominum, eoq; affectu, quo res tanta impetranda est, siue Litanijs, siue alijs orationibus causam suam commẽdare, ac ieiunijs, & eleemosynis se dignum facere, qui exaudiatur. Pro meritis enim subditorum disponitur vita præsidentiũ, vt vel diu bonos habeant, vel boni peccent & peruertantur, vel diu non viuant, aut mali præficiantur, diuque regnent, vel conuertantur à vijs suis malis & boni fiant, aut de medio tollantur, & succedant meliores, similes, aut peiores.

Concil prouinc sub Theod. anno 1423. habitũ cap. 9. pag. 235. vide ca 23. 4. 6 10. Iudic &c. Zacha 11. Adolp 3. in forma mandati delegatorij, seu cõmissionis dãdæ visitatoribus pag. 471. c d. 2. Reg 24 Esa. 1 & 3. Hebr. 11. Sapientiæ 4. Iob 34. Iud 13 Oseæ 13. Ecclesiast. 10 Vide D. Gregorium libro 25. moralium cap. 20. lib. 2 epistolarum cap 68.

167. Cùm verò iam nihil pœnè malorum superst, quod Diœcesin ac Prouinciam hanc non apprehenderit, adeoq; (pro Clericorum ac Laicorum socordia, qui in his otioso videntur viuere animo, & afflictionem suam non videre, sed in ipsis periculis iræ Domini, potius ad peccata & consuetudinem suam pristinam malam adijcere, quàm ad percutientem se, toto corde conuerti) magis extrema desolatio expectanda sit, quàm vlla afflictionum quæ premunt, speranda relaxatio: vt nos nihil paterni, ac Pastoralis officij prætermittamus, quod ad compungendos, & permouendos fidelium animos facere possit, eosque ad clamandum instanter contrito corde ad Dominum magnopere incitare, exemplo D. Theodorici Archiepiscopi Colonienſis inducti, omnibus vtriusque sexus contritis & confessis, qui ad pulsum campanæ circa Solis ortum & occasum, ter salutationem Angelicam flexis genibus deuotè recitauerint, & meridie orationem Dominicam & salutationem Angelicam dixerint cum hac collecta:

Concil prou. sub Theodor. cap. 10 pag 235.

Respice

Respice quæsumus Domine super hanc familiam & vniuersam Ecclesiam tuã, pro qua vnigenitus Filius tuus Dominus noster Iesus Christus de sinu tuo descendere, manibus q̃ tradi nocentium, ac tormentum & mortem crucis subire dignatus est. Per eũdem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat &c. ac pro præmissis & omni Ecclesiæ necessitate in honorem incarnationis & passionis Dominicæ piè Deum orauerint; de cœlestibus Ecclesiæ thesauris, quorum Dei & Apostolicæ Sedis gratia facti sumus dispensatores, quinquaginta dies de iniuncta eis pœnitentia, magna commiserationis benignitate, toties quoties id fecerint relaxamus.

168. Facta vt præscriptum est, rerum communi oratione postulandarum commendatione ex ordinatione Cõcilij Prouincialis sub Hermanno Quinto habiti singuli Concionatores orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum fidei, & Præcepta Decalogi, non quidem compendio quodam, seu epitome, sed ad longum sine alicuius sententiæ aut verbi omissione, tractim ac clarè, vernacula lingua pronuncient, moneantque populum, vt pronunciantem tacitè subsequatur, vt pueri & alij qui eadem ignorant, frequenti auditione illa discant, & memoriæ firmius commendent.

Parte 6. cap. 26 cap. Deus qui *De pœnit. & remiss.*

169. Eandem ob causam pronuncient interdum professionem fidei, vel in fine concionis, vel in alia eius parte, vt & occasio, & argumenti, ac auditorij ratio ferret.

170. Ad extremum, dicta generali confessione, & absolutione, populum salutari ac glorioso viuificæ crucis signo consignent, & in pace dimittant, aut si mox peragendum erit diuinum officium, benigna inuitatione ac persuasione, eum detinere studeant, vt illud corporis ac animi sui præsentia, cohonestare, augere, & Ecclesiæ vota votis suis ad faciliorem exauditionem iuuare velit.

Concil. prou. Sub Hermanno 5. parte 6. cap. 26.

D. Greg. in cõclusione moralium, et homil. 12. lib. 1. in Ezechiel.

171. Cùm à suggestu descenderint, intrent in curiam cordis sui, & conuocatis cogitationibus mentis, super his quæ præscripta sunt, quæq; aliunde, vel conscientiæ suæ testimonio, ac Spiritus sancti inspiratione, officij sui esse cognouerint, vigilanter & sine dissimulatione sese discutiant. Et si negligenter sese egisse, si insufficienter, si non appositè, si incautè quidquam dixisse se deprehenderint; doleant de præterito, caueant de futuro; quatenus agnitio lapsus faciat eos in posterum prudentiores, vt sollicitius ambulent, & fortius, vbi ceciderunt, pedes figant. Vbi autem inuenerint omnia vel aliqua, quæ sui erant officij laudabiliter peregisse, ei gratias agant, à quo se id accepisse non dubitant; & satagant, vt in eo proficiant, ac profectu suo ita vtantur, vt Deo promouẽte ad potiora conscẽdant. Habenti enim dabitur, & abũdabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

D. Aug. de doct. Christ. li. 4 cap 30. Matth. 25.

172. Post hæc ardenti oratione sese ad Christum conuertant, eiq; prædicationis suæ ministerium suppliciter commendẽt, orantes, vt virtute ac meritis passionis suæ, semen quod iactum est viuificet; & ad faciendum incrementum, ac fructum copiosum perducat; quod negligẽter actum est, clementer indulgeat; quod insufficienter dictũ, misericorditer suppleat; quod incautè excidit, benignè, ne obesse possit, caueat; & ad maiorem in posterũ studiorum & laborum diligentiam, doctrinæq; vbertatem, ac prudentiæ circumspectionem, gratiam ac virtutem suam subministret; & quidquid impedimento esse possit, vel auferat, vel ne officere possit, impediat; vt omnino per ipsos non stet, quò minus auditores voluntatẽ Dei intelligant, faciant, & de die in diem progrediendo ac perseuerando salui fiant.

173. Cùm nullus sit omni ex parte adeò perfectus, quin vel in moribus, vel in pronuntiatione, gestu, & corporis motione aut ipsa denique oratione, vita ac conuersatione sua,

ne sua, aliquid subinde ptoferat à persona quam gerit alienum, sueq; authoritatis & dignitatis splendori pulueris aliquid offundens; quod tamen non omnes ob nimium sui ipsius amorem, ac oculorum suorum, ad cognoscenda sua vitia caliginem semper aduertant: vtile censemus & hortamur, vt singuli Cõcionatores eligant, si habere possint, virum aliquem Ecclesiasticum, sibi coæ- *Eccl. 6.*
qualem, grauem, ac cui non minus quàm sibi ipsis tribuunt, quem constituant omnium actionum suarum, totiusque conuersationis suæ censorem ac iudicem, & ab eo in veritate cognoscant, quę inquisitionis, & discussionis suæ examine non offenderent.

DE ALIIS PASTORALIS MVNERIS functionibus.

174. Quod verò ad alia pastoralis muneris officia spectat, & in primis ad Sacramẽtorum administrationem, in ijs administrandis, alijsq; officijs Ecclesiasticis obeundis, ac diuino cultu celebrando, ea omnia quàm diligentissimè obseruent, quæ ex generali Concilio Tridentino à nobis aliâs *publicata sunt, & in prouincialibus ac Diœcesanis Concilijs, Synodis & Constitutionibus, atq; in hisce nostris Decretis, titulis de diuinis Officijs & Sacramentis vel repetita, vel recens restituta & adiecta sunt. Curentq; vt & ipsi, ac Sacellani, vel Coadiutores, ac Socij sui, corpore ac anima ita semper cõstituti sint, vt quamuis importuna & intẽpestiua hora, ad Sacramentorum administrationem requirantur, semper parati, prompti & alacres inueniantur, ad ea quæ boni Pastoris sunt, exequenda. Et licet importunissimè & valdè intempestiuè vocentur, meminerint tamen ad eximiam illã, quæ in Pastoribus esse debet, charitatem pertinere, vt çquissimo id ferãt animo, nec vllũ vnquã displicẽtię, murmuris, vel

**In mãdato quod anno 1591 Dominica 6. post Trinit. quæ fuit 21. Iulij publicatum est, cuius initiũ est. Quia parum esset, & datum Coloniæ 11. Iulij 1591.*

impatientiæ signum edant; sed si quid meritò corrigendum acciderit, hoc omni cum mansuetudine & longanimitate, non tam in ipso actu offensionis, quàm multo post interuallo, cùm omnis interna commotio plenè sedata fuerit, aut publicè aut priuatim, prout Spiritus sanctus docebit, corrigant & emendēt, & ne ab ijsdē, vel ab alijs idē fiat, vigilāter, sollicitè, & circūspectè prouideant.

175. *a* In Ecclesijs quas regunt, superintendant & curēt, vt Vicarij, Officiātes, Altaristæ, Aediles, Custodes, alijque ministri faciant, & exequantur officia & onera suarum Vicariarum, altarium, officiorum, ministeriorum, & fraternitatum. Nec permittāt iuxta ea quæ titulo de *b* Residentia decreta, & ex Constitutionibus Diœcesanis innouata sunt, vt quisquam in diuersis Ecclesijs, vno die distributiones accipiat, ne, dum hoc studet, festinanter aut præcipitanter ac perfunctoriè, ea quæ cultus diuini sunt peragendo, magis Deum offendat ac irritet, quàm placet. Quamobrem volumus vt singuli Pastores, seu Ecclesiarum Parochialium Rectores, singularum Vicariarum, officiorum, altarium, ministeriorum & confraternitatum suæ parœciæ fundationes, onera, & obligationes (compendio saltem) in scriptis habeant, eaque quotannis semel ac iterum studiosè perlegant, ac eam quam possunt faciant diligentiam, ne quid eorum, sua culpa intercidat, & pię fundationes sensim obliterentur, vel in alium quàm fundatæ sunt, vsum transferantur.

a *Ca. 12. in tē iuris & Decretis Concil. prouinc. sub Adolp. 3 pa. 448. b. c. Et idem Adol. in inquisit. quæ à Deca. & Pastorib inquirend. sunt § 98 pa. 489. a.*

b *Artic.* Ad extirpanda autē hæc.

176. Eadem sit cura, vt prædia, census, & iura Ecclesię conseruentur.

Adol 3 §. 82 in his quæ à Decanis & Pastoribus inquirenda statuit pag 488.

177. Si verò quædam obuenerint, quibus ipsi mederi nequeant, eadem Decanis seu Superioribus suis, qui hoc præstare poterunt, quàm primùm significent.

178. Ad pauperum autem & miserabilium personarū curā quā eis diuino præcepto cōmissam esse diximus, pertinere sciāt, vt hospitales sint, & ad prouidēda eis, quibus

bus æterna prædicant, temporaliũ necessitatũ subsidia, inuigilent. Primùm eis substantiam suam, deinde & animam impendant, omnesque suo exemplo ad beneficentiam & communionem Christo in proximo faciendã, excitent: eleëmosynas & iura pauperum, leprosorum, viduarum, orphanorum, ac aliarum miserabilium personarum, in parochijs suis, omni studio & diligentia tueantur, ac promoueant; exemplo Beatorum Syluestri ac Gregorij Papæ, aliorumque Sanctorum, de quibus legitur, quod omnium viduarum, orphanorum & pauperum nomina in matricula scripta habebant, & omnibus necessaria prouidebant. Quam eximiam pietatem, piamq; sollicitudinem Catholici Pastores pro munere suo, studiosissimè nunc imitari debent, ne vlli ex sibi commissis extrema paupertate fracti, spe sustentationis vitæ temporalis ad hæreticos deficiant, qui vt faciant vnum proselytum obeuntes regionem, & domos pene omnes concursantes, hac inescatione plurimos in perditionis suæ nassam pertraxerunt, qui adhuc in fide firmi starent, si vitæ huius necessaria habuissent; facileq; ad ouile Christi reduci multi poterunt, si Pastores quantum æternam eorum salutem sitiant, etiam rerum temporalium subministratione demonstrent. Vinctos quoq; & infirmos frequenter visitent, & tanquam cum vinctis simul vincti, ac cum infirmis infirmi, eis omnem quam possunt opem ac consolationem adferant, atque ad ferendas forti animo afflictiones, non solùm quas patiuntur, sed & longè maiores (si id abyssus iudiciorum Dei voluerit) eos erigant ac confortent.

Supra eodẽ, artic. 20. Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. 1 Timoth. 3. Tit. 1. 1. Petri 4. Beda cap. 20. lib. 4. cõment. in Cantic. exponens illud: Expoliauime tunica. *D. Grego. homil. 14. in Euang. quæ legitur Dominica 2. post Paschа in officio Romano. In vita S. Syluestri apud Petrum de natalibus SS. in vita B. Gregor. quæ legitur in Breuiario Romano 12. Martij. Adolp 3. §. 98. in his quæ à Decanis & Past. inquir. sunt, p. 489. & Vide & illa quæ idem in hospitalibus, quæ Col. Matt. 27. Cõ-*

legijs, Monasterijs, & Parochialibus Ecclesijs adhærent inquirenda præscripsit. pag. 497. cil. Aurelian. 5. cap. 20.

179. Cùm verò pastores teneantur vultum pecoris sui agnoscere, oues suas vocare nominatim, omnesq; populi sui necessitates, tam temporales quàm spirituales cognoscere: frequenter parochiæ suæ vicos obeant, subditosque suos inuisant. Per hoc enim & animarum, pa-

rochiali ſuæ curæ ſubiectarum, ſtatum certius explorabunt, & quibus in rebus paſtorale deſideretur officium perfectius aduertẽt, & ad illud prõptè benigneq; præſtandum magis incitabũtur, magiſq; in dilectione Dei firmabuntur. Sed vigilanter in hiſce Viſitationibus cauendũ, ne cũ ſpiritu cœptę fuerint, carne conſũmentur, & cõpotatione vel alijs modis, qui carnalẽ hominẽ afficiũt, omnis earum vigor, virtus, ac meritum perdatur.

Eccl. 7.

Galat. 3.

180. Habeant quoq; in ſingulis plateis viros ac matronas Deum timentes, graues, & quos cæteri verentur; qui alios officij ſui admoneant & adhortentur, vt Eccleſiam frequentent, maximeq; vt diebus feſtis ad preces matutinas, veſperarum, Miſſæ ſacrificium, & concionem conueniant: nihil tum operis ſeruilis faciant, multo minus aliquid criminis, vel Ethnicæ leuitatis committant, qui & rixas, & inimicitias, præſertim inter coniuges, mox vbi exortæ fuerint, ſedent & componant, atq; grauius delinquẽtes & incorrigibiles preſbytero annũcient, ac de omni opere malo manifeſto, denunciationem faciant. Qua in re, multum eis conferre poterũt tribuni plebis, ſeu Præfecti fraternitatum, quæ primitus hac de cauſa ſuſcitatæ ſunt, vt populus in omni pietate & pace coaleſceret, & ſe ſe mutuò, mutua præfectura & ſubiectione, admonitionibus fraternis, mulctis, alijſq; modis, in his quæ pietatis & pacis ſunt, colligarent, fouerent, & extimularent. Qua re omni ſollicitudine Paſtoribus ſatagendũ, & curandũ erit, vt fraternitates, ad priſtinã vigoris & ſplendoris ſui formam reformentur, & diſciplina ac pietas, quę in illis olim viguerunt, in vsũ reuocentur, ac abuſus ſi qui irrepſerint, aboleantur.

Adolp. 3. §. 70. in his quæ de Laicis ac plebe inquirenda ſunt. pag. 501.

Concil. prou. ſub Herman. 5 parte 9. ca. 21.

181. Multò maiorẽ operam ac diligentiam ponant, vt in ſcholis parochialibus iuuẽtus in timore Domini, ac omni pietate & morum integritate rectè inſtituatur. Ab huius. n. inſtitutione totius Reip. ſalus depẽdet, iuxta Pro uerb. 22. uerb. *Adoleſcẽs iuxta viã ſuã etiã cũ ſenuerit nõ recedet ab ea.*

Et ſę-

Et sæpè fit vt per rectam puerorũ institutionẽ, discoli parẽtes, ad saniorẽ mentem veniant, & in senectute à filijs suis discant, quod à præceptoribus in eorum iuuenili institutione neglectum erat.

182. Ad præstanda hæc omnia non tam in viribus ac studijs suis, quàm in auxilio gratię Dei (cui soli seruiunt) spem suam collocent, & de omni re plus orationi fidant, quàm suæ industriæ aut labori; cuius studium ac vsum ita tenere satagant, vt orationem eorum timeat, quicunque admonitiones, alioſq; pastoralium studiorum labores contempserit.

Vide hac de re supra tit. de Prælatis, artic. 17. & titulo de Abbatibus cap. De Apostatis Art. vltimũ D Bernard lib. 4 de consid ad Eugenium. D Hieron epistola ad Nepotianum: Petis à me &c *Vide & vitam S. Albini 1. Martij apud Surium.*

183. Multa sunt alia ad pastoralis muneris functionẽ pertinentia, quæ recensèri & innouari à nobis hic possent: sed cùm solius Dei sit, omnia prouidere, nihil vnquam tam perfectum statui poterit, quin semper occurret, prout sunt res humanæ, quod statutis adijciatur. Quare vnum hoc pro multis sufficiat: vt Pastores & Concionatores, alijq; quotquot pastoralis functionis partes aliquas sustinent, animam incoinquinatam, & cor mundum semper habere studeant, quo Deo intimè adhæreant, & vnus cum eo Spiritus efficiãtur, sic enim futurum est, vt quæ statutis Ecclesiasticis præcepta, aut præscripta non sunt, in cordibus suis scripta inueniant, vbi Deus illis tanto dulcius & efficacius loquetur, quanto sine vllo verborum strepitu secretius. *Eccl. 2.*

184. Hanc internam Dei locutionem, plurimum dilatabit ac certius examinabit, vitæ Christi, Sanctorum Pontificum, Episcoporum ac Pastorum studiosa consideratio, diuinarumque Scripturarum Canonicarumque Sanctionum, aliorumque piorum Scriptorum lectio & meditatio. Proinde siue ea, quæ ad sanctum prædicationis munus pertinẽt, rectè præstare: siue alia, quæ ad boni *Deut. 6. 1. Timoth 4. Psal. 1. et 118.*

Pastoris

D.Greg cap. vlt part.2. pastoral. D Aug.li 4.De Doctrina Christ. cap 5. D.Leo epist. 10 ad Flauianum Vide etiam dist 38. apud Gratian 1 Cor.11.

Pastoris officium spectant rectè exequi velint: semper lectioni attendere,& in lege ac vita Domini,Sanctorum quę Patrum scriptis, Ecclesiasticisq; Constitutionibus, die ac nocte meditari debent; illaque ita reuoluere, ac mente pertractare, vt non mentem tātùm,sed animum quoq; afficiant,& quæcunque nosse debēt,facere ac docere,Euangelica authoritate, Apostolicis litteris,& Sanctorum Patrum vnanimi consensu roborētur,ac Ecclesiasticarum definitionum cēsura probentur. Nam si ad semetipsos tantùm recurrant,facilè dum aliquo impediuntur obscuro, in impietatem vel insipientiam cadent, & somnia sua diuinas putabūt esse inspirationes:nec mirum,ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelū lucis.

185. Vt autem Parochi Concionatores, alijq; animarum curam quomodolibet gerentes, libros habeant, è quibus adiuuante Domino multifariam, ac vocationi suæ necessariam sibi valeant comparare scientiam, qua priusquam interrogentur,in omnibus(vt rectè dirigantur)instructi sint,semperq; parati omni poscenti,de lege Christi, veram ac solidam reddere rationem; ne si cum ignominia tūc quærāt discere,cū quęstionē debēt enodare, vel erronea magna temeritate doceant,vt ignorātiæ fugiāt suspicionē; vel quidquā ꝙ possit regulis Patrū obuiare faciāt: Præscribimus,vt singuli ex infrascriptis libris, quoscūq; pro facultatibus suis poterūt, cōparare sibi studeant, & in eorum lectione omne quod poterunt tempus ponant,videlicet:

186. Vtrūq; testamentum,vetus scilicet & nouum,tam lingua vernacula,quàm Latina,approbatę translationis & editionis. Sanctorum Patrum quotquot habere poterunt libros, illorum pręcipuè qui Pastoralia officia exercuerūt,& ad hęc excolēda in scriptis suis collimarūt. Inter quos præsenti huic Ecclesię statui ad defensionem fidei,ad restitutionē disciplinę,ad laboris tollerantiam,& pastoralis animi vigorē plurimum congruere videntur,

opera

opera omnia D. Cypriani, D. Chryſoſtomi, D. Gregorij Magni, D. Leonis Papæ, Damaſceni, D. Auguſt. expoſitiones in pſalmos, alijque commentarij, quæſtiones & tractatus in ſacram Scripturam; eiuſdem ſermones, pleræq; epiſtolæ, liber de vnitate Eccleſiæ, De vtilitate credendi, De conſenſu Euangeliſtarum, Omniaque opera contra Pelagianos, duobus tomis Louanij ſeorſim edita: D. Ambroſij libri officiorum: De his qui myſterijs initiantur; De Sacramentis; De pœnitentia, &c. Opera D. Bernardi, D. Proſper de vita contemplatiua. Paſtorali autem D. Gregorij, eiuſdemque Homilia 17. in Euangelia, in cap. 10. Lucæ, *Deſignauit Dominus Ieſus & alios ſeptuaginta duos*: Enchiridio D. Aug. eiuſdem Confeſſionum libris, item de fide & operibus, de doctrina Chriſtiana, de catechiſandis rudibus, nullus careat.

Decreta Conciliorum tam generalis Tridentini quã prouincialium, ac ſtatuta Diœceſanarum Synodorum, & hæc noſtra.

Summam Conciliorum per F. Bartholomæum Carranzam Mirandenſem.

Catechiſmum Romanum ac Petri Caniſij, tam paruum, pro inſtitutione catechumenorum, ac rudium Chriſtianorum, quàm magnum, cum authoritatibus ſacrę Scripturæ, & SS. Patrum quæ in eo citantur.

Iohannem Heſſelium in ſymbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam & Decalogum.

Antonium Poſſeuinum de neceſſitate, vtilitate, ac ratione docendi Catholici Catechiſmi.

Canones pœnitentiales. *Diſt. 38. cap. Quæ ipſis.*

Manuale Confeſſariorum, & pœnitentium Martini ab Azpilcueta Nauarri, vel ſummam Sylueſtrinam.

Summulam item Caietani, & Directorium Ioannis Polanci, eiuſdem opuſculum, de adiuuandis ijs qui moriuntur.

Theologiæ practicæ compendium Ioannis Molani.

Libellum Sodalitatis P. Franciſci Coſteri, ex poſtrema editione.

Methodum Confeſſionis, annotationibus Petri à Soto illuſtratam.

Petrum à Soto, de inſtitutione Sacerdotum.

Concil. prouinc. ſub D. Nicolao de Cuſa Cardinale & legato de latere, cap 3 pag. 247.

Summam D. Thomæ, aliaque inſigniora illius opuſcula, Louanij ſeorſim edita.

Opera Ioannis Gerſonis.

Vincentium Lirinenſem aduerſus prophanas omnium hæreſium nouationes.

Tertullianum de præſcriptione aduerſus hæreticos.

Emundi Campiani oblati certaminis in cauſa fidei rationes.

Confeſsionem Cardinalis Hoſij.

Ioannem Lenſæum de officio hominis Chriſtiani in perſecutione poſiti.

Item de vnica Religione.

Locos communes Eckij.

Enchiridion controuerſiarum præcipuarum noſtri temporis de religione Franciſci Coſteri.

Diſputationes Roberti Bellarmini de controuerſijs Chriſtianæ fidei.

Indicem librorum prohibitorum, cum regulis, per Patres à Tridentina Synodo delectos.

Genebrardum in Pſalmos.

Commentarios Cornelij Ianſenij in Pſalmos, Prouerbia Salomonis, & in cõcordiã, ac hiſtoriã Euangelicã.

Adamum Saſbout, in Eſaiam & Epiſtolas D. Pauli.

Franciſcum Riberam, in 12. Prophetas, & B. Ioannis Apocalypſim.

Franciſcum Toletum in S. Ioannis Euangelium.

Meditationes Franciſci Coſteri in Paſsionem Dominicam.

Ioannem Heſſelium in epiſtol. 1. ad Timoth. 1. Petri 1. Ioannis. Hom

Homiliare Doctorum.

Sermones Eckij.

Sermones F. Ludouici Granatensis.

Promptuarium morale & Catholicum Thomæ Stapletoni in Euangelia Dominicalia.

Historiam Ecclesiasticam Eusebij.

Annales Ecclesiasticos Cæsaris Baronij.

Probatum aliquem scriptorem de vitis Sanctorum, qualis est Aloysius Lipomanus, Laurentius Surius, Henricus Fabricius, Franciscus Hareus.

Martyrologium Vsuardi, aut potius Romanum.

Ordinem seu ritum celebrandi Missas, & sollemnes & priuatas, ex Decreto Concilij Tridentini, Pij Quinti iussu nuper restitutum.

Michaëlis Timothei quæstiones, de sacrificio Missæ.

Gabrielem Biel: Ioannem Hofmeisterum, aut Iacobum Iansonium, vel alterius Catholici Doctoris explicationes, in S. Canonem Missæ.

Rationale diuinorum officiorum.

187. Qui autem Regularibus prefecti sunt, legant regulas SS. Patrum, Augustini, Benedicti, Francisci, Basilij, Fratrē Humbertum in regulam S. Augustini, eiusdemq; Epistolam de votis, Hieronymum Platum de bono status religiosi, cæteroſq; authores quos Regularibus præscripsimus.

188. Codices præterea quinque habeant, in quorum vno baptizatorum nomina, cum patrinis distinctè conscribantur ad hunc qui sequitur modum. *Die 8. Martij Anno 1593. fuit à me N. Pastore vel Sacellano Parochialis Ecclesiæ S. N. Coloniæ baptizatus, filius N. & N. coniugum, natus 6. Martij proximè præteriti, eiq; fuit Petri nomen impositum: Patrini autem fuerunt, Ioannes filius N. & Maria filia N. & N.* 1.

189. Quod si filius non fuerit de legitimo matrimonio natus, nomen tantùm matris describatur.

190. In altero eorū, qui confirmantur nomina, simili 2.

modo annotentur. *Die 12. Iunij, qui fuit dies Sabbathi quatuor tẽporũ anno 1593. confirmatus est N. filius, N. & N. per Reuerendissimum D. Cirenensem, in Ecclesia S. N. in Ciuitate N. Patrinus fuit N. filius N. & N.*

191. Si autem nupta vel vidua Patrini officium subierit, præter ipsius & parentum nomina & cognomina, exprimatur etiam nomen & cognomen viri cui nupta est, aut fuit, & scribatur: Patrini fuerunt N. filius N. & N. & Anna vxor N. filia N. & N.

3. 192. In tertium eorum referantur nomina qui matrimonio iungũtur, in hanc formam: *Die 30. May anno 1593. Cornelius filius N. contraxit matrimonium per verba de præsenti, cum Anna filia N. in Ecclesia S. N. Bonnæ, præsente me N. Rectore parochiæ prædictæ N. ac N. testibus præsentibus, & alijs multis de populo, qui ad Ecclesiam conuenerunt: præmissis iuxta Constitutionem Concilij Tridentini, inter Missarum sollemnia, tribus solitis denunciationibus,* (aut duabus vel vna, si Ordinarius permiserit) *quarum prima facta est die Dominico 9. Maij proximè præteriti, altera 16 die, tertia verò 23. May Dominico die; & nullo prorsus inter eos detecto legitimo impedimento, quò minus liberè contrahere possent.*

4. 193. In quarto iuxta ordinem platearum, domorum & familiarum, conscribantur omnium & singulorum parochiali curæ subiectorum nomina; ac singuli signo aliquo notentur, quo inspicientes de ætate & conditione personæ, animæque statu, in quo sunt admoneantur, in hunc modum.

Ioannes filius N. paterfamilias natus & baptizatus Anno 1550.....

Anna eius vxor filia N. nata & baptizata Anno 1536.....

Petrus eorum filius natus & baptizatus Anno 1558.....

Catharina filia nata & baptizata Anno 1559.....

Arnoldus famulus filius N. natus & baptizatus Anno 1561.

Barbara, ancilla, filia N. nata & baptizata Anno 1570.....

194. Qui peccata sua confessus & in Paschate communionem

nionem susceperit, notabitur hac syllaba: *Commu.*

Qui tantùm confessi, hac *Conf.*

Qui confirmatus, his litteris. *Chr.*

195. Qui autem è finibus parochiæ discesserint, subter iecta notentur linea, & adijciatur causa; quod vel in aliud seruitium transierint, vel aliud matrimonium inierint, &c. Qui verò è vita discesserint, crucis signum præ se ferant, quo hoc indicetur.

196. Iam si quis hæreticus ex his, si Anabaptista, si Lutheranus, si Caluinista, si vsurarius, si fornicator, si ebrioſus, si rapax, si præcepta Ecclesiæ contemnens, vel ad aliquod horum aut aliorum scelerum propensus: Hoc ipsum initialibus litteris alioue modo, quo id scriptori constare & in memoriam venire possit exprimatur: ita tamen, vt quę ex Sacramentali confessione, vel sub sigillo secreti, aut aliàs clam cognita sunt, huc non referantur.

197. Hunc librum singulis diebus Dominicis post vesperas diligenter percurrant, & quam cuique curam ac sollicitudinem debeant, quidque eo nomine proxima concione potissimè tractandum sit, perpendant; & quos ea septimana visitandos vel ad se vocandos iudicabunt, vel alio pastorali officio præ alijs iuuandos, eorum vt & omnium ægrotorum nomina in palimpcesto annotent, vnaque diem & horam, quando id facere decreuerint. Inde porrò cognoscant, quàm verè ac iustè D. Augustinus cogitandum monuerit: Nihil esse facilius presbyteri officio, sed neque damnabilius, si perfunctoriè res agatur; Nihil verò difficilius, laboriosius & periculosius, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo Imperator noster iubet. Ars enim est artium cura animarum; ac onus Angelicis humeris formidandum. Quare vt illud rectè administrare valeant, & nihil aut negligenter prætermittant, aut perfunctoriè peragant; sed potius bonam ex ministerio suo fiduciam concipi-

Epist. 148. ad Valer. cap. Episc Dist. 40.

D. Gregor. cap. 1 parte 1. pastoral. Concil. Trid. sess. 6 cap. 1. de ref orm.

ant, vigilanti oculo semper adspiciant, cui quandoq; indici de regiminis sui ministerio iudicādi assistēt, & quod (vt D. Gregorij Magni verbis vti pergamus) reddendæ, apud districtū iudicem rationis tempore, quasi tot quisq; solus animas habeat, quot regendis subditis præest, cogē dus rationē reddere de singulis, qui de sua tantummodo anima satisfacere fortassis vix potest. Quod vt Beatus idem ille Pontifex prudentissimè admonet, non ita debet eos percellere, vt timidorum more, officium quod legitimè impositum susceperunt, pro formidine deserant; verùm vt illud non amando & ocioso animo, sed timendo retineant.

D. Gregor. li. 24. Moral. cap. vltimo.

Ibidem.

Pag. 501. a

198. In quinto denique iuxta caput 2. Synodi Diœcesanæ Anno 1330. sub Henrico Colonien sis Ecclesię Episcopo habitæ, regerentur in primis omnes hæretici, eorumque fautores, & receptatores, præcipuęque Ludimagistri & Concionatores.

1.

2. Qui isto anno in Paschate peccata sua non sunt cōfessi; Itemq; qui sacram communionem non acceperunt.

Statut. Sifridi cap 8. pag. 43. d

3. Qui in excommunicationis sententia per annum pertinaciter perstiterunt.

4. Qui intra quartū consanguinitatis vel affinitatis gradum, aut alio modo Canonicè impediti matrimonialem contractum inierunt.

5. Qui publicè vsuram exercent.

6. Qui reatu periurij irretiti sunt.

7. Qui vota violauerunt, & monachos aut moniales Apostatas, aut congregationis suæ desertores, hospitio receperunt.

8. Qui de adulterio infames sunt.

9. Qui in quatuor anni festiuitatibus, & alijs à iure statutis diebus Parochiales suas Ecclesias non frequentant.

10. Qui in notorijs criminibus, concubinatu, incestu, sacrilegio, zodomia, veneficijs, sortilegijs, Simonia, blasphemijs,

phemijs, homicidio, effractionibus, combustionibus ac violationibus Ecclesiarum, cœmiteriorum & immunitatum, alijsque similibus delictis perseuerant.

199. Huic catalogo etiam illos adijcient, qui aut recens à Catholica fide defecerunt, vel ab hæresi post postremam Synodum reducti sunt, singulosque in singulas classes distinctè digerent; ac retento sibi originali exemplari, quod in Archiuis Ecclesiæ parochialis ex Constitutione *Hermanni* quarti perpetuò seruabitur, eius exemplum instante Episcopali Synodo, ad Decanos vel Superiores suos tempestiuè transmittent; vt hinc, & de Ecclesiarum statu, & de eorum vigilantia constare possit, fiatque manifestum, magisne ad profectum, an ad defectum Ecclesia cui præsunt inclinet; & vt ipsi hunc librum sæpe inspicientes, sese ipsos hac consideratione accendant, omnibusque viribus connitantur, vt in singulas Synodos, non solùm ad numerum malorum postremò exhibitũ nihil accesserit, sed multum detractum sit: Exemplo Beati Gregorij Thaumaturgi, qui migraturus è vita, sedecim tantùm in ciuitate Cæsarienſi reliquit infideles, cùm Episcopatum capiens, totidem duntaxat fideles inuenisset.

Statut. Hermann. 4. §. 36. pag. 277.

Breuiar. Roman ad 17. Nouemb.

DE PASTORVM SVSTENTATIONE.

200. Cæterùm cùm non minus de victu & vestitu, ac manifesta, necessariaque Pastorum sustentatione prouidendum sit, quàm de eorum bonitate & sedulitate; & in hoc vnum omniũ hæreticorum impietas omni modò laboret, vt qui Ecclesiasticis famulãtur obsequijs, omni huius vitæ solatio ac subsidio destituantur, quò sublatis Dominici gregis Pastoribus, Christi oues quocunque voluerint abducant, & impietate sua perdant, ac occidant: Volumus vt diuini verbi Concionatores, illi præsertim (ad cauendam omnis cupiditatis speciem) qui de

de oblationibus populi non participant, atque à populi liberalitate aut communione non dependent, populi officium in honorandis & sustentandis Pastoribus suis diligenter explicent, & ad persoluendas integrè, hilari, deuotoque animo decimas ac oblationes, quas iure, partim diuino, partim Ecclesiastico eis debet, cohortentur; & quæ hac de re Sanctarum Scripturarum disciplinis, Orthodoxorum Patrum regulis, & Conciliorum ac Synodorum definitionibus, præsertim quæ ab Engelberto, Henrico, Theodorico, Hermanno Quinto, & Adolpho tertio, partim in Diœcesanis Synodis, partim in Concilijs prouincialibus sancita fuerunt, pro concione populo proponant; doceantque hunc primum esse fidelium fructum, vt pro Christiana charitate, debitoque erga Pastores suos officio, duplici eos honore honorare, & de bonis sibi collatis largè illis subuenire, ad Dei laudem atque ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam studeant. Illisque pro æternis temporalia, pro spiritualibus carnalia, liberali gratoque animo rependant. Ac contra, eos qui Christum in ministris suis pascere negligunt, & honorare Deum de sua substantia, ac cum eo decimas partiri nolunt; cum sicu Euangelica maledictioni esse proximos, dignosque vt omni spirituali refectione destituantur, & vnà cum spiritualibus temporalia omnia perdant. Cuius rei consideratio eò magis percutere singulos debet, quod ex hac negligentia, non ipsi solùm, sed omnis eorum posteritas in infidelitatis periculum veniat, à qua quod fuerint erepti, cùm sollicitæ maiorum suorum pietati debeant acceptum ferre (nisi enim illi de Pastorum sustentatione piè solliciti fuissent, Pastores, quorum opera illuminati & baptizati sunt, non habuissent) maiori longè cura, si in Deum ac posteros pij esse velint, pro defensione, sustentatione, & honore Pastorum suorum solliciti nunc esse debent: cùm videant omni honori, omnibusque pa-

Vide orationem Ioannis Molani de decimis dandis, quæ Coloniæ impressa est, cum eius libris de Canonicis. & Ioannem Hessel in Decal. cap 143. Genes. 14. Exod 22 23. Leuit. 27. Num. 18. Deut 8.12. 18.25.2. Esd. 10. Malach. 3. Matth 10. Rom. 15. 2. Paral 31. 1. Cor 9. 1 Thessal. 5. 1. Tim. 5. Luc. 7 10. Hebr 7. Concil. Matisconense 2. cap. 5. Mogunt. ca. 33. Tribur. cap. 13. Concilium Ticin vers. In sacris Ca. Decimas cum sequent. 16. quæst 7 Cap Parochianos Cap. Extransmissa, & cap. Tua de decimis. Concil. Trid.

que pastoralibus iuribus, per hæreses, quotidie magis ma giscque detrahi, & ipsos hæreticæ impietatis, æternæque perditionis ministros in graue iudicium, ac condemnationem suam, à suis fautoribus maximo sumptu ali, maiori in posterum quoque eis prouideri, maioriqúe eos, quàm veri Pastores, à multis Christianis in honore haberi.

sess 25 ca 12. Statut. Engelbert. c. 5. pag. 22. a. b. Conc. Prouinc sub Henrico Anno 1310 cap. 1. pag. 75. d Statut Theodor ca 4 pag. 232. d. & 233. a b c. Concil. prouinc sub Hermanno 5. parte 8 cap. 2. 5. & 6. Conc. prouinc. sub Adolph 3. in Censura & Decret. cap. De oblat. in Missa faciendis *pag. 450 d. Synod Diœcesana sub eodem Anno 1549 2 Octob habit. pag 462. D. Greg lib. 9 Moral cap. 11. lib. 2. epist. epistola 26. D. Thomas 2. 2. qu 86 & 87. & 185 artic 6 Marc. 11. Prou. 3. D Aug. Hom 49 ad plebem Africanam.*

201. Cùm verò sint quædam Collegia, Monasteria, & Dignitates, quibus Ecclesiæ parochiales, cum amplissimis decimis, iuribus & censibus, maiorum liberalitate ac munificentia, ad Pastorum sustentationem ac solatium, eiusmodi Ecclesijs Parochialibus donatis, vnitæ ac incorporatæ sunt; quas quidem decimas, iura, & census, collegia, monasteria, & personæ quædam habentes dignitates, pessimo exemplo, magnaque populi offensione, ac salutis animarum damno, maiori ex parte quàm æquum sit, sibi seruent, vix relinquentes Pastoribus, vnde tenuiter vitam sustentare possint; & ad tollendum hoc crimen, quo fit vt vix reperiatur idoneus, qui talibus Ecclesijs præficiatur, in Cõcilio prouinciali sub Adolph. 3. constitutum sit, vt per Episcopũ loci seu eius Visitatores iusta de Ecclesiarum decimis, iuribus & censibus portio Pastoribus decernatur; ac in Synodo Diœcesana Anno 1550. postridiè D. Remigij habita, omnibus & singulis Presbyteris & Clericis, seu Religiosis, seu alijs quibuscunque, sub graui pœna districtè interdictum sit; ne quouis nomine Ecclesiarum regimen suscipiant, nisi de congrua sustentatione, pro Superioris arbitrio eis fuerit prouisum; vt sine longiori temporis dilatione huic malo occurratur, & Constitutiones tam necessariæ, optatum aliquando sortiantur effectum: constituimus & mandamus, vt Decani Rurales prouentus omnium & singula-

Conc. prouin. sub Adolp 3. de officiorũ perfũctione, Medio tertio cap De competẽtia iusta Ecclesiarum Rectoribus soluenda pa. 437. a b. In mandato cuius initiũ est Quanquam diuinis legibus *pag. 513 a. b.*

rum sui districtus Ecclesiarum parochialium, quarum Pastoribus ad competentem vitæ sustentationem satis assignatum non est, in proxima Synodo exhibeant, vt in ea ratio iniri possit, qua pastorali necessitati ac honori abundè succurratur.

Vide Concil prouinc. sub Hermann. 5. parte 8. ca 5.

202. Atque ne per sordidas Ecclesiarum locationes, Pastores animarum opera subire cogantur seruilia, per quæ ab animarum cura auocentur; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus; vt Collegia, Monasteria, vel habentes dignitates nihil agere præsumant, contra decretum Concilij Prouincialis sub Adolpho 3. habiti, quod sequitur:

Conc prouin. sub Adolp 3. De offic perfunction. Medio tertio. c. Ne cogantur Rectores Ecclesiarum opera subire seruilia. pa. 437. d

Omnino autem vetamus, ne vlla Collegia, Monasteria, vel habentes dignitates, locent Ecclesiarum suarum regimen cum agris, vineis, syluis, pratis & iuribus, Rectori plus offerenti sub annua pensione. Tales enim coloni verius, quàm Pastores, seruilibus & sordidis negotijs se dedere, & maiorem temporalium, quàm spiritualium bonorum sollicitudinem habere, dignamque animarum curam negligere solent. Possunt tamen colonis sæcularibus Ecclesiarum prædia sub annuo censu locari, emolumentaque pro vtilitate Ecclesiarum commutari vel vendi.

Quin etiam non vetamus, quin Collegia & Monasteria possint Ecclesiæ Rectori, bonorum ad ipsam Ecclesiam pertinentium, administrationem plenam committere, pro moderato censu, quem de prædijs pendat: sic tamen vt ei superstit honestus & sufficiens victus ac vestitus: nec ad supremum censum adigatur, vt solent licitantes à plus offerentibus, pro quo corradendo cogatur, se sordidis & seruilibus operibus mancipare, ac rusticus fieri, vt vix aut ægrè ei superstit, vnde nuditatem suam vestiat, & vitam miseram sustentet: quales multos, magno Ecclesiastici Ordinis dedecore, in pagis videmus Sacerdotes.

Luc. 9. 1 Cor 9. 2. Cor. 6. D Ambr. lib. 6. in Luc.

203. Pastores tamē Euangelica atq; Apostolica doctrina instructi, & per arma iustitiæ à dextris atq; à sinistris muniti; sciant abundare, sciant & egere. Egere quidem, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecu-

pecunia, hoc est nullum subsidij temporalis adminiculum requirentes, pastorale officium exequantur, fideq; tuti, putent sibi, quò minus ea requirũt, magis posse suppetere. Qui enim terrenis affectibus pro Christi discipulatu renunciauerit, quò plus in eius amorem profecerit, eò plures inueniet, qui se interno suscipere affectu, & suis gaudeant sustentare substantijs: Abundare verò; vt cùm hæc abundè conferuntur, non vt de rerum munere, sed conferentium mercede gaudeant.

& legitur feria 5 infra 8. Pentecost. in offic. Roma. lect 7. D Gregor. hom 17. in Euang circa initium. Venerab Beda in Natiui. S. Benedicti, legitur die 5. infra oct. Apostolorum Petri & Pauli in off. Roma. lect. 9. Psalm. 54.

204. Porrò vt quantum sollicita cogitatione possumus, & Christi ouibus, de bonis Pastoribus prouideamus, & Ecclesijs Parochialibus earum annuos prouentus & fructus integrè conseruemus; ne aut per mercenarios, qui duntaxat terrenis inhiãt, animarum lucra negligantur, aut bona quæ Ecclesiarum ministris debentur, in indebitos vsus distrahantur; quod facilè fieri posset, si ad curas pastorales fraudulenter assumerentur, qui bona temporalia tractare, administrare, vel recipere religione prohibentur: ex Decreto Concilij Prouincialis, sub Conrado Cardinali Portuensi habito, & statuto D. Henrici, Anno 1330. edito, omnino prohibemus; & ne Ecclesijs parochialibus conductitij sacerdotes præficiantur, & ne vt in Concilio Prouinciali, Anno 1423. sub Theodorico prohibitum fuit, aliquis Rector aut perpetuus Vicarius Parochialis Ecclesiæ, seu etiam Capellæ ordinet, constituat, vel deputet, aliquem religiosum mendicantem vel non mendicantem, ad regendum & gubernandum Ecclesiam suã, vel eius Vicariam seu Capellam, vel aliquo mõdo vices suas talibus committere præsumat, nisi alius idoneus, dolo & fraude seclusis, haberi non possit, quod Ordinariorum, seu Archidiaconorum, iudicium esto.

Conc prouin. sub Conrado cap. 12. pag. 5. Stat. Henric. ca. 3 pa. 105. Conc. prouin. sub Theodor. ca. 7. pa. 234.

DE OBEDIENTIA PASTORALI, PASTORALIBVS q; Synodis.

205. Vt autem hæc quæ præscripta sunt, exactè ab omnibus obseruentur, & si quid præterea prescriptum oportuisset, hoc ipsum quoque præscribatur; præter Episcoporum Synodos & visitationes, ac Archidiaconorum sollicitudines, aduigilabunt etiam Decani rurales. Quare volumus vt Pastores omnes ad Synodos pastorales, alioſque conuentus quibus interesse tenentur, statutis temporibus conueniant; iuxta ea quæ hac de re titulo de Decanis ruralibus, articulo (*Ad huiusmodi Synodos*) decreta & definita sunt. In his enim & difficultates suas omnes proponent, & qualiter officium suum expleuerint, rationem reddent, atque voluntatem & ordinationem Episcopi sui, ex cuius sententia cuncta agere debēt, intelligent: quam reuerenter ac deuoto animo suscipiant, eique ac Decanis suis, quemadmodum solenni Sacramento, & in S. Ordinatione sua, & in pastoralis muneris susceptione religiosè promiserunt, in omnibus pareant, & vt inferiores sibi habeant obedientes, obedientiam quam ab his tanquam Christi Vicarij exigunt, Deo & Superioribus suis exhibeant, ad honorem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

206. Si qui autem Pastores iure, aut approbata consuetudine, nulli Decano rurali subiecti sint, ideoque ad conuentus & Synodos pastorales cogi ab illis non possunt: his, ne extra disciplinam sint, cuiuscunque fuerint Ordinis, status aut dignitatis, in virtute s. obediētiæ præcipimus & mandamus, vt ad Diœcesanas seu Episcopales Synodos semper conueniant; vt cuncta quæ in Synodis Decanalibus vel eis iniungenda, vel ab eis exigenda fuissent, in Synodis Episcopalibus eis iniungantur, & ab eis exigantur.

Pag 202. Distinct 38. cap. Quādo. 16 qu 1. cap. Cunctis fidelibus. Clemens Papa in epist ad omnes fideles. c. 22. & 36. Adolp 3 in Synod. Diœcesi. Anno 1551. feria 2. post Dominic. Inuocauit habita *pag. 525. d B. Ignatius per omnes epistolas frequenter monet, vt Presbyteri eadē semper, de eisdem opinantes, nihil agant nisi ex sententia Episcoporum, vt iutum ac ratum sit omne quod agitur.*

BVLLA

BVLLA S. D. N. PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QVINTI SVPER COLLATIONE Parochialium Ecclesiarum.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD AETERNAM rei memoriam.

IN conferendis beneficijs Ecclesiasticis, & præsertim parochialibus Ecclesijs personis dignis & habilibus, quæ in loco residere, & per seipsos curã exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexand. iij. in Lateranens. & Gregorij X. in Lugdunens. generalibus Concilijs, ac Innocentij simiter tertij, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum editæ constitutiones testantur: quod vt diligentius & rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, vt occurrente vacatione Parochialis Ecclesiæ, etiam generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti in fauorem S.R.E. Cardinalium, aut alios quomodolibet reseruatæ, vel affectæ, debeat Episcopus habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneũ in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur. Et deinde Episcopus, & qui ius patronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum, aliquos Clericos ad regendum Ecclesiam idoneos Examinatoribus iuxta formam eiusdem Synodi deputatis, nominet, & non nisi ab eisdem Examinatoribus, per concursum aliorum examinatorum, etiam tanquam magis idoneo ab Episcopo iudicato, & electo de Ecclesia prouideatur: alias prouisiones, seu institutiones omnes, præter formam prædictam factæ,

ctæ, surreptitiæ censeantur.

Sed quoniã res humanæ semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet, & verendum sit, ne propter constitutionum huiusmodi transgressionem maximi abusus oriantur: Nos, ad quorum notitiam non sine graui nostra molestia peruenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis, occurrente vacatione Parochialium Ecclesiarum, eas nullo aut minus ritè seruato examine, præsertim illo quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine ritè seruato, personis minus dignis, carnalitatis, aut alium humanæ passionis affectum, non rationis iudicium sequentes contulisse, & de eis prouidisse; volentes quantum cum Deo possumus, huiusmodi, ac etiam futuris periculis occurrere, eorundem prædecessorum nostrorum constitutiones præfatas etiam innouando, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, omnes & singulas collationes, prouisiones, institutiones, & quasuis dispositiones Parochialium Ecclesiarum, ab eisdem Episcopis & Archiepiscopis, ac quibusuis aliis collatoribus, tam ordinarijs, quàm delegatis, etiam S.R.E. Cardinalibus, ac sedis Apostolicæ Legatis, vel Nuntijs, præter & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & esse, nullumq; prouisis ius, aut titulum etiam coloratum possidẽdi præbere, & Parochiales Ecclesias huiusmodi, vt prius antè collationes huiusmodi vacabãt, extunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus; easq; omnes pro tempore sic vacantes, nostræ & sedis Apostolicæ, seu eorum quibus ius conferendi eas, præterquam Episcopis & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum eiusdem Concilij habere debent, competet, dispositioni reseruamus.

Insuper ne Parochiales Ecclesiæ diu in suspenso maneant, in maximum animarum, quarumcunq; Parochialium Ecclesiarũ, quarum dum pro tempore vacãt, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, & quosuis alios Ordinarios collato-

res,

res, in mensibus ordinarijs, collatoribus, etiam per nostras regulas assignatis, prouisio & collatio spectat, & pertinet, & quibus ijdem Episcopi, & ordinarij prædicti, intra sex mensium spatiū, à die vacationis earundem, perfecto examine iuxta formam Concilij Tridentini præfati non prouiderint, ac illarum etiam, quarum collationes, nobis & dictæ sedi generaliter vel specialiter, & ex quauis causa reseruatæ, seu affectæ existunt, aut alias ex indulto sedis Apostolicæ competunt, ad quas occurrente illarum vacatione, Episcopi & Archiepiscopi præfati personas, per examen, concursu mutuo habito, iuxta dicti Concilij Tridentini formam, approbatas, & magis idoneas nō elegerint, aut electas, nobis vel successoribus nostris, aut ijs ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinēda, intra quatuor mensium spatium à die illius vacationis non significauerint; nec non Parochialium Ecclesiarum similium, quæ iuris patronatus Ecclesiastici, vel aliorum seu Clericorū & Laicorū simul fuerint, si præsentatus intra tēpus eisdem patronis à iure præfixum, prævio examine iuxta formam dicti Concilij approbatus petatur institui, institutioq; ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit; collationem, prouisionem, institutionem, ac omnimodam dispositionem, nobis & ipsi sedi, ac personis indulta huiusmodi conferendi, prouidendi, seu instituendi obtinentibus respectiuè reseruamus.

Data tamen in Parochialibus Iurispatronatus optione ipsis Patronis, vt si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinarijs illam facere negligentibus, & vltra dictos duos menses differentibus, possint pro huiusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad sedem Apostolicam.

Prohibentes etiam eisdem Ordinarijs, ne tempus decem dierum eisdem ordinarijs & patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, vltra alios decem dies prorogare audeant vel præsumant.

Districtius inhibentes, ne quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta huiusmodi obtinentes, vt pfertur, quacunq; sit

super

super hoc authoritate munitus, de huiusmodi beneficijs sic reseruatis (vt præfertur) disponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel aliàs innouare quoquomodo præsumat.

Vt autem non solùm dignis, sed magis idoneis repertis, iuxta eiusdem Concilij decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus & eadem authoritate decernimus, quod si Episcopus minus habilem, post habitis magis idoneis, elegerit, possintq; vt reiecti fuerint à mala electione huiusmodi, ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, vti nostrum & sedis huiusmodi delegatum, aut alias ad ipsam sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad nouum examen coram ipso appellationis Iudice, & eius examinatoribus prouocare, & cõstituto de prioris eligentis, irrationabili iudicio, eoq; reuocato, Parochialis magis idoneos per eundem Iudicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum à quo appellatum fuit, spectaret) conferatur, alias eisdem magis idoneo per iudicem appellationis, approbato conferenda, remittatur ad eum ad quem collatio, præsentatio, vel institutio spectabit.

Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta, interim debitæ demandetur executioni, & prouisus ab eadem Ecclesia, causa appellationis huiusmodi dependente, non amoueatur. Et, si quis à sententia per Iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tũc ad sedem ipsam Apostolicã appellabit. Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane.

Volumus autem, quod præsentium transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodq; litteræ ipsæ Cameræ, & Cancellariæ Apostolicarum, & Audientiæ causarum Palatij Apostolici valuis, & in acie campi Floræ dimissis inibi copijs publicatæ & affixæ, omnes ita afficiant & arctent, ac si illis personali-

naliter intimatæ fuissent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, statuti, decreti, reseruationis, prohibitionis, inhibitionis, & volũtatis infringere, vel ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1566. quinto decimo Kalend. Aprilis Pontificatus nostri Anno secundo.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, indictione decima, die verò decima ſexta menſis Maij Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius ſecundo, retroſcriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in retroſcriptis locis, vt moris eſt, per nos Alexandrum Aſtancollum, & Io. Guerardum præfati S. D. N. Papæ Curſ.

Antonius Clerici Mag. Curſorum.

BVLLA EIVSDEM S. D. N. SVPER RESIDENTIA FACIENDA IN PAROCHIALIBUS per obtinentes eas, ac Canonicatus, aut dignitates, seu aliud beneficium.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM rei memoriam.

CVPIENTES pro nostri pastoralis officij munere, Christi fidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, & parochialibus Ecclesijs ab earum Parochis, prout tenentur, in diuinis debitè & laudabiliter deseruiri; inhærendo etiam decretis sacri Concilij Tridentini, Motu proprio, & ex mera deliberatione, certaq; scientia nostra ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione, omnes & singulos Rectores parochialium Ecclesiarum cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ fuerint, in quibuscunque regnis, prouincijs, ciuitatibus, Diœc. ac alijs Christiani orbis partibus consistentes, qui parochialem Ecclesiam, ac Canonicatum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem maiorem, seu principalem in quibusuis Patriarchalibus, aut Metropolitanis, vel Cathedralibus, seu Collegiatis Ecclesijs, seu aliud quodcunq; beneficium Ecclesiasticum, etiam quarumcunque dispensationum à Roman Pontif. prædecessoribus nostris, seu etiam à nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac litterarum Apostolicarum desuper expeditarum titulo (quas omnes hac præsenti Constitutione abolemus, & reuocamus) seu quocunq; alio prætextu obtinent; cùm prima & præcipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in Ecclesia parochiali, & ibi in diuinis deseruiendum, debitoq; eorum officio fungendum, omninò teneri, & obligatos esse, ac ad id per Episcopos, & alios rum locorum Ordina-

rios,

rios, etiam tanquam Apostolicæ sedis delegatos, sub sententijs et censuris Ecclesiasticis, ac pecuniarijs arbitrio eorum declarandis, ac etiam priuationis dictarum parochialiū, & aliorum quorumcunque beneficiorum pœnis, quacunq; appellatione remota, cogi, & compelli posse & debere authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, præcipimus, & ordinamus.

Eos tamen sic residentes in Ecclesijs parochialibus, omnes & singulos fructus, reditus, & prouentus, etiam Canonicatus sui, vel dignitatis, seu alterius cuiuscunq; beneficij, exceptis duntaxat quotidianis distributionibus, & alijs, quæ ex iusta causa absentes percipere non solent, lucrari volumus. Sicq; per quoscunque Iudices & commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicari, & definiri debere. Nec non irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, decernimus & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis dispensationibus, & exemptionibus, litterisque Apostolicis desuper confectis, nec non Apostolicis, in prouincialibusq; & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, & etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliaroboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis personis in genere, vel in specie, & aliâs quomodolibet concessis, & approbatis, in posterumq; concedendis, & approbandis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserrerentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliás in suo robore permansuris, hac vice duntaxat ad effectum præsentium specialiter & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunq; Volumus autem, quod harum litterarū

Transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quàm extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, reuocationis statuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis, derogationis, & volũtatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1568. octauo Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno 3.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, indictione vndecima, die verò decima quinta mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno tertio retroscriptæ litteræ Apostolicæ, lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus litteris per aliquantulum temporis spatium, (vt est moris) affixis & deinde amotis per nos Iohannem Bornotum, & Iulium Parinum, præfati S. D. N. Papæ Cursores.

Antonius Clerici Magister Curs.

BVLLA

BVLLA S. D. N. INNOCENTII PAPÆ VIII. *CONTRA IMPRESSORES librorum reprobatorum.*

INNOCENTIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam.

INTER multiplices nostræ sollicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro pastorali officio debemus, vt quæ salubria & laudabilia ac Catholicæ fidei consona, & bonis moribus conformia nostro tempore oriuntur, non solùm conseruentur & augeantur, verùm etiam ad posteros propagentur: & quæ pernicioſa, & damnabiliæ, & impia sunt, succidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare vsquam sinantur: ea in agro Dominico, & vineæ Domini Sabaoth dum taxat conseri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, eradicata zizania, & oleastri sterilitate succisa. Attendentes igitur, quod quemadmodum humano generi, plurimum conferre dignoscitur, vt ea quæ ad bonas artes & probatos mores pertinent, diuulgentur, & ad hominum notitiam, tã præsentium, quàm eorum qui futuri sunt, deducantur: (quod maximè fieri solet beneficio litterarum, quibus ipsæ virtutes quasi alligatæ, ad vsum absentium, pariter & futurorum deducuntur, conseruantur, & propagantur) ita pernitiosum, & maximè eidem humano generi inimicum censeri debet, si ea quæ noxia sunt, & sanis doctrinis honestisq; moribus, & in primis Orthodoxæ religioni comperiuntur aduersa, publicentur, & ministerio litterarum, ad notitiam plurimorum extendantur. Quemadmodum enim bonum quanto vniuersalius, tanto vtilius, diuinius, & maius: ita & malum quanto amplius, & copiosius

In statut. Colon. pag. 280.

sius, tanto deterius, abominabiliusq; arbitrari debet, maximè quia humanæ fragilitatis cogitationes, proniores reperiuntur ad malum quàm ad bonum. (Genes. 8.

Hinc est quod sicut ARS impressoria litterarum, vtilissima habetur, ad faciliorem multiplicationem librorum probatorum, & vtilium: ita plurimum damnosum foret si illius Artifices, ea arte peruersè vterentur, passim imprimendo quæ perniciosa sunt. Debent igitur impressores ipsi, meritò compesci oportunis remedijs, vt ab eorum impressione desistant, quæ fidei Catholicæ contraria fore noscuntur vel aduersa, aut in mentibus fidelium, possunt verisimiliter scandalum generare. Et ea propter nos, qui illius locum tenemus in terris, qui ad illuminandũ hominum mentes, & errorum tenebras exterminandum, descendit è cælis, cùm fideli relatione intellexerimus, artificio dictæ artis, plurimos libros atq; tractatus, in diuersis mundi partibus fuisse impressos, in se varios errores ac pernictosa dogmata, etiam sacræ Christianæ religioni inimica continentes, et indies etiam passim imprimi:

Huiusmodi detestandæ labi occurrere volentes, vt ex commisso desuper pastorali officio tenemur, omnibus & singulis, dictæ artis impressoribus, & illorum obsequijs quomodolibet insistentibus, & se circa eorum imprimendi artem quoquo modo exercentibus, tam in Romana Curia quã in reliquis Italiæ, Germaniæ, Franciæ, Hispaniarum, Angliæ & Scotiæ, aliarumq; nationum quarumlibet Christianarũ, ciuitatibus, terris, castris, villis, & locis alijs degentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ipso facto incurrenda, & mulcta pecuniaria per locorum Ordinarios, pro eorum arbitrio exigenda, authoritate apostolica præsentium tenore, districtè præcipiendo inhibemus, ne de cætero libros, tractatus, aut scripturas qualescunque imprimere aut imprimi facere præsumant, nisi consultis prius super hoc in dicta Curia Magistro sacri Palatij, seu in eius absentia, ipsius vices gerente, & extra eam locorũ Ordinarijs, & eorum speciali & expressa impetrata licentia, gratis concedenda, quorum conscientias oneramus, vt antequam huiusmodi licentiam

tiam concedant, imprimenda diligenter examinent, siue à peritis & Catholicis examinari faciant, & procurent, ac diligenter aduertant, ne quid imprimatur quod Orthodoxæ fidei contrarium, impium, & scandalosum existat.

Et quia parum esset, aduersus futuras impressiones prouidere, nisi quæ iam noscuntur erronea, impia, & scandalosa, supprimantur: eisdem Ordinarijs & Magistro mãdamus authoritate prædicta, vt videlicet Magister sacri Palatij in præfata curia, et Ordinarij præfati extra illã in suis ciuitatibus & Diœcesibus, moneant & requirãt authoritate nostra, omnes & singulos impressores, ac personas alias, cuiuscunq; status, gradus, cõditionis, vel præeminentiæ existant, quatenus omnia & singula inuentaria, librorum & tractatuum quorumcunq; impressorum, Ordinarijs & Magistro respectiuè prædictis, omni fraude et dolo cessantibus, intra terminum, eorum arbitrio præfigendũ, coram eis respectiuè præsentẽt, & consignẽt, ac libros & tractatus impressos, in quibus per Ordinariũ & Magistrum prædictos, aut eorũ singulos, aliqua fidei Catholicæ contraria, impia, aduersa, scandalosa aut malè sonantia contineri iudicatum siue declaratũ fuerit, similiter præsentent & consignent, sub simili excommunicationis latæ sententiæ, & eorum arbitrio exigenda pecuniaria pœna (vt præfertur) incurrenda, studeant sic impressos, etiam aliàs, prout expedire putauerint, ad eos deferri, & delatos comburi facere: & ne quispiam illos ligare vel tenere præsumat, sub similibus censuris & pœnis authoritate nostra prohibere.

Nec omittant diligenter inquirere, quibus procurantibus tales libri, impressi fuerint, quaue de causa illud procurauerint, in fidei Catholicæ, quã profitentur, detrimentũ: & an procurantes ipsi, de aliqua hæresi suspecti sint, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij secularis, cui (vt diligentius opem ferat) medietatem pœnæ pecuniariæ, quam exegerit, applicamus.

Non obstãtibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis cõtrarijs quibuscũq;, per quas impressorib⁹, & eorũ obsequijs

insisten-

insistentibus, seq. in eorũ artificio exercentibus, & imprimi procurantibus, & sollicitantibus præfatis, vel quibus suis alijs communiter vel diuisim à sede Apostolica indultum existat, quod inter dici, suspendi, vel excommunicari non possit, per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Et quia difficile foret, præsentes litteras ad singula loca, in quibus Christi nomen colitur, deferre, volumus & Authoritate Apostolica decernimus, quod earum transsumpto authentico, sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici, & notarij inde rogati subscriptione munito, eadem prorsus fides vbiq. adhibeatur, in iudicio & extra, quæ adhiberetur præsentibus Originalibus literis, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Hortamur propterea eosdem Ordinarios, & Magistrum sacri Palatij, vt zelum fidei, & salutem animarum præoculis habentes, in præmissis ita se diligentes et solertes exhibeant, quod eis à Deo perennis vitæ præmium, & à nobis condigna proueniat actio gratiarum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ inhibitionis, orationis, mandati, constitutionis, voluntatis, & hortationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, 1487. xv. Kalend. Decemb. Pontificatus nostri Anno Quarto.

(***)

CON-

CONSTITVTIO S. D. N. PII PAPÆ QVINTI,

NE IN POPVLARIBVS CONCIONIBVS disputetur, de Conceptione glorioſæ Dei Genitricis Mariæ.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, AD perpetuam rei memoriam.

SVPER ſpeculam Domini, viribus licet exiguis, conſtituti, Prophetæ ſollicitudinem imitantes, die noctuq́, ad diuerſos Eccleſiæ ſtatus, noſtræ mentis aciem intendimus. ſtudioſè prouidentes, vt communi Domino ab omnibus gradibus fideliter ſeruiatur, ab illis maximè, quibus digniora miniſteria diuini Spiritus fauore credita ſunt: inter quos diuini verbi prædicatores adnumerandos eſſe nemo dubitare poterit, qui ſi eorũ munus ab ipſo Domino conſecratum Apoſtolicis præcipuè iniunctum fuiſſe animaduerterent; qui ſi adepto gradu dignè fungerentur, euangelizantes pacem, annunciantes bona, prædicantes ſalutem; non ſolùm vox eorum dulcis, verùm & ſpecioſi pedes viderentur, & fraternæ ſalutis vberes fructus referentes, multam fiduciam haberent in die Domini.

Verùm quod neque ſine animi dolore accepimus, nec referre poſſumus, quidam diuerſorum Ordinum regulares, Clericiq́ue ſæculares, omiſſis quæ diuinæ maieſtatis gloriam, & ſanctiſſimæ Dei Genitricis, aliorumq́, Diuorum venerationem, atq́, fidelium pietatem promouere poterant, quod Apoſtolus in quibuſdam arguit, languent circa quæſtiones & pugnas verborum, ex 1. Tim. 6.
quibus oriuntur inuidiæ & contentiones, cæteraq́, vitiorum monſtra: potiſſimum verò cùm de glorioſæ Virginis Mariæ Conceptione ſermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte

contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est: Quibus illud Prophetæ conuenire videtur: Dicunt, ait Dominus, cùm ego non sim locutus; cùm sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum magistra, & doctrix disciplinæ de eare hucusque non definierit, nemo absq; temeritate, præiudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest, & quasi desint præclarissima inuentricis gratiæ merita, quæ Angelica quidem lingua satis dignè referri non possunt, & cùm ex illo vberrimo fonte, puteoq; aquarum viuentium non posint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum vtilitate atque dulcedine reficeretur, ad dissipatas cisternas occurrunt, stultas scilicet, sine disciplina quæstiones, quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, vtiliter percipere valent; præsertim quoniam, vt experimento didicimus, ipsorum Concionatorum, qui ad quæstiones huiusmodi proponendas facilius erumpere solent, maior numerus, materiæ difficultatem prorsus ignorantes, neq; intelligentes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos, indiscretæ deuotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis affectu, ad tumultus & simultates concitant, quos tumultuantes atque dissidentes componere sedareque potius oportebat. Cumq; paruulis in Christo lac infundere, proiectius solidum cibum apponere deberent, dum in huiusmodi controuersijs interminatis versantur, omnibus vbera proferunt arentia, quod non absq; maledictionis nota legimus in Propheta

Ierem 23.

Osee 9.

Nos igitur, qui prædecessorum nostrorum saluberrima decreta pro vtribus salua esse cupimus, potissimum illa quæ sacrosancta Synodo Tridentina denuò sunt confirmata, liberam cuiq; facultatem relinquentes opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis piam, vel magis probabilem esse iudicauerit: Prædictorum igitur Concionatorum, aliorumq; contentioni atq; temeritati, populorumq; scandalis occurrere studentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiã, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitu-

plenitudine, statutum fel. re. Sixti 4. prædecessoris nostri super eare, quod à præfata Synodo innouatum est (illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plenè & sufficienter expresso, & inserto habentes) Apostolica authoritate tenore præsentiū, confirmamus & approbamus, atq; vt deinceps à cunctis efficacius obseruetur, perpetuò statuimus & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus nemo cuiuscunq; ordinis, gradus, cōditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel vbicunq; promiscua virorum et mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare, rationibus, vel doctorum authoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cuiusuis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat.

Qui contra fecerit, suspensionis pœnam à diuinis absq; noua declaratione ipso facto incurrat, si modò fuerit in sacris constitutus, & quocunque præterea gradu, siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, & ad eadē, vel similia munera obtinenda, vel obeūda, perpetua inhabilitatis censuræ ipso etiā facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, siue absolui nō possit. Et nihilominus alijs pœnis, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mensura, infligendis subijciatur, prout subijcimus.

Cæterùm quamdiu per Apostolicam sedem altera pars definita non fuerit, opposita q; sententia condemnata, liceat viris doctis in publicis Academiæ disputationibus, siue generalium aut prouincial. Capitulorū, vel vbi aliàs intersunt, quirem capere possunt, nec scandali vlla subest occasio, de illa quæstione disserere, & argumentis vtrālibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra, veluti erronea præiudicetur. seruētur q; illa omnia, quæ à dicto Sixto prædecessore nostro statuta sunt: quorum singula, vt præfertur, etiam quantum ad alias pœnas, duximus innouanda, & innouamus per præsentes.

Vt autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium quorum interest, notitiam congruentius

peruenire possint; in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, etiam eo ipso incurrenda, si in his, quæ mandamus, exequendis se negligentes exhibuerint, præcipimus & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinarijs, ac eorundem Vicarijs, Suffraganeis & Officialibus quibuscunq;, & alijs singulis, ad quos quomodolibet spectat & pertinet, quatenus huiusmodi nostram constitutionem singulis suæ Diœcesis vel districtus Prædicatoribus, & alijs quibus expedire iudicauerint, oportunè insinuent, & publicent, ac insinuari & publicari faciant.

Et ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare, Volumus, & similiter eadem authoritate decernimus, & mandamus, quod præsentes litteræ, per aliquos ex nostris cursoribus in Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie campi Flora de vrbe, de more publicentur, & affigantur, & illis inde amotis, remaneant in eisdem locis earundem exempla affixa, quæ publicatio & affixio, ita omnes, ad quos spectat, afficiat & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac quibusuis indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis personis etiam quantumcunque qualificatis, & in quacunq; etiã Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, & quauis alia dignitate & honore constitutis, etiam quod interdici, suspendi, vel excommunicari nequeant, quomodolibet concessis, quæ eis contra præmissa in aliquo suffragari non posse decernimus, cæteris q; contrarijs quibuscunque.

Volumus insuper & decernimus, quod præsentes vim perpetuæ, & irrefragabilis Constitutionis obtineant, et quod illarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si ostensæ vel exhibitæ forent. Regula Cancellariæ nostræ Apostolicæ quacunque in contrarium disponerent, non

non obstante. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, statuti, ordinationis, mandati, subiectionis, innouationis, præcepti, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1570. pridie Kalend. Decemb. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi, 1570. indictione xiij. die verò septima mensis Decemb. Pontific. Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D Pij diuina prouidentia Papæ V. anno quinto retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt, in Basilicarum S. Iohannis Lateranensis & Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, & acie Campi Floræ, dimissis illarum copijs affixis per nos Ioannem Andream Panizzam & Petrum Aloysium Gaitam præfati S. D. N. Papæ Curs.

Camillus Cherubinus Magister Cur.

DE CVSTODIBVS, CAMPANARIIS, ALIISQVE EIVSDEM muneris atque officij Ecclesiæ ministris.

AD decorem domus Dei & Ecclesiasticæ reformatio- 1.
nis integritatem, quam pro Legationis nostræ munere flagranti perpetuoque studio molimur, pertinet; vt ea etiam officia ac munia, quæ humilia ac minima in Ecclesia esse videntur, magna diligentia, honestate ac grauitate peragantur; eoque accuratius, ac religiosius exerceantur, quò humiliora habentur; ne si negligenter, 1. Cor. 12.

sordidè ac sine cultu fiant, diuino cultui, quò destinata sunt, magis officiant quàm seruiant, magisque pulcherrimam Ecclesiæ faciem dehonestent; quàm si prorsus non essent.

Conc prouin. sub Herman. 5. parte 3. ca. vlt Adolp. 3. in his quæ in Cathedralib. & Collegiat. Ecclesijs inquirenda sũt § 33 pa 480. b et § 76 pa. 483. a et ibi. § 78.

2. Cùm igitur Custodes seu Campanarij, Ostiariorum in Ecclesia munus gerant, ac pleraque obire teneantur, quæ vetus Ecclesia, nullis nisi in minoribus Ordinibus constitutis agere permisit: vt sanctorum Ordinum functiones in vsum iuxta sacros Canones reuocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur, & homines laici leues, nulloque rerum Ecclesiasticarum amore imbuti à ministerijs Ecclesiasticis arceantur; illius pristini moris restituendi desiderio flagrantes, decernimus; vt in posterum, ad Ostiariorum, Custodum, seu Campanariorum ministerium non alij admittantur, quàm viri Deum timentes, religiosè pij, honestæ vitæ, strenui, & in arte cantandi periti; qui in dicto Ordine iam constituti sunt, aut habiles, idonei, & digni, vt mox ad illum promoueantur; omnesque posthac bigami, tabernarij, infames aut aliqua sordida officia exercentes, & qui tonsura Clericali insigniti non sunt, ab hoc munere excludantur.

3. Qui autem habiles ad id muneris & idonei inuenti fuerint, atque ad ministrandum in hoc ordine Deo & Ecclesiæ assumpti: hisce constitutionibus deuotè, ac religiosè sese conforment.

Conc prouin. sub Adolp. 3. in Censur. & Decret. cap. Delatum quoque. pa. 448. c. Idem Adolp in his quæ in Cathedral. & Collegiat Ecclesijs inquiren

4. Barbam aut comam indecentẽ, quemadmodum in prouinc. Concilio sub Adolp. 3. vetitum est, ne nutrianꝰ; sed tonsuram ac habitum gestent Clericalem; & cùm ministeria sua exhibent, albis præterea & mundis superpelliceis induti sint. Qua re admoneantur, semper quidem eos à reliqua plebe, vitæ & morum sanctitate, tantum debere esse segregatos, quantum clericali vestium ac tonsuræ forma segregati ab illa sunt: at verò cùm Ecclesiasticis ministerijs funguntur, ac religiosa veste fulgent,

gent,à semetipsis quoque quales in familiari & domestica conuersatione sunt,singulari quodam pietatis splendore ac morum grauitate oportere esse discretos, vt nihil in eis tum appareat,quod personæ priuatę magis quã publicæ,quam gerunt,conueniat.

da sunt,§. 75 pagin. 483 d. Conc prouin. sub Herman. 5 parte 3. ca. vlt. Conc pro uinc. sub Con sub Henrico,

rado Episcopo Colonienſi,cap.8.pag.12.c Statut VVichboldi,cap.17 pag.56.b. Conc.prouin. Anno 1310 habit cap 16 pag 81 d Statut VVilhelmi ca 31 pag. 18 d.

5. Ostia Ecclesiæ diligenter custodiant, eaque debitis temporibus aperiant,ac finito diuino officio mox claudant,maximè si templa in quibus seruiunt, eo constituta sint loco, vt compendij gratia, quasi per plateam publicam,publicus per eam transitus irreuerenter fiat, aut non tam orationis, quàm prophanæ deambulationis causa,conuenire eò homines soleant.

6. Vestibula portarum templi, ex ea solùm parte reserant,qua nec ex platea in templum,nec ex templo in plateam prospectus esse queat.

7. Diebus ferialibus,& quandocunque populus agminatim ad Ecclesiam concurrere non solet,non integras valuas, sed minimas duntaxat templi ianuas aperiant, easq; ita componant,vt transeuntes cum oneribus intrare non possint.Qua de causa & cratibus ferreis,quas onera portantes difficulter transeant,& vestibulis ac diathyris,quæ se inferendis oneribus obijciant,& ianuis paruis ac humilibus,in ipsis valuis excisis,atque ostijs quæ contra intrantes suo pondere renitantur, alijsque obstaculis ingressum templi onera portantibus, pia ac sollicita maiorum prudentia impeditum esse voluit.Quę omnia nunc innouanda censemus, vt domus Domini soli orationi sancta sit, ne tandem crescente hominum impietate in publicam plateam vertatur.

8. Si quos autem nihilominus onera per templum irreuerenter portare animaduerterint, eos ad ruborem suum,istac qua intrauerant,educant.

9. Nul-

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19 Ioan. 6. Synod. Diœces. sub Adolpho 3. Anno 1550. feria 3. post Remigij habita in mãdato, cuius Cathedr. lib. Synod. Diœcesan. sub Sig. cap. 11. § 4. pa. 45. b.

9. Nullos ementes aut vendentes in propylæo Ecclesiæ, aut pro illius foribus propius quàm deceat, Christi exemplo patiantur; & maximè eos hinc abigant, qui vinum vendunt igni eliquatum, quod vinum adustum vocant, ne plebs, cui hoc pro ientaculo sumere consuetudo est, fœtenti anima totam Ecclesiam inficiat, alijsq; ieiunis caput dolere faciat.

initium est. Quum inter omnia pa. 516. c d. & § 34. in his quæ idem Adolph. in Ecclesijs & Collegiat. inquirenda decreuit pag 480. b.

10. Cœmiteria ab omni spurcitie & immunditia, sancta custodiant, caueantque ne quid in eis indecorè fiat, præcipuè ne sepultorum ossa, vel à canibus aut porcis comedantur, vel ab hominibus conculcentur.

11. Canes, porcos, aliasque bestias à domo & aula sancta Dei perpetuò arceant, ac mox si quando illam ingressæ fuerint, eijciant. In quod opus, in quatuor templi partibus, flagellum semper ad manus sit.

Adolph. 3 in his quæ in Cathedr. libris & Collegiat. Ecclesijs inquirenda sunt. § 33 pa. 480. b. Conc. Laodic. ca. 6.

12. Nec minus eis curæ sit, vt ex Ecclesia Dei eijciant canes mysticos, interdictos, excommunicatos, hæreticos, & qui ad templum veniunt, vt illud prophanent, aut sanctas Ecclesiæ cæremonias ludibrio habeant; diligentissimeque curent, ne qui ex his alijsve indignis, ad sacramenta & sacrificia, quæ solùm filiorum Dei sunt, admittantur.

Adolph. 3 in his quæ in Cathedral & Colleg. Ecclesijs inquirenda sunt § 31. pag. 480 b.

13. Prophanæ deambulationes, risus, rixæ, incondita & irreligiosa colloquia, inuerecundæ & importunæ eleemosynarum emendicationes, & quæcunque orationis aut concionis tempore, sacerdotum aut populi animũ in diuersa trahere possent, vel his aut illis molesta esse; quæque item domum Dei quouis modo prophanarẽt, cultusque diuini honorem minuerent, ne fiant siue in templis, siue in locis templo vicinis, pro virili sua parte, & domus Dei zelo, prohibeant.

14. In sacristia altum ac perpetuum curent esse silentium, nec eò vnquam fœminas ingredi patiantur.

15. Ab omnium sordium genere Ecclesiam semper

mundam

mundam tueantur, & magna deuotione satagant, vt in ea pro honore ac gloria Dei omnia splendida sint atq; ornata; nihilq; officij sui intermittant, quin empla Dei hoc sint, & verè atq; omnimodè esse appareant, ad quod ædificata & consecrata sunt; typus nimirum, & imago quædam matris nostræ, quæ in cælis est, Ieru salem.

16. Feretra, seu vehicula, quibus in supplicationibus Sanctorum reliquiæ aut imagines portantur, & fulcra quibus in medio templi certis diebus proponuntur, aliaque impedimenta eo loco, certo ordine reponant, vbi nihil decori & pulchritudini domus Dei officiant.

17. Qualibet hebdomada totam Ecclesiam scopis verrant, omniaq; ex ea purgamenta eijciant, nec minus hac in re studeant placere Christo Domino, quàm regibus aut principibus placere volunt, qui eorum regias atq; aulas curant; quinimò quàm ipsi domi suæ famulum aut ancillam in curanda re domestica, omnibus modis, placere velint sibi.

18. Quotannis minimum ter, imminente nimirum festo Natiuitatis Dominicæ, Resurrectionis eiusdem, ac Assumptionis glorioſæ virginis Mariæ, omnia templi laquearia, omnes parietes, omnesq; fenestras vitreas, sacras imagines, columnas, columellas ab omni puluere, atque aranearum telis liberent.

19. Sacrosancta altaria, eorumq; fornices, lacunaria atq; tegumēta perpetua cura ab omni puluere, & aranearum opere tersa semper ac nitida seruent.

Synod. Diœcesana sub Sifrido habita cap. 7. pag. 39. c.

20. Eadem in singulos dies pro temporis ac solemnitatis ratione pallijs conuenientis coloris exornent, & sacras vestes in sacristia pro colorum varietate, ad Sacerdotum atq; aliorum ministrorum in sacrificijs, diuinisque officijs dignitatem ac grauitatem tuendam, mysteriorumq; rationem in tempore proferant.

21. Aulęis, tapetibus, ac frondibus templi parietes, ac

puluinaribus sedilia, cũ diei alicuius festi celebritas postulauerit, exornent; omniaq; quæ ad cultum & ornatum domus Dei faciunt sedulò præstent. Peracta autem celebritate, ea quæ exposuerant, ab omni puluere ac macula, si quam fortè contraxerint, diligenter expurgẽt, & in armaria sua recondant.

22. Vt autem de colorum distinctione, certa constet varietas, nec pro custodis voluntate quotannis varietur Ecclesię facies, cùm nihil hac de re in statutis aut ritualibus libris Ecclesiæ Colonienſis scriptum inueniamus; Volumus vt colores paramentorum altaris, sacrificantis & ministrorum, quò officio Missæ & diei semper conueniant, iuxta præscriptionem libri ritualis, & vsum Romanæ Ecclesiæ varientur, tum maximè, cùm de obseruatione Metropolitanæ Colonienſis Ecclesiæ ex certa traditione, certi nihil constat.

23. Diligentissimè curent, vt ne venerabiles ac pretiosæ Sãctorum Reliquię sacrilegijs aut furto expositæ sint; ne item vilescant, ac sine cultu iaceant, vel irreuerenter ab aliquibus tractentur; sed nec ipsi id faciant, neque eas, aut sacros calices, patenas, aliaq; sacra vasa, corporalia, purificatoria, nisi in sacris Ordinibus constituti fuerint, attingere ausint: ne temeritate sua, iram Domini super vniuersum populum inducant.

1. Paral. 15. 2 Regum 6. De consecrat. Dist. 1. cap. In sancta; *& cap.* Vestimenta *Distin 23. cap.* Sacratas, *cap.* Non liceat. *Concil. prouinc sub Herman. 3. parte 3. cap. vltimo Stephan. Papa Epistola 1. ad Hilarium Episcopum. D. Gregor lib. 3. epistolarum indict 12. epistola 30.*

24. Quandocunq; quis sacrificaturus est, signo campanæ id populo indicent, altare parent, candelabra ponant, cereos accendant, puluinaria seu pluteũ ad suffulciendum librum missalem, vrceolos cum vino & aqua, librum missalem, tabellam osculatoriam, & hyeme etiam foculum cum prunis, ad cornua altaris, dum Sacerdos sese parat, apportent: eidem in tempore idoneum ministrum accersant, & si is haberi non poterit, aut in administrando non rectè suo fungatur officio; ipsimet

Sacerdo

Sacerdoti administrent: vel si ab hoc per alia necessaria ministeria impediantur, saltem negligentiam, defectus, aut errores administratoris corrigant, omniq; cura & sedulitate circumspiciant, vt sacrificantibus debita cum reuerentia, decore ac grauitate inseruiatur, nihilq; vel ab administro, vel ab alio fiat, quod eos perturbare possit.

Statu Vvichboldi, cap. 17. pag. 56 b. Cōcil Prouinc. sub Henrico Anno 1310. habit cap 16. pag. 81. d.

25. Casulas, quibus dalmaticæ aliquæ correspondent, quæque ad hoc factæ sunt, vt non nisi cum Diacono ac Subdiacono administrante, in Sacerdotum vsum sint; ad alias Missas, quæ sine hisce ministris fiunt, non exponant; ne crebriori vsu inter se dissimiles fiant, & dalmaticis integris, casulæ detritæ, & consumptæ sint.

26. Vestes sacras, aliaq; ornamenta, quæ in vsum certorum altarium aut Sacellorum donata sunt, ea ne communia faciant.

27. Absoluto sacrificio, cereos extinguant, altare contegant, omnia quæ apportauerant asportent, suis locis singula restituant. Vestes sacras, non quidem tumultuario, sed seruata plicādi arte ac ordine, debito modo conuoluant, & in vestiario, sine offensione, suauiter reponant.

28. Hostias, in singulos saltem menses nouas, recentes, pulchras, & integras, habeant, ac eas quæ elapso mense superfuerunt, consumant. Vinum autem semper purū sit, & tanto dignū mysterio ac conueniens; non aceto sum, non corruptū, vel nimis aquosum, aut à natura sua deficiens. Ne quod mēsis, corporisq; refectioni abominabile esset, atq; voluptatis posset esse remedium, id sacrificijs, ad placandum Dominum exercituum, cuius nomen horribile in gentibus, satis bonum, præstans, ac generosum habeatur.

Synod Diœcesana sub Sifrido cap. 7. pag. 29 c. d. Malach. 1.

29. Aquam etiam in vsus sacrificiorum limpidissimā sēper habeāt, quotidieq; recēs haustā; non in lauacro, aut situla, vnde immergēdo vrceolos aut ampullas hauriatur; sed in mūdissimo & decēter cooperto anguſti oris

poculo,& huic duntaxat vsui seruiente,ex quo in ampullas infundatur.

30. Aquam lustralem singulis hebdomadibus, in aquiminarijs & amulis renouent;aquiminaria & amulas mundent,& ne quis faciem,manus,vel aliud quidquam in his abluat,prohibeant.

Sifrid. ibid. 31. Ampullas singulis mensibus, aut etiam crebrius intus ac foris,ita vt splendeant,diligenter expurgent,aut expurgari curent.

Concil. prou. sub Herm. 5. c. vlt parte 2. Concil pro. nunc sub Adolp 3 capit. Delatum quoq; &c in Decretis & censuris pag.448.c.d. & in inquis. quas Adolp. 3 in Cathedr. & Collegiat. Eccles.inquirendas digessit §.74.pag. 482.d.

32. Toties quoque calices, patenas,corporalia, atque purificatoria, si in quotidiano vsu fuerint, à iuniore sacellano,vel ab aliquo in sacris Ordinibus cõstituto,quin imo ab ipso Parocho, si præter eum nullus in Ecclesia quam regit sacris Ordinibus initiatus inueniatur, lauari ac mundari curent. Si autem rarius fuerint in vsu, pro ratione vsus rarioris, differri poterit mundatio, nunquam tamen tamdiu, vt aliquid ex his sordidum esse appareat, aut aliqua macula, quæ munditiei studiosum offendere posset infuscatum. In quam rem vas æneum incoctile, seu fusili stanno incrustatum habeatur, quod nulli alteri vsui seruiat. Aqua verò huius ablutionis nõ in plateam aut locum,vbi aliarum rerum colluuies proijcitur,sed in Sacrarium loco honesto, nulliq́ue vilitati obnoxio,vbi mox à terra absorberi possit,effundatur.

33. Eadem habeatur ratio albarum, amictuum, mapparum,manutergiorum, omniumq́; aliorum, quæ ex lino confecta sunt:quę tamen per alias honestas personas ablui,& mundari poterunt, vti & corporalium ac purificatoriorum ablutio perfici, cùm primùm à Sacerdote vel aliquo in Sacris Ordinibus constituto abluta fuerint.

34. Candelabra ac reliqua omnia,ęnea ac stannea,bis minimum quotannis defricent, expoliant, ac ab omni squalore,ac rubigine accuratè expurgent.

35. Nunquam Domum Dei vel mundent, vel exornent, nec aliquid quod tumultum in ea facere posset, faciant;

ciant; nisi cùm finito diuino officio, fores templi clausæ esse solent.

36. Curabunt quoque ne qui humum, sepeliendo cadaueri, aperit, Sacerdotibus aut oranti populo, fabulis, clamore, aut tumultu aliquo molestus sit; ac ne sepultorum reliquias, quas fodiendo offendit, impiè ac irreligiosè tractet; neue loculos integros auaritiæ causa frangat, excussoque cadauere, tabulas, aut vendendi, aut comburendi causa domum auferat. Quod si facere præsumpserit, apud illum qui eum ad officium assumpsit accusandus erit, eoq; ab illo priuandus. Saluo nihilominus iure, quod in spoliatores mortuorum constitutum est. *ff. de sepul. viola. l. iij.*

37. Quando in templo aperiendum erit sepulcrum, id quoq; si fieri possit, clauso templo fieri curent; ac vel ante lucem, vel prandij aut cœnę tempore, finitisue vespertinis precibus.

38. Horologia sua rectè dirigant, totius enim Reipub. plurimum interest accuratam temporis haberi rationem.

39. In ciuitate Metropolitana Colonienſi, vbi pleraque templa proprium horologium habent, singuli horologiorum Rectores, horologium suum Cathedralis Ecclesiæ horologio (nisi illud manifestè errauerit) semper consonum esse curent: vt hac in re etiam ostendatur, quanta cum Superioribus, in his quæ bona sunt & laudabilia, ac officio suo bene funguntur, subiectorum debeat esse conformitas ac concordia: qui vt rectè sapiant, potius debent minus sapere, quàm contra Superiorem suum non manifestè errantem se eleuare: *Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier bene faciens.* *Rom. 12. Eccl. 24.*

40. Campanarum sono Ecclesiæ ministros, alioſque Christi fideles, ad diuinum officium, & ad audiendum verbum Dei, ex præscriptione libri functionis, seu ministerij sui, quem ab Ecclesia cui seruiunt acceperunt, statuto tempore conuocent.

41. Mane, meridie, ac vesperi, ad innouandam incarnationis, ac passionis Dominicæ memoriam, & ad excitandum & commonendum populum, ad ea quæ titulo de Pastoribus, Articulo, *Cùm verò iam nihil* &c. con-
Pag. 312. stituimus, campanæ maioris pulsu dent signum.

42. Idem faciant ad consecrationem corporis & sanguinis Domini; vt cuncto populo offerendi cum Sacerdote detur occasio, & hoc quod pro eo à Sacerdote agitur, votis desiderijsque suis, ipsemet quoque agat.

43. Similiter ex antiqua & laudabili Ecclesiæ consuetudine, concitata tempestate, campanas pulsent; vt aduersariæ potestates, tubas Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi audiētes, territæ fugiant, & à tempestatis concitatione conquiescant; atque populus fidelis adorandum admoneatur & prouocetur, vt supplex ab imminenti periculo liberari mereatur.

44. Cùm cantatur diuinum officium, vnà cum alijs alacriter & magno cum affectu concinant, ac vocis suæ præconio laudem Dei concelebrent. Aliàs autem reuerenter & deuotè, prout Sacerdotum ac Ecclesiæ ministros decet assistant; vel flexis genibus, vnà cum Sacerdotibus, Diaconis, alijsque Clericis, ac Dei ministris, preces Ecclesiæ, tota voluntate Deo Patri offerant.

45. Consuetudo quotidiana versandi in templo Dei, ac sacris altaribus assistendi, non faciat vt diuina mysteria ipsis vilescant, ac Sacramentis salutis nostræ, honorem debitum non semper deferant; perindè ac si quid esset quod eis ne hoc faciant, impediat, aut quasi priuilegio ministerij sui, ab honore ac adoratione Deo facienda exempti essent. Sed eò magis & fides eorum excitetur ac augeatur, & charitatis ac honoris deuotio in Deum magis incalescat; quò hisce diuini erga nos amoris, ac feruoris mysterijs, &

Sacra-

Sacramentis sunt propinquiores. Quare quotiescunque tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, aut summũ altare præteribunt, siue minimo siue maximo interuallo id fiat, siue soli, siue cum reuerenda hominum multitudine fuerint; faciem reuerenter huc conuertant, ac flexo nonnihil poplite Deum suppliciter adorent.

46. Idem obseruent cùm aliud altare præteribunt, ad quod Sacrificium fit, ac alios ex populo id non facientes vt faciant, admoneant.

47. Præcipuè autem curent, vt, cùm S. Eucharistiæ Sacramentum administratur, communicantes piè ac religiosè accedant, & cum omni reuerentia, ac pietate illud suscipiant: atq; in aliorum Sacramentorum perceptione, prout Christianos decet, sese gerant.

48. Cùm sacra Eucharistia ad ægrotos deferenda erit, Sacerdotem cum lumine aperto capite præcedant, ac tintinnabuli pulsu Christi fideles ad adorandum corpus Christi, illudq; comitatu suo cohonestandum & pro ægroti salute vnanimiter comprecandum conuocent.

49. Ad sacrosanctum sacræ Eucharistiæ Sacramentum perpetuò lumen foueant. Quod vt ad testandam fidei deuotionẽ, religiosè ac magnificè à maioribus obseruatũ fuit; ita ne à fidei ac pietatis eorum feruore declinetur, eò maiori nũc contentione, ac studio obseruandũ erit, quò magis magisq; tempora appropinquant, ac fortè nunc adsunt, de quibus dictum est; *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Luc. 18.

50. Cùm corpus Dominicum ex tabernaculo proferẽdum erit, vel aliâs aliam ob causam Tabernaculum Venerabilis Sacramenti aperiendum, non ipsi hoc faciant, sed duntaxat Sacerdotes Domini. *Statut Herman. 4. §. 23. pag. 274. c.*

51. Cùm tempore diuini officij Christi fideles munera sua ad altare offerunt, non ea mox à facta oblatione auferant,

auferant, sed peracto diuino officio, actum fideliter in Gazophylacium Ecclesiæ mittant, aut ijs, quibus ea tradere tenentur tradant.

52. Ad recipiendas ad altare fidelium oblationes, quę vel stationum, vel alio quouis tempore offerri solent: nusquam, ne in Monasterijs quidem aut Collegijs Virginum, fœmina pręficiatur. & sicubi virorum loco in Monasterijs aut Collegijs virginum, Campanariorum aut Custodum fungantur officio, caueant vt ne muliebri aut puerili instabilitate hac illacque irreuerenter per templum discurrant, quinimò satagant vt orationis tempore, quantum fieri potest, ne conspiciantur quidē.

53. Quando Christiano more cerei, aut candelæ à Christifidelibus offeruntur, & ad declarandam suam in Deum voluntatem, vt sint in holocaustum accendantur: non eos vel ad priuatos vel ad alios, quàm à populo offeruntur vsus auferant. Sed quod offerentes volebant, ad consumptionē suā ardere sinant, ne cadant in peccatum puerorum filiorum Heli, de quibus dicit Scriptura, *quod erat peccatum eorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant populum sacrificio Domini.*

1. Reg 2. *Stephan. Papa epistola 1. ad Hilarium Episcopum.*

54. *Diligentem habeant curam vt libri Missales, aliique qui diuinis vsibus seruiunt, casulæ, dalmaticæ, corporalia, aliaque Ecclesiæ ornamenta semper integra sint, ac talia vt cum honore ac decore diuinis vsibus seruire queant. Si quid autem laceratum, fractum, aut aliqua instauratione indigere aduerterint, id quàm primùm instaurari curabunt, vt ne diuturniori dilatione, damnum maius fiat, & tandem forsitan incurabile.

*Cōcil prou. sub Henrico Anno 1310. cap. 17. pag. 82. a Adolp. 3. in Inquisi quæ in Cathedral. & Collegiat. Ecclesijs inquiri debent: §. 85. pag. 483. b.

55. Huius rei gratia fenestras vitreas, tectum, sedilia, aliaque quæ vel ad ædificium, vel ad ornatum, vel ad supellectilem templi faciunt, diligenter perlustrabunt: & siquidquam instaurandum offenderint, eius quàm primùm templorū ædituos, vel illos, quibus hæc cura incūbit, ad-

bit, admonebũt. Qui si in prestãdo officio negligentes fuerint, eorum inspectores aut Superiores, huius negligentiæ admonendi erunt.

56. Hæc sollicitudo, quamuis custodibus perpetua esse debeat; peculiariter tamen eam & singulari studio, imminente hyeme quotannis cordi eis esse volumus; eisq; præcipimus, vt circa festum S. Michaëlis omnia templi loca obeant; supra ac infra omnia diligenter inspiciant; armaria, ac arcas omnes aperiant, ac perscrutentur; ornamenta singula, & quæcunque eorum custodiæ ac curæ commissa sunt reuolũant, & studiosè intueantur; quæq; reparatione aliqua egere obseruauerint, eadem antè festum omnium Sanctorum reparata curent.

57. Nihil vnquam ex Ecclesiæ ornamentis aut thesauris, aut quacunq; Ecclesiastica suppellectile extra Ecclesiam efferant, aut alijs ad ornandam Ecclesiam suam dent mutuum.

58. Omnia & singula, quorum cura ac custodia eis credita est, quemadmodum iureiurando tenentur, fideliter seruent, atque custodiant: ac fidelitatis suæ quotannis minimum semel (ac sæpius si Ecclesiarum rectores id voluerint, vel Ecclesiæ consuetudo id exigat) iuxta Ecclesiæ inuentarium seu repertorium, faciant fidem.

59. Si verò Ecclesiarum Rectoribus ex corporalibus, purificatorijs alijsq; Ecclesiæ ornamentis, quædã detrita, aut vetustate cõsumpta esse tũc videbũtur: eadẽ, ne res sacræ prophanẽtur, vel extra Ecclesiã efferãtur, igne (nisi aliud illi iudicauerint) cõsumant, ac cineres in sacram piscinam proijciant, aut loco honesto, vbi nullus transitus est, sepeliant. *Dist. 1. c. Altaris palla.*

60. Quæcunque sui muneris sunt, ipsimet obeant. Si quando autem vel in pulsandis campanis, vel alijs similibus ministerijs, in quibus aliorum egent auxilio, alij asciscendi erunt; eos asciscant, qui ad hæc ex officio suo,

aut ordinatione Ecclesiæ obligati sunt; aut si certi ab Ecclesia destinati ad hæc non sint (quod tamen vt inepti & dissoluti, cum Ecclesiæ ministris consortium nullum habeant, factum vbique velimus) non alios asciscant, quàm qui singulari quadam modestia præditi, religiosè ac piè in domo Dei conuersari nouerunt.

Statut. Vvilhelmi cap 31. pag. 182. d.

61. Si quæ præterea ex Ecclesiarum quibus seruiunt cõsuetudine vel præscriptione eis facienda incũbant, eadem perinde ac si hîc recensita essent, omni cum diligentia præstent, ac Ecclesiarum suarum Rectoribus, humiliter ac obedienter in omnibus pareant.

62. Ijsdem in omni munere regiminis eorum, pro suo modulo adiumento sint; & quæcunque eis suggerenda aut indicanda cognouerint; eadem ne quid latere eos possit, ijsdem suggerant, atque vt officium suum præstare possint, reuelent.

63. Si autem ex his quę Custodibus obseruanda digessimus, quædã in Cathedralibus Ecclesijs à Thesaurarijs, Magistris fabricæ, Virgiferis: & in Abbatijs, Cœnobijs, aut Monasterijs, à Procuratoribus, Ianitoribus, alijsue Canonicis, Clericis aut Ecclesiarum ministris curanda sint, & quæcunque alia eis incumbentia officia Decani, Abbates, alijque Ecclesiarum Prælati ac Religiosorum Præfecti ab ipsis præstari curent, & decorem domus Dei, ad eiusdem honorem & gloriam, omnibus modis tueantur, ac promoueant.

DE DIVINIS OFFICIIS.

1. Si in quibuslibet Ecclesiasticæ reformationis capitibus sollicitè, magnaque animi contentione laborandum est, vt nihil inordinatum remaneat, nihil integritatis suæ splendori non restitutum: multum magis contẽdendum est, & feruenti zelo curandum, vt diuinis officijs, sa-

eijs, sacrosancta reddatur maiestas, omniaque in his viuam atq; perfectam in Deum fidem, spem & charitatem redoleant. Nam diu stare Christiana religio non poterit, vbi fides, spes ac charitas, in diuino cultu non existit. Itaq; pro legationis nostræ munere, ac flagranti in Deum charitate, atq; in diuinum cultum studio, hæc infra scripta ad diuini cultus celebritatem seruanda decernimus, omnibusque ac singulis Ecclesiarum quarumlibet Prælatis seu Rectoribus, cuiuscunq; ordinis, conditionis, aut sexus fuerint, quatenus quosq; tangere possunt, sollicito, vigilanti, magnoque animo in vsum ducenda præscribimus.

DE HIS QVAE FACIVNT AD DILIgentiam, assiduitatem, numerum & frequentiam ministrorum laudem Dei in diuino officio celebrantium.

2. Quæcunq; de Canonicorum, Vicariorum, aliorumque Clericorum residentia, & de distributionibus quotidianis, à nobis sancita sunt, tanquam firmi ac necessarij disciplinæ Ecclesiasticæ, in his quæ cultus diuini sunt nerui, quauis collusione ac negligentia exclusa, tam in Collegijs nobilium, atq; illustrium Virginum, quàm Virorum, religiosè ac inuiolabiliter ab omnibus obseruẽtur: vt qui amore ac charitate, rerumq; æternarum consideratione, ea quæ officij ac muneris sui sunt, aut non faciunt, aut non rectè faciũt, rerum temporalium damno castigati, peccatũ suum cognoscant, & timore pœnę eruditi, spiritum dilectionis ac feruoris diuini concipiant. *Vide infra tit. de Residentia. Concil. prouinc. sub Adolp. 3. Medio tertio. cap. Idem statuimus. pag. 436. a b. Cõc. prouinc. sub Herm. 3. parte 3. cap. 10. & 12.*

3. Quicũq; verò in Monasterijs, vbi pro quotidianis distributionibus, quotidiana corporis refectio habetur, à diuino officio sese absẽtauerit, vel in ijs irreligiosè aut negligẽter se habuerit: corporis castigatiõe, p modo culpæ iuxta *Vide quid hac de re ab Ecclesiarum Prælatis desideret Fredericus, cap. 40. statutorum suorum pa. 213. a. b. &*

iuxta Ordinis ac Regulę constitutionem, ad suam emendationem & profectum, aliorumque exemplum & ædificationem puniatur.

4. In Collegia nobilium ac illustrium Virginum, quę personarum defectu laborant, eò quòd nullę eximio illo nobilitatis gradu illustres (quem Collegiorum statuta aut consuetudines requirunt) in huiusmodi Collegia recipi petant: censemus potius inferioris cōditionis honestas, ac aliâs qualificatas personas recipiendas esse; quàm vt vniuersi Ecclesiarum census, qui ad diuini officij maiestatem, multarum personarum sustentationi sufficiunt, à paucissimis teneatur; non sine manifesta iniuria, ac diminutione diuini cultus, ac Collegiorum interitu & defraudatione piæ voluntatis illorum, qui ad augmentum diuini cultus, bona huiusmodi in vita & morte sua donauerunt. Cui malo nisi antè proximam futuram Synodum occurrerint Collegiorum talium Præfectæ, volumus vt ei Synodus oportunum remedium adferat, implorata etiam ad hoc Romani Pontificis, si opus est, authoritate.

5. Idem de quibuscunque virorum aut mulierum Monasterijs decernimus, in quibus ob desideratam nobilitatis, aut similis præeminentiæ conditionem, requisitus ac necessarius personarum numerus deficit. Dona enim externa nobilitatis, & similia, vt non satis sunt, vt aliquē in numerum ministrorum Dei & Ecclesiæ cooptari faciant, si desint alia, quę adverum animi ac Christiani hominis ornatum faciunt: ita cùm alia suppetunt, illa tanti facienda non sunt; vt si desint, Ecclesia potius idoneis, ac necessarijs ministris destituatur, quā assumantur illi, qui omnibus animi ac corporis dotibus pollēt, excepta duntaxat nobilitatis, aut similis cōditionis, hominum iudicio, excellentia.

6. Quicunque Præbendas, Vicarias, officia, aut quælibet alia beneficia obtinent, aut in posterum obtinebūt, quibus

quibus onera varia sunt annexa, videlicet, vt alij Missas, alij Euangelium, alij Epistolam dicant, seu cantent, quocunque ij priuilegio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate sint insigniti aut præditi; teneantur iusto impedimento cessante, intra sex quidem proximos menses Diaconatus, & intra annum Sacerdotij Ordinem suscipere, alioqui pœnas incurrant, iuxta Constitutionem D. Friderici, quę habetur capite 38. statutorum eius, cuius initium est. *Item cùm non solum*: pœnis alijs, quæ contra tales promoueri ad Ordines recusantes, in statutis Ecclesię Colonienſis, vel in iure cõmuni statuuntur, nihilominus in suo robore permansuris: cogantque * eos Ecclesiarum Prælati seu Præfecti, vel Rectores, quocunque nomine vocentur, diebus statutis, dictos Ordines ac officia per seipsos, & non per substitutos (quod in quibusdam Collegijs secundarijs ferè faciunt) exercere, ac cætera omnia officia quæ debent in cultu diuino præstare, sub ijsdem ac grauioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam ætatem, & cęteras habilitates habere dignoscuntur: aliter autem facta, irrita sit prouisio.

Cap 10. Concil. prouinc. sub Conrado Archiepiscopo pag 13. c.d

*Statut. Frederic cap 38. pag 212. a vi de etiam ca. 8 Statut. Wilhel. pa. 159. c d. & 160 a b. ca. 13. Concil. prou. Anno 1310. sub Henrico habiti pag. 81. b. & cap. Vtij de ætate & qualitate in Clemẽt. lib. 1 cap 2. tit. 6 * Stat. Frederic. ca. 40 pag. 213. a.b.c.*

7. Facultates autem de non promouendo, prout in Synodo Diœcesana Anno 1551. sub Adolpho 3. feria 2. post Dominicam *Inuocauit habita*, ex Decretis Concilij Tridentini sancitum est; præter quam in casibus à iure expressis concessæ, ad annum tantùm suffragentur.

Pag 522. c Concil. Trident sess 7. cap. 12. De reform cap. Licet Canon *et cap.* Cum ex eo, *de elett in 6*

8. Vt præterea de sufficienti ministrorum numero, qui satis esse possit diuinis officijs, certius prospiciatur: ne si nimis pauci fuerint Sacerdotes aut Diaconi, alij prę alijs contra fraternitatis charitatem nimis grauentur; & aliquando per aduersam quorundam valetudinem, aliosq; casus humanos, debitum diuino cultui ministerium detrahatur: Statuimus & ordinamus, vt in Cathedralibus Ecclesijs, dimidia saltē Canonicorum pars presby-

teri sint, cæteri verò partim Diaconi, partim Subdiaconi: in alijs autem Collegiatis Ecclesijs tertia minimum pars presbyteri sint, aliæ verò duæ partes ex æquo partim Diaconi, partim Subdiaconi; qui ex ordine sibi inuicem per singulas septimanas in ministerium succedant, ac vicissim alij noui aliorum defungentium munera exequantur: ita tamen vt sicubi laudabilior consuetudo habet, vt plures vel omnes sint presbyteri, eadem omnino obseruetur. Ad quæ vt quisq; fiat propensior, Sacerdotes Diaconis, & Diaconi Subdiaconis, honoratiorem in Ecclesia, Capitulis, Supplicationibus, alijsque Ecclesiasticis conuentibus, post hac locum obtineãt, seruato nihilominus inter eos, qui eiusdẽ sacri sunt Ordinis, ordine ingressus ad Ecclesiam, vt illi inter Sacerdotes Diaconos & Subdiaconos præcedãt, qui prius Ecclesiæ, cui seruiunt, fuerũt assẽripti, non obstãtibus priui legijs, indultis, statutis, consuetudinibus, & alijs contrarijs quibuscunque.

* Cap. Consuluit dist. 71. Cap. Statuimus De Maiorit. & obedient.

9. Porrò in metropolitana Coloniẽsi Ecclesia, seruari iubemus Constitutionẽ Capitis 37. statutorum D. Frederici, quam ad verbum hisce Decretis nostris censuimus inserendam, vt sequitur. Pag. 211.

CAPVT XXXVII. STATVTORVM D. FREDERICI.

QVia in Ecclesia nostra Colonien si, sicut in visitatione prædicta inuenimus, dudum fuit & adhuc est euidens Diaconorum defectus, præsertim ex eo, quod Canonici, qui de consuetudine ipsius Ecclesiæ deberent esse Diaconi, & eidem in Diaconatus ordine deseruire, (quamuis per Decanum eiusdem Ecclesiæ sæpius moniti) distulerunt, & differunt, etiam absq; causa rationabili, ad huiusmodi Ordinem se facere promoueri, propter quod Ecclesia ipsa in Missarũ celebrationibus, ac Capitularis disciplinæ debitis obseruationibus, aliasq; Spiritualibus, & tẽporalibus, grauia sustinuit & sustinet detrimẽta: Nos volẽtes super hoc de opportuno prouidere remedio, requirimus & monemus sub pœna suspen-

suspensionis ab Officio & Beneficio, vniuersos & singulos Canonicos Ecclesiæ nostræ prædictæ, qui iuxta præfatã consuetudinẽ deberẽt ad dictũ Ordinẽ esse promoti & nõ sũt, vt intra quatuor menses post publicationem præsentium continuè & immediatè sequentes, ad eundem Ordinem cessante impedimento legitimo, se faciant promoueri. Alioqui monitioni nostræ huiusmodi nõ parẽtes, à perceptione omniũ fructuũ, reddituũ, et prouentuũ Præbendarũ, quæ in dicta Ecclesia obtinẽt, sint ipso facto suspẽsi.

Inhibentes districtè & sub excommunicationis pœna, quã in his scriptis ferimus, vniuersis & singulis, ad quos fructuũ, reddituum, & prouentuum huiusmodi ministratio, seu quæuis distributio pertinet, ne talibus sic suspensis, quidquam de huiusmodi fructibus, redditibus & prouentibus, aut etiam quotidianis distributionibus, per se vel per alium, seu alio quouis colore quæsito, distribuant, vel ministrent.

Si qui verò Canonici legitimam habuerint excusationem, propter quam à susceptione memorati Ordinis, velint & debeant merito supportari, illam coram nobis aut Officiali Curiæ nostræ Colonienſis intra prædictos quatuor menses proponere & probare debebunt.

Et ne diutius præfata Ecclesia nostra Diaconorum patiatur defectum, volumus & ordinamus, quod si dicti Canonici sic (vt præfertur) moniti, non fuerint intra quatuor menses præfatos, ad Ordinem antedictum promoti, quod ex tunc quatuor inferiores Canonici proximiores in gradu, ad hoc habiles & idonei, seu tot, quod ad minus quinq; vel sex Diaconi ad ministrandum ac seruiendum in memorato ordine sufficientes & idonei, sint in ipsa Ecclesia continuè residentes, possint & valeant ad præfatũ Ordinem ascendere, & ad illum se facere promoueri, ac in eodẽ liberè ac licitè ministrare.

In maiori Ecclesia, ad minimum 6. Diaconi continuè residere & ministrare deberent.

Quibus etiam sub pœna suspensionis antedictæ præcipimus & mandamus, vt ad Ordinem ipsum, cùm ad hoc per dictæ Ecclesiæ Decanum fuerint moniti & requisiti, procedere non recusent.

Vt autem ad hoc facilius inclinentur, statuimus & ordinamus, quod tales post eorum promotionẽ, nec non alij idonei, si qui infe-

inferioris gradus eiusdem Ecclesiæ Canonici, iam ad Ordinem illum existunt promoti, gaudeant & potiantur in Capitulo & extra, omnibus honoribus, emolumentis, & prærogatiuis, quibus ipsius Ecclesiæ Canonici Diaconi, gaudere hactenus cõsueuerunt, & solent. Ordinationẽ quoq; præscriptã deinceps perpetuò, quando & quoties in ipsa Ecclesia opus fuerit, volumus obseruari. Nõ obstãtibus quibuscũq; eiusdẽ Ecclesiæ cõtrarijs cõsuetudinibus, ordinationibus, & statutis, quibus in hac parte, obvrgentem ipsius Ecclesiæ necessitatem, & euidentem vtilitatem duximus derogandum.

10. Qui ab Epistolæ lectione exinde toti Missæ & à primo psalmo singulis horis Canonicis integris, ac minimè interpolatim (nisi forsitan necessitate auocante, petitaq; ac obtenta licentia) non interfuerit, illius horæ aut officij stipendio in totum careat.

Concil prouinc sub Herman. 5 parte 3. cap. 10. Adolp 3. in Concil. prouinc in censurù & Decretù cap Non minori pag. 452. d & in his quæ in Cathedral. & Collegiat. Ecclesijs inquirenda sunt §. 42 43. pag. 480 c. d. Statut. VVilhelm. cap. 1. §. 14. pag. 151. a b.

DE ACCESSV IN TEMPLVM DEI & egressu.

Adolp. 3 in his quæ in Cathedr. & Collegiat. Ecclesijs inquirenda sunt §. 39. pag. 480. c. Caput 72. Stat. Freder. p. 228 c. 229. d.

11. Cùm aderit hora diuini officij, quisque habitationis suæ domum tempori egrediatur, & cum omni grauitate ac alacritate primus in excubijs Domini inueniri studeat; non vanũ nec inane reputans, aut in die retributionis æternæ negligendum, si alios semper præuenire studuerit, ac prior Dominum salutare: & contra plus dãnationis quàm laudis habere, adeoque tepidi, fastidiosi, negligentis, ociosique animi indicium esse, ad vltimum campanæ motum expectare, & auari, irreligiosique hominis præ se ferre notam, desinente campanarum sono ad Ecclesiam certatim accurrere, & instar venatorij canis hiante ore spiritum trahere.

12. Vestitus omnium Clericorum, procedentium ad templum Dei talis sit, qualem eum debere semper esse, titulo

tulo de Canonicis præcepimus: ac nullus nisi tunica talari decenter indutus templū Dei ingrediatur. Abusum autem illum quorundam, qui breui pallio vestiti ad templum accedunt, & togam talarem, qua chorum ingrediantur, in cista aut armario alicubi in angulo templi repositam habent, vbi tandem, finito diuino officio reponunt, deponentes, vt apparet, vnà cum veste Clericali, omnem Ecclesiastici hominis dignitatem; pœna à nobis ibidem constituta sublatum volumus, eamq; quotiescunque id fecerint illos incurrisse declaramus.

Stat. VVilhelm. cap. 1. §. 10. pa. 150. d.

Supra tit de Canonicis artic cuius initiū est. Qui in aliquo horum pag. 217.

13. Si quis habitu quidem Clericali indutus, sed sine superpelliceo, almutio, caputio, aut alio Clericali habitu, pro ratione temporis & diuini officij conueniente, chorum ingressus fuerit, aut supplicationibus vel processionibus se immiscuerit; eum ex sententia capitis 48. statutorum D. Friderici, & Concilij Prouincialis sub Adolpho 3. habiti, distributionis accipiendæ iure se priuasse decernimus, nihilq; ex ea commodi eum accipere iubemus.

Stat. Freder. ca. 48 p 217. a. Conc prou. sub Adolp 3. in Censur ca. Non minor. p 452 c. d.

14. Vbi ad templum peruenerint, in eius ostio, vel atrio ne hæreant aut fabulantes, aut tanquam curiosi trāseuntium vel intrantium obseruatores; neque vt illiberali ingenio pueri, qui inuiti & gementes scholam horrent intrare: sed (vbicunq; id moris fuit) vel in sacristia, vel in porticu seu ambitu Ecclesiæ, loco consueto consideant, ac dum alios expectant, deuotè psalmos pœnitentiales, aut paruum Deiparæ Virginis officium, vel aliud (si certi nihil in Ecclesię statutis ac veteri laudabiliq; cōsuetudine præscriptum sit) pro deuotione sua intentè ruminent, quo sese ad ea quæ facienda incumbunt præparent atq; disponant.

Vide etiam cap 10 stat. VVilhelm p. 161. d. 162. a.

15. Cùm tempus aderit procedendi in chorum, bini ex ordine summa cum grauitate ac reuerentia sine vllo strepitu procedant, non hac atq; illac inuerecundè respicientes, quasi qui à facie Domini foras proiecti sunt, &

in ijs, quæ ad se nihil pertinent, considerandis curiosi; seu quolibet alio nomine reprehensibiles; sed tanquam ante faciem Domini sui constituti, illumque præ oculis habentes, cuius misericordiam, pro sua totiusque populi, ac Ecclesiæ Catholicæ propiciatione, salute, atque incolumitate, supplices sunt deprecaturi.

Dist 23. cap His igitur cap Decet. De Immunit. in 6.

16. Si in choro seruetur sanctissimum diuinæ Eucharistiæ Sacramentum, vel si illud transire cogantur; fide non ficta, demisso capite, flexoque vtroque in terram genu, ipsum colant, totoq; corpore ac corde adorent. Si autem in choro illud non seruetur, venerentur nihilominus locum vbi steterunt pedes Domini; & antè Sacrosanctum altare, in quo pro delictis ac peccatis eorũ totiusque populi, salutaris corporis ac sanguinis Christi hostia iugiter immolatur, dimisso capite profundè sese inclinent, & externa corporis adoratione admoniti, Deũ in spiritu humilitatis honorent. Idemq; obseruent chorum exeuntes.

17. Vbi hæc conueniendi in vnum consuetudo non fuit, neque (quod tamen vehementer optamus) introduci poterit, quisque vbi templum fuerit ingressus, corpore, & mente ante Tabernaculum corporis Dominici in genua prouolutus, per virtutem ac mysterium illius Sacramenti sese Deo, breui ac ardenti oratione commẽdet, atque in illum, tanquam vnicum totius diuini cultus principium, medium atque finem, omnem intentionem atque attentionem animi cõfigat. Inde mox, cum silentio in chorum, eo, quo dictum est, modo, ad locum suum sese conferat. Et si ibidem Decanum aut Superiorem suum adesse inuenerit, eum secundùm Deum reuerenti, ac humili capitis inclinatione veneretur, in testimonium omnimodæ obedientiæ, & in professionem casti timoris.

Statut. Vvilhelm ca 1. §. 11. pa. 150. d 151. a

18. Finito diuino officio, eadem per omnia seruetur à singulis forma, in egressu templi, quæ ingredientibus præ-

præscripta est, Deoq; cum agnitione humilitatis & gratiarum actione, ad locum vbi viuificum Christi corpus reconditur, adorationis & salutationis debitus honor deferatur.

DE CONVERSATIONE ET MODO SE habendi in domo Dei, diuinisq; officijs.

19. Si vsquam, & si vnquam vultu, moribus, affectu, totiusq; exterioris & interioris hominis compositione, declaranda in Deum pietas atque religio est; ea in templo, in choro, in ipsis diuinis officijs, pietatis ac religionis Christianæ, primis facillimisq; actibus, & exercitijs, declaranda est. Parum enim in Deum pius, ac religiosus esse conuincitur, qui hîc irreligiosus inuenitur. De his itaque quæ in choro, in templo, in aula sancta Dei, diuinisque officijs euitanda & obseruanda sunt, nunc sermo erit.

DE EVITANDIS IN CHORO ET Aula Sancta Dei.

20. In choro nemo priuatim sibi officium dicat, & vocem choro subtrahat; nemo libros, litteras, aliasque scripturas legat; nemo vt alterius errorem corrigat, murmurando, ridendo, contentiosè clamando, faciẽdo strepitum, vel alio modo publicum officiũ perturbet; vnus non loquatur cum alio; non hac atq; illac, vano animo curiosoq; oculo respiciat; multo minus huc atque illuc per templum vagetur, aut confabulandi gratia in Sacristiam, aut sacrarium, vel alium angulũ secedat; sed nec locum quidem mutet, nec è choro egrediatur nisi peractis ex toto diuinis officijs. Si quis vrgente aliqua necessitate chorum egredi cogatur; Decano aut Superiori suo, eiusue Vicario reuerẽti capitis nutu, necessitatis & egressꝰ sui causã significet. Nemo tamẽ dũ canitur S. Euangeliũ chorum Decet.

Statut. Vilhelm. c. 1 §. 14 & 19 pa. 151 a b. c. Stat. Sifrid. c. 45 pag 215. d 216. a. b. Conc. prouinc. sub Herm. 5. parte 2. ca 8. part 3 c. 5 6. 7 Adol 3. in inquisit. quæ in Cathed. et Collegiat. Ecclesiacienda sunt § 41 42 43 pa 480. c. §. 46 p 481. a §. 56 58 ibi c. d §. 73 pa. 482 d. cap.

chorum aut intret aut exeat. Si quisquam contra hæc facere præsumpserit, vel quouis alio modo aliquid honoris, maiestati ac decori cultus Dei detraxerit, seu negligenter aliquid sui officij omiserit: pœnis à *VVilhelmo, Theodorico, Hermanno Quinto, Adolpho 3. Colonien sis Ecclesiæ Episcopis, in Concilijs Prouincialibus alijsque statutis, & à nobis in hisce Decretis, titulo de Residentia, vbi de Signatore agitur, cõstitutis puniatur. Qua lege vt in Concilio Prouinciali sub Hermanno Quinto parte 3. cap. 6. constitutum est, nullus excipiatur, siue claris prognatus sit natalibus, siue plebei⁹. Quin potius qui genere præstant, meminerint se Canonicos esse, & conuersari non in aulis mundi huius, sed in scholis virtutum atque Ecclesiasticæ disciplinæ, in atrijs ac porta cæli, in domo orationis ac aula sancta Dei.

De immun. Eccles. in 6. Statut VVilhelm cap. 15. 11. pag 150. d. 151. a.

**Ibidem cap. 19. pag 161 d. 162 a. Conc. prouinc. sub Theodoro Anno 1423. habit. cap. 6 pag. 234. a. Concil proui. sub Herm. 5. parte 3. ca. 7. Conci. proui sub Adolp. 3. Medio tertio cap. vlt. pag. 438. a in fra tit. de Residentia, art. Cuius initiũ est. Si quæ autem errata Conc. pro. sub Herm. 5. parte 3 cap. 6.*

21. † Tempore diuini officij, nulli admittantur in chorum laici. Et ne vnquam illi aliquod altare propius accedant, quàm decet, & irreuerenter ijs hæreant aut incumbant, neitem canes pallia altarium permingendo fœdent, & corrumpant; ad tuendam sacrorum altarium maiestatem & dignitatem, singula cancellis ferreis, æneis, aut ligneis, sepiantur: qui semper clausi teneantur, vt nulli vnquam ad altare pateat accessus, præterquam Sacerdoti, cùm officium offeret, eiusque ministris.

† Syno. Turonica 2. tempore Pelagij Papæ cap. 3.

22. Vt quæ de cauendis in domo Dei ambulationibus, in tractatu de Pastoribus §. 108. præscripta sunt, religiosè à laicis omnibus obseruentur: Decanorum omniumque Prælatorum erit, vt eadem in primis à Sacerdotibus, Canonicis, alijsq; Clericis sibi subiectis, perfectissimè obseruentur.

23. Eos, qui ex alijs Collegijs curiositate magis rerum nouarum quàm deuotionis causa, ad Metropolitanam Ecclesiam conueniunt, ac inibi præter omne decorum, sursum ac deorsum inambulant; Metropolitanæ Ecclesiæ De-

sięDecanus,tanquam Archipresbyter Ciuitatis,& cui pręterea hæc cura in Concilio Prouinciali sub Hermanno quinto specialiter commissa est,suspensione,aliaue maiori pœna Canonica pro ratione culpæ coerceat.

Antidagma Canonicorum Metropolitanæ Ecclesiæ Colonien sis aduersus librum quendam statibus eiusdem Ecclesiæ Bonnæ oblatum, titulo de reformatione & restitutione Collegiorum pag 101. Concil. prouinc. sub Hermanno 5 parte 3 cap. 7.

24. Ad submouendas verò irreligiosas & prophanas laicorum deambulationes, quæ quibusda m in locis nõ tantùm ab irreligiosis Catholicis, sed & à perfidis hæreticis in contemptum Dei,magno cum scandalo,ac piorum omnium offensione, in domo Dei fieri visæ sunt: quisque Prælatus ac Ecclesiæ Rector,si aliter huic impietati occurrere non possit, cum sæculari magistratu agat, vt ad tollendum de Ecclesia sua hoc malum, officium suum faciat,ac maiorum suorum zelum, magna vigilãtia,sollicitudine,& deuotione æmuletur. *Conc. prouin. sub Herm 5. parte 3. cap. 25.*

25. Tribunalia (etiam quæ iurisdictionis Ecclesiastica sunt)& quæcunq; diuinum officium perturbare possunt, aut decori ac sanctitati domus Dei aliquid auferre;in templis non ferantur. Quæ autem ad cultum & celebritatem diuini cultus faciunt,quęque ad munditiam, ornatum atq; splendorem sacri loci, sacræq; supellectilis,titulo de Custodibus,à nobis decreta sunt; ab omnibus in actum & vsum ducantur. *Ibidem cap. 24 cap. Decet.tit. De immunit. Eccles in 6. Conc Magun tinens. sub Carolo c.40.*

DE ANGELICO CANTANDI OFFICIO, & his quæ in diuinis officijs sunt obseruanda.

26. Angelicum cantandi officium,non pigri, nõ somnolenti,non oscitantes neq; parcẽtes vocibus,sed alacriter perficiant: & quo maiore funguntur honore, quoue nobilitatis genere secundùm carnem fuerint clariores; eò clariori voce & affectu omnes pariter, senes cum iunioribus,sine vlla reprehensibili verecũdia aut rubore, in psalmis, hymnis,& canticis laudẽt nomen Domini. *Hier. 48. Cõcil. prou. sub Herm 5 par. 3 cap. 5. D. Bernard. ser. mo. 8. et 47. in Cantic. circa finem Adolp. 3. in his quæ in Cathedral et Colleg. Eccl. inquirenda sunt § 41. pag. 480. c.*

27. In Collegiatis Ecclesijs non incipiatur diuinum

officium, nisi nouem ad minimum adfuerint, qui cãtus periti sunt. In parochialibus autem Ecclesijs, siue ruri illæ fuerint, siue in ciuitatibus, minimum quatuor adsint, artem aut vsum cantandi firmiter tenentes: alioquin altè legendo summa cum reuerentia, ac grauitate diuinus cultus inchoetur & perficiatur, potius quàm vt imperitus cantus, & inconditus clamor Deum inhonoret, ac populum infirmum, quem ædificare debuerat, scandalizet, eumque orantem perturbet.

D. Bernard. locis citatis Cõc. prouinc. sub Herm. 5. parte 3 ca. 5. Adol. 3. in his quæ in Cath. & Collegiat. Eccles. inquirenda sunt. §. 39. p. 480. & §. 57. & 59 p. 481 d. stat. Sifrid. c. 1. pa. 36 a. b. statut Frider. c. 72. p. 229. c. Dolẽtes de celebratione Missarum, & ca. 1. eodem tit. in Clem.

28. Singuli versus, singula verba, singulęq; syllabæ, ad gloriã, honorẽ, & cultum Dei, ad cantantium & audientium ædificationem, studiosè, reuerenter, distinctè, clarè ac intelligibiliter, deuoteque pronuncientur, vt canentium & audientium mens, sensum verborum percipiat, priusquam verba ipsa transmittantur: minimè verò syllabæ syllabis, verba verbis, versus versibus inuoluantur. Præterquam enim quod præceps & inordinatus cantus cultui Dei plus detrahat quàm adijciat; populum magis scandalizet, quàm ad deuotionem & pietatem exciter; magnam quoque animi impotentiam; atque imperfectionem cantorum arguit: eosq; potius effreni quodam animi impetu rapi, quàm rectæ rationis imperio duci conuincit. Quod cùm in omni actione dedecori coniunctum sit; tum in decantatione laudis Dei, & celebrandis Dominicæ passionis mysterijs; in quibus longanimitatis, grauitatis, patientiæ, fortitudinis, sapientiæ, adeoq; cuiusque omnino virtutis spiritum maximè clarescere ac vigere oportebat, ac cantores seu ministros crucifixi Domini, cum Christo crucifixos esse; deformitatis ac dedecoris plenissimum est: eiusque prauitatis authores ac adiutores magis magisque deprauat, ac Deo contrarios facit.

** Cælestinus Papa epist. 1. c. 11 Conc. prouinc. sub Herm. 5. parte 2 ca. 4. & 6. parte 3. ca. 10. 13 D. Bernard. sermo de verbis Ecclesiast. 15. Psalm. 49. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio.*

29. * Sciant omnes qui diuinis mancipati sunt officijs, se ideo de altario ac Ecclesia viuere, & populi peccata comedere; vt officium Ecclesiasticũ purè & strenuè peragendo totius humani generis, apud diuinam clementiam causam agant; totiusq; congemiscentis Ecclesiæ vota preces & laudes Deo offerant, eaque sua puritate, pietate ac merito faciant commendatiora.

Euang. Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, *ante medium.*

30. Quare inuocandi, obsecrandi, postulandi, gratias agendi spiritu, innocentia quoq;, iustitia, simplicitate, fide, spe, & charitate, ac omninò omnib. in rebus, quę Deo ami-

amicũ faciunt,tanto præstare ijs contendant, quorũ causam agunt;quanto par est vt subditos præfectus,ac populum peccantẽ,is qui recõciliatoris, ac mediatoris partes gerit,excellat.Minimeq; satisfeciſſe ſe arbitrẽtur, ſi inani verborum ſono,voluntaria diſtractione,aut non attendendi animo dent ſine mente ſonũ;vt ſint velut ęs ſonans,aut cymbalũ tinniens;ſed eadẽ quæ dicunt intelligant;ac cor ſuum ſeq; ipſos totos in hoc quod verba ſonant conformẽt:vt ijs quæcunq; legunt aut cantant,cor reſpondeat in animo cantantis aut legentis internus pietatis affectus: & cantent in vocibus, cantent in cordibus,voceſque eorum voces ſint Chriſti,voces ſint Spiritus ſancti, non voce tantùm tenus & miniſterio, ſed & affectu, deſiderio,opere, totiuſque interioris & exterioris hominis ſimilitudine ac conformitate.

Conc. prou. ſub Herm. 5. parte 2 ca. 8. Eſaiæ 29. Statut. Conr. c. 3 p 10. c d. Adol. 2 inhis quæ in Cathedra & Colleg. Eccleſijs inquirenda ſunt §. 60. pa 481. 482. a. & in formula inquirendi in monaſterijs ſanctimonialiũ §. 5. & 8. pa. 494. d. 495. a Epheſ 6. 1. Pet. 4.

31. Qui autem necdũ perfectè intelligere poſſunt, quæ cantant aut legunt,ita ad verba attendant, vt eadẽ rectè & clarè pronuncient,& cõmata,cola,periodos,vt ab intelligentibus intelligi queant bene diſtinguãt, mentẽq; ſuã omneq; deſiderium,vel in Deũ ipſum figant, eiuſve vnigenitum Filiũ, Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum Crucifixum,vel in rem quamcunq; aliã oratione Dominica compræhenſam;quę virtute omnia complectitur: quæcunq; in diuinis officijs peraguntur; ſiue illa ad laudem Dei,ſiue ad ſubuentionem miſeriæ noſtræ referantur. Ideoque & in principio,& in fine,ac ſubinde in ipſo quoq; decurſu diuini officij repetitur,vt cantantiũ atque legentiũ mens,in hoc quod inter cantandum aut legendum ſpectãdum eſt,innouetur.Aut ſanè vel huc ſaltem aſcendant,vt agere intendant,quod Catholica Chriſti, per vniuerſum terrarum orbem agit Eccleſia, & ſuſceptum cantandi aut legendi iugum, voluntariè portãdo, fructum referant,ſi non mentis,ſaltem ſanctæ cõmunionis,cum Sanctorũ choro,& ſi non ſemper loci capedine; certè etiã quandocunq; priuatim diuinũ officiũ legunt, ſanctę

sanctæ vnionis fœdere, communiter cantica Dei concre pando.

Statut. Conrad. cap. 3 pa. 10. c. d.

32. Ad cantandas vel legendas lectiones in publico Ecclesiæ conuentu aut consessu, nulli admittantur pueri, nisi qui ea quæ ad rectam pronunciationem & distinctionem requiruntur, optimè calleant.

33. In omni cantu, in omni lectione ac oratione viuat fides, qua se quisque diuinæ maiestati assistere, & cum Deo viuo & vero agere credat. Ex hac fide nascatur verecundia, qua ob diuinæ Maiestatis excellentiam, & multiplices offensiones proprias, perfusum esse decet hominem peccatorem, impetrandi & obtinendi alicuius gratia Deum accedentem. Verecundiæ adsit humilitas, qua se in omni virtute pusillum agnoscat, & de proprijs meritis nihil altum, aut præsumptuosum sapiens, diffidat. Humilitatis indiuiduus comes sit spes, qua cor cõtritum & humiliatum, licet non omni quantum decebat exornatum & instructum virtute, non despiciendum se, nec aspernandum sentiat. Spei coniuncta sit fiducia, qua orantis animus in spe exauditionis confirmetur, nec se in vanum laborare, aut frustra in ministerio cultus Dei versari confidat.

Statut. Vvilhelmi cap 1. § 22. Conc pro uinc. sub Hermanno 5. parte 3. cap. 5.

34. Omnis cantus ea moderatione inchoetur, vt cum suaui vocis modulatione, sine incondita vociferatione, boatu, vociq; raucedine, aut defectu perfici queat: vt verè cantus sit & non clamor, aut diuersarum vocum strepitus: Optimus enim ille cantus est, qui moderata ac alacri modulatione suauissimus.

35. Cantica quæ vsu & consuetudine cantorum memoriæ ita infixa sunt, vt etiam à pueris teneantur, singulari studio, modestia ac distincta modulatione concinantur, vt effrenata consuetudinis violẽtia, verba collidens ac præcipitans, nullum in ijs locum habeat.

DE HAR-

36. In ſedendo, ſtando, genua flectendo, incipiendo, dimittendo, extollēdo, finiendoq́; vocem; omnes & ſinguli, vnum eundemq́ue ſeruent tenorem, modum, & ordinem; vt externa illa harmonia, internæ deuotionis & charitatis vnitas iuuetur, illiuſq́ue vna perfecta, in omnibus naſcatur ſimilitudo. Nullus quidquam faciat, quò ſingularis præ alijs videri velle notari poſſit. Omnes tanquam vir vnus, anima vna, vox vna, pariter incipiant, pariter progrediantur, pariter ſubſiſtant, pariter finiant; vltimamq́ue verſiculi ſyllabam, nemo præ alijs aut protrahat, aut præcipitet; ſed eadem menſura qua priores decantatæ ſunt, eandem conformiter finiant.

37. Ad initium Hymni Angelici: *Gloria in excelſis Deo:* ad communes Eccleſiæ orationes ſtent omnes aperto capite; & Eccleſiæ orationes, vt publici Eccleſiæ miniſtri tenentur, votis deſiderijſq́ue ſuis Deo faciant digniores atque gratiores. 2 Cor. 11. *Adolph. 3 in his quæ in Cathedralibus & Collegiat. Eccleſijs inquirenda ſunt. § 44. 45 p. 480. d.*

38. * Stent item ſupplices & inclinati à ſacro Canone Miſſæ vſque ad Conſecrationem: & ab oratione Dominica, vſq; ad completam ſacram Communionem. Stēt autem erecti, ad ſacra Dei Euangelia; ad initia Horarum; ad Cantica noui teſtamenti; *Magnificat*; *Nunc dimittis*; *Benedictus*; ad *Te Deum laudamus*; ad Capitula; ad Hymnos; ad Pſalmum; *Venite exultemus*, quando cum inuitatorio canitur: Et quandocunque quis inchoat Antiphonam, aut Pſalmum aliquem. Denique ad verſum *Gloria Patri & Filio*, aſſurgant omnes, & capite aliquantulum inclinato, ſanctam ac indiuiduam Trinitatem ſuppliciter adorent, rediuiuoq́ue ſpiritu, intentionem ſuam in Deum renouent ac confirment. * *Ibidem. De conſecra Diſt. 1. cap.* Apoſtolica authoritate.

39. Ad ſalutare & benedictum redemptoris noſtri Ieſu Chriſti nomen, eiuſq́ue glorioſæ Genitricis Virginis Mariæ caput ſemper & aperiant & deuotè inclinent. *Cap* Decet. *de Immunit. Eccleſ. in 6.*

40. In genua procumbant ad ingressum & egressum templi, vt supra præscriptum est, & cùm canitur in Symbolo Apostolico, *Et homo factus est*, *Passus & sepultus est*: A consecratione item corporis Christi, vsque ad orationem Dominicam, & quando cantatur in Hymno, *Te Deum*: *Te ergo quæsumus*: &c. in Euangelio: *Et Verbum caro factum est*: Præterea, ad Antiphonam, *Salue Regina*, Ad benedictiones Episcopales, & ad omnes preces, quæ iuxta Breuiarij præscriptionem flexis genibus dicendæ sunt. In reliquis porrò seruent Missalis, Breuiarij, & ritualis libri regulas, ac piam & laudabilem Ecclesiæ consuetudinem.

41. Cùm genua flectenda erunt, non alterum tantùm flectant, vt pinguntur Iudæi, irrisores Christi, sed vtrumque flectant, ad altare versa facie, ad Christum animo.

42. Siue stent, siue in genua procumbant, siue sedeãt, ab omni indecoro innixu, siue in scamnum, siue in murum, vel in aliquid aliud abstineant, & quod laicis prohibitum est, ne in s. altaria incumbant, ipsi etiam dum sacrificant, & chorum cantantem expectant, obseruent.

Supra eodem tit. ca De euitandis in choro, § 21.

DE VNIFORMITATE OFFICII ATQVE necessaria correctione Breuiariorum atque Missalium.

43. Quamuis ad Ecclesiæ pulchritudinem faciat, pro diuersitate temporum atque locorum, ipsam circumamictam esse varietatibus; conuenit tamen in vna atque eadem maximè Diœcesi ac prouincia, ordinem Ecclesiæ in diuinis officijs, ab omnibus æqualiter custodiri: ne si quisque quod vult faciat; pro multitudine ac diuersitate Ecclesiarum, nascatur quoque multitudo, diuersitas ac confusio officiorum; qua antiquus ritus penitus euanescat & communio illa vni Deo, vna & eadem formula

Ca. vlt. Dist. 12. Concil. Agath. c. 21 De consec. Dist. 5. cap Conuenit. Conc prouinc. sub Hermann 5. parte 2 ca 7 Conc. 4. Toletan cap. 2 Conc. Venet.

mula preces & laudes dicendi, proprio cuiusque Ecclesiæ officio discerpatur. Id cùm intellexerimus, non sine offensione in hac Diœcesi, adeoque in Metropolitana ciuitate Colonien̄si ita inualuisse; vt subinde ex testamento seu fundatione & deuotione alicuius priuatæ personæ, neglecto communi feriarum officio, sæpe aliud officium seruetur; & aliquando alicubi, sine alia causa de aliquo Sancto, magna ac solemnis fiat celebritas, cuius in alijs Ecclesijs nulla fit memoria; adeo vt nec nomen quidem Sancti in Calend. Breuiariorū scriptū inueniatur, & per hoc officium feriarum, quod valde iniquum & peruersum est, pro maiori anni parte omittatur: vt huic anomaliæ & varietati occurramus: Volumus vt omnes Ecclesiæ, Diœcesis, & Prouinciæ Colonien̄sis (exceptis his quæ Breuiarium Romanum receperunt) cum Ecclesia matrice in diuino officio sese conforment, omnesque & singulæ non diuersis, sed vno ac eodem vtantur Breuiario: nec vllius Sancti, vel cuiuscunque diei festi proprium seruent officium, quod in Breuiario Metropolitanæ Ecclesiæ expressum aut præscriptum non est; nisi eius Ecclesiæ fuerit patronus, vel eius corpus aut notabiles Reliquiæ in ea Ecclesia requiescant; aut alioquin ob publicum & notorium miraculum, aut similem causam ab Ordinario vnà cum officio in Synodo Diœcesana approbatam. Alias verò non liceat alicui Ecclesiæ aliquod diuersum ab Ecclesia Metropolitana seruare officium. Saluis tamen Religiosorū ac regulariū priuilegijs, qui in officio diuino sese Ordinis sui regulis ac statutis conformare cogūtur; nisi quod, quo die celebrabitur officium Patroni Diœcesis, eandem festiuitatem in Ecclesijs suis celebrare teneantur. Si quę autem Ecclesię ex pia alicuius volūtate, & fundatione, ex communi Capituli, aut illorū penes quos Ecclesiæ est authoritas cōsensu & approbatione ad seruāda aliqua festa, quę vocantur Cōposita, seu alia ꝓpria & peculiaria dierū fest. officia, sunt

ca 15. Conc. Bracar. c. 19. Conc. Epaunens. cap. 27. Conc Gerundens. c. 1. Cōc. Tolet. 11 c. 3.

Statut. Henrici Anno 1370. editum ca. 7 pa 68. d.

Conc. Mileuitan sub Innocent. 1 ca. 12. Dist. 12. cap. De his.

obligatæ: ne hoc in præiudicium fiat communis ordinis, sed solùm ad promotionem faciat pietatis; seruato officio feriarum, iuxta præscriptionem Breuiarij & Missalis, fiat duntaxat sancti illius propria ac peculiaris cõmemoratio, per orationem quæ est in Missali ac Breuiario, in communi aut proprio Sanctorum aut Festorum dierum officio. Eandemque seruari volumus rationem in seruandis Patronorum cõmemorationibus, vt quando est septimana vacans quam vocant, non prætermittatur officium feriarum, per officium Patronorum, quẽadmodum plerisque locis non ex regula SS. Patrum, sed ex fastidio & negligentia factitatum fuit: sed seruato feriarum officio, eorundem quotidie, quando solemnitas alicuius festi non impedit, fiat commemoratio.

De consecr. dist. 5 cap. In die resurr. *vide Micrologum de Ecclesiast. observation. c. 54.*

44. At verò cùm Breuiarium quo vtitur Metropolitana Colonensis Ecclesia, & in his quæ dicta sunt non prorsus irreprehensibile sit, & præterea historias quasdã apocryphas habeat, ac in libros quoque Missales sine iudicio & legitima authoritate quædam superstitiosius sint inuecta, prosęque aliquæ, quæ parum ad veram & solidam pietatem faciunt, temeraria quorundam præsumptione, & priuatis affectibus immixtæ; iustissimè ac necessariò in Concilio prouinciali sub Hermanno quinto parte 2. cap. 6. & 11. & in Synodo Diœcesana sub Adolph. 3. Anno 1548. 4. Octobr. habita, decretum fuit; libros Missales, & Breuiarij reformandos esse, & ad Patrum regulas pristinæ dignitati ac puritati restituendos. Cui decreto vt satisfieret, licet doctis quibusdam ac pijs viris datum fuerit sub D. Salentino reformandi ac restituendi Breuiarij negotium, ijque impensè, quidquid sui iudicabãt esse muneris atque officij præstiterint, & ei à quo id eis legitima authoritate iniunctum erat, ita satisfecerint, vt id publicandum censuerit, & sub graui pœna ab omnibus recipiendum mandauerit: adeò tamen varietas & diuersitas officiorum per restitutum illud Breuiarium sub

Pag. 413. d.

lata non est, vt potius aucta esse videri possit. Quamuis enim quidam illud susceperint, quidam tamen non integrè acceperunt; sed pro ea duntaxat parte, qua prolixas quasdam preces (tertiarias ac secundarias dicunt) & ad officium B. Mariæ Virginis, ac alia quædam, ad quæ ex præscriptione antiqui Breuiarij omnes tenebantur, nõ obstringit. Canonici autem Metropolitanæ Ecclesiæ, qui ex testamentis & certis fundationibus, ad preces illas obligantur, ijsdem grauari maluerunt, ac antiquum licet apocryphum, ac omnium iudicio reformandũ Breuiarium, cuius vix vlla supersunt exemplaria, retinere; quàm nouum ac emendatum recipere, non obstante Episcopalis mandati, quo ad id acceptandum cogebãtur, obligatione. Quare vt non solùm Breuiariorum, sed & Missalium, atque Agendarum Ecclesiasticarum, seu officiales, pastoralesve libri, integritati & puritati antiquæ perfectè restituti, videri & haberi possint, ac in celebrando diuino officio Sacramentorumque administratione, vna vbique ab omnibus regula, forma ac ratio custodiri; pro Legationis nostræ munere, animum viresque nostras, in hoc sacrum opus intendimus, & cogitationes omnes dirigimus, ac breui Deo adiuuante, Breuiarium, librum Missalem, ac Pastoralem Romani Pontificis authoritate, omnibus per hanc Diœcesin ac Prouinciam acceptandum & obseruandum, publicare proposuimus. Prouisione autem interim adhibita declaramus; eos qui causa breuitatis vel alia simili, partim nouum, partim antiquum Breuiarium sequuntur, præcepto Ecclesiæ, de lectione precum horariarum, non satisfacere, ijsque pœnis inuolui, quę contra non legẽtes preces Horarias sancitæ sunt, sed ex integro omnique ex parte, vel nouum vel antiquum, aut quod malumus Romanum Breuiarium obseruare debere.

DE EVITANDIS ET OBSERVANDIS in celebratione Missæ.

D. Cypr. li 2. epist 3.

45. Porrò quod ad sacrosanctum Missæ officium attinet, cùm magnum sit ac religiosum vnitatis Christianæ sacramentum, & concordiæ Symbolum; oportebat illud inprimis vniformiter ab omnibus peragi. Cęterùm cùm in Missali Ecclesiæ Colonienſis nulli præscribantur certi ritus, aut ceremoniæ, nec vlli extēt huius Diœcesis aut Prouinciæ rituales libri, qui quibusnam cæremonijs aut ritibus sacra illa ac tremenda actio peragenda sit præscribant; tantam videmus cæremoniarum, ac rituum, in hanc sacratissimam actionem irrepsisse perturbationem, vt (quod omnes grauiter offendit) quot sunt Ecclesiarum ministri, tot pœne videre sit, in ritibus ac cæremonijs sacrificij Christiani diuersitates; vt mirum non sit statum Diœcesis ac Prouinciæ huius vehementer perturbatum esse. Nam quod communi Ecclesiæ oratione suppliciter à Deo petitur: *Sic nos tu visita sicut te colimus*: hoc ille facit, & vt non in ira ac furore suo faciat; sed in misericordia sua magna, ac miserationibus multis; vt virga correctionis suæ prudentiores nos faciat: tempus est vt singuli cum omni humilitate & contritione cordis, disciplinam Domini suscipiant, totaque voluntate omnem correctionis ac castigationis causam auferant. Quod vt nos pro Legationis nostræ munere & authoritate præstemus: Volumus vt omnes deinceps in cæremonijs & ritibus Missæ, sequantur sanctam Romanam Ecclesiam, cæterarum Ecclesiarum matrem & magistram, indeque resumant normam sacrificandi, vnde sumpserunt exordium. Quare ordinem ac ritum celebrandi Missas & solemnes & priuatas, ex Decreto Concilij Tridentini Pij Quinti Pontificis Maximi iussu æditum ac restitutum, & à Christophoro Plantino seorsim excusum, omnes Sacerdotes sibi comparent,

In Hymno ad matut in officio corporis Christi.

Dist 12. c. 1. & 2 Dist. 11. ca. Nolite errare, *& c.* Quis nesciat,

parent, eumque diligenter perlegant, ac obedienter religioseque in omnibus Sacrosanctę Missæ ritibus, ac cęremonijs sequantur atque obseruent. Hoc tantùm excepto, vt more huius Diœcesis ac Prouinciæ, non tecto, sed nudo capite ad altare procedant, & in Missis solemnibus vbi id moris fuit, Antiphonam de S. Spiritu, ad obtinendam Spiritus sancti gratiam, antè Missę exordium decantent, finitoque sacrificio & dicto Euangelio S. Iohannis, *In principio erat Verbum*, Antiphonam de S. Maria, vnà cum versiculis & Collecta, quæ pro ratione temporis ex præscripto Breuiarij post Completorium dicitur; flexis genibus deuotè legant aut cantent, & pro defectibus ac negligētijs sub sacrificio commissis, illius patrocinium implorent.

46. Ne per peregrinos ac ignotos sacerdotes aliquid noui in ritibus ac cæremonijs diuini officij introducatur, vel alioquin aliquod nascatur scādalum, aut aliqua irreuerentia: nullus peregrinus & ignotus sacerdos, siue sæcularis, siue regularis, in Ecclesijs, siue sæcularibus siue regularibus ad sacrificandum admittatur; nisi ostensis testimonialibus, & commēdatitijs Ordinarij sui litteris, iuxta ea quæ titulo: De Decanis ruralibus, articulo, *Et ne quis vagus*, à nobis decreta & sancita sunt, & præterea in his quæ ad ritus & cæremonias sacrificij Missæ pertinent, diligenter fuerit examinatus & probatus. Pag. 195.

47. Similiter qui primam Missam celebraturus est, non antè id facere permittatur, quàm in sacris Missæ ritibus & cæremonijs, perfectè inueniatur eruditus.

48. Ipse verò sacerdos, qui primùm sacrificaturus est, curabit non tantùm vt in oculis hominum religiosus ac irreprehensibilis esse appareat, ac exterior homo cultu

cultu suo niteat, visibileque altare omnigeno resplendeat ornatu: sed præcipuè, vt omni virtute, qua Sacerdotem Dei altissimi decet esse prędituṁ, singulari quodam vigore adolescat; & per viuam Dominicæ passionis memoriam ac commemorationem, de inuisibili cordis sui altari omnibusque animæ suæ visceribus, viua passionis Christi fides, admiratio, dilectio, inuocatio, fiducia, prædicatio, gratiarum actio, tanquam thymiama suauissimum, in conspectum Dei, pro sua, totiusque mundi salute ascendat.

49. De conuiuio, quod gratulationis ergô, eo die instituti solet, nulla tangatur cura; nisi vt tantam lætitiæ causam nulla turpitudo minuat; sacerdotalemque dignitatem nihil indecorum aut reprehensibile dehonestet. Nulla fiat profusio aut perditio sumptuum; nullæ saltationes, choreæ, aliave ludicra admittantur; sed in timore Dei, decenter, honestè, frugaliter, magnaque cum grauitate & dignitate ita peragantur omnia, vt ebrietas, crapula, & quæ hinc sequi solent offensiones & peccata, nullã inueniant se huc ingerendi occasionem. Nec modò tempus matutinum, paucosque dies qui præcesserunt; sed & pomeridianum, omnesque reliquos vitæ suæ dies, in omni pietate ac animi deuotione, ita transigat; vt ab ea
1. Reg. 1. hora qua primùm omnipotenti Deo sacrificabat, vultus eius nunquam in diuersa mutentur; ne ab incœpta pietatis, grauitatis, ac dignitatis sacerdotalis forma deficiens, sibi quandoque dissimilis esse inueniatur: sed quotidiana aut saltem frequenti sacrificij repetitione ac refectione, magis magisque in pietate omnique sacerdotali virtute, crescat, augeatur, ac virili robore & constãtia confirmetur; vt sacrificia quanto crebrius facit, tanto sanctiora faciat. Quod fiet si animum suum contra vecordiam, ignorantiam, stupiditatem, inuerecundiam, præsumptionem & harum filias, quas frequentia, assiduitate, & vetustate sua inducere consuetudo solet: redi-

nino

uiuo ſpiritu quotidie innouet,& ceu nouus homo, nouuſque Sacerdos, ac quaſi nunc primùm ſacrificaturus, nouo peccatorum odio, nouaque ſoli Deo ſeruiendi voluntate, alacritate, ac conſtantia reuiuiſcat,& attenta diuinæ maieſtatis conſideratione, noua erga Deum reuerentia, verecundieque modeſtia Deo amabilis appareat; atque per viuam innouatamque paſſionis Chriſti recordationem, nouo amoris ac dilectionis ardore igneſcat; erga ſuſceptos denique ſuos, nouo charitatis ac commiſerationis accēdatur ſpiritu, quo cauſas ac perſonas, pro quibus ſacrificandum eſt, in ſpiritus ſocietate ſibi appropians,& quaſi in ſeipſo, quæ aliorum ſunt ſentiens, iuſta ac digna diſcretione ponderet, eaſque pro meritis ſuis, in vnione paſſionis Chriſti, per ſacrificium Deo Patri commendet. Ad quam innouationem faciunt Pſalmi & preces quæ in Romano Miſſali, & ex eo in alijs quibuſdam Miſſalibus, ad prēparationem ſacrificaturi Sacerdotis digeſtæ ſunt. Ex quibus vt fructum illum capiant Sacerdotes, ad quem ſunt ordinatæ: non ſatis eſſe putent, ſi verbotenus illas raptim recitauerint; ſed ita intendant in ſingulas ſententias, adeoque in ſingula verba animam ſuam, vt nullum tranſeat quin interno guſtu diſcretionem ſaporis ſui in animo relinquat, nempè vt faciāt aſcenſiones in corde ſuo,& de verbo in verbum, de ſententia in ſententiam, de verſu in verſum, Deo magis magiſque appropinquent, eique in omnibus omni deſiderio, affectu,& voluntate ſimiliores fiant, magiſque conformes.

50. Ne autem Sacerdotes Dei pro benedictione, maledictionem ſuper ſe, ac vniuerſum populum inducant; caueant omni cura ac ſollicitudine, ne vnquam alicuius mortalis peccati ſibi conſcij, quantumuis ſibi contriti videantur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedant. Quod vt à Chriſtianis omnibus, ita ab ijs etiam Sacerdotibus, quibus ex *Statut. Sifridi, c. 7 p. 39. b.*

Sess.13.cap.7. officio incumbit celebrare, sancta & Oecumenica Synodus Tridentina, perpetuò seruandum esse decreuit, modò non desit illis copia Sacerdotis. Quod si necessitate vrgente, absque præuia confessione quisquam celebrauerit, iuxta eiusdem Decreti sanctionem, quam primùm confiteatur. In quod periculum ne quis cadat, vtantur singuli quotidie manè & vesperi conscientiæ examine, & mox vbi se grauari sentiunt, aut singultum aliquem conscientiæ sentire; sine dilatione ad Confessionis sacramentum accedant, atque etiamsi nullius criminis sibi fuerint conscij, ad maiorem conscientiæ puritatem octauo quoque die, ab ijs etiam peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur Sacramento sese expurgent.

51. Caueant vt ne in generali Confessione, quæ ad Missæ exordium fit, aliquod peccatum in specie, per modũ confessionis Sacramentalis pronuncient, & à forma cõfessionis, quam liber ritualis ac Missalis continet, ne vel in minimo decedant.

52. Ne crimen Sacerdotis in peccatis suis sacrificantis, crimen fiat Prælatorum, aliorumque Ecclesijs inferioribus præsidentium: curabunt illi, vt si quis temulentia, vel alio notorio crimine scandalum dederit, & nihilominus postridie celebrauerit, aut in officio Diaconatus vel Subdiaconatus celebranti inseruierit; pro ratione culpæ corrigatur; sollicitéque aduigilent, ne qui publicè ac notoriè criminosus sit, aut sancto altari assistat, aut sacris intersit.

53. Abstineant omnes Sacerdotes à cuiusuis generis mercedum conditionibus & pactis; nec quidquam pro Missis celebrandis, aut quibusuis alijs diuinis officijs, seu orationibus exigant: & si quando nihil, aut aliquid minus liberali animo honorarij loco eis donatum fuerit, non in hoc contristentur, minimeque aliquod indignationis dent indicium; ne de auaritia notentur, vel certè à turpi quæstu, vel Simoniaca labe non procul absint, dignita-

nitatemque suam ex leui causa, turpissima macula conspurcent. Quin potius, vt ostendant se magno liberaliq; animo gratis dare quod gratis acceperunt; ab omni cogitatione & desiderio muneris ac honorarij se semper contineant; & si quando aliquid accipere cogantur, illud quamuis exiguum lætiori lubentioriq; animo accipiant, quàm paupercula illa vidua æra munita duo, quæ sola habebat, in gazophilacium mittebat. *Lucæt.*

54. Extra casus iure permissos, nisi expressa licētia ab Ordinario, eiusve Vicario in scriptis obtenta, nulli vno die duas Missas celebrare liceat, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda; eademq; lege Missas siccas, in quibus corpus Domini nec consecratur, nec sumitur, interdicimus ac penitus abrogamus.

De consecrat. Distinct. cap. Sufficit. *cap.* Constituisti *de celebrat. Missar stat. Sifridi c. 1 p. 36. b. Synod. Diœces. sub Henrico, anno 1330 habita §. 12. pag. 102. d. Stat. VValram. ca. 7. pa. 114. b. c. d. cap.* Relatum *De consecrat. distinct. 2. Conc. Tolet 12 cap. 5.*

55. Nec quisquā aut Regularis aut Sæcularis in priuatis domibus aut omninò extra Ecclesiā, & ad diuinum tantū cultū dedicata oratoria, ab Ordinario designata & visitata, sine Ordinarij vel eius Vicarij conscientia & consensu, & non nisi grauissima ex causa, Missæ sacrificium peragere præsumat. Si quis autem huic Decreto contrauenerit, tam is qui celebrauit, quàm qui Sacerdotem ad celebrandum induxit, aut admisit, arbitrio Ordinarij puniatur; non obstante Apostolico priuilegio, quo ei facultas id faciendi indulta erat; nisi illud prius loci Ordinario eiusve Vicario exhibitum, & ab illo approbatum fuerit.

Anacletus epist 1. Concil. Laodic. c. 58. Conc. Cartha. 2. c. 9 c. Sicut ca. Missarū: ca. Hic ergo cap. Nullus Presbyter: ca. Non oportet cap. Clericos de consecr. dist. 1 Felix PP. 4. ca. 1 epist. ad omnes Episcopos per prouincias constitutos.

56. Mandamus insuper innouando Decretum Synodi Diœcesanæ Anno 1330. sub * Henrico habitæ, ne quis in Ecclesijs seu Sacellis violatis sacrificium faciat, ante solemnem eorum reconciliationem. Et vt altarium portatilium vsus ex sententia Constitutionis VVilhelmi, & Statu Herman. 4. penitus abrogat⁹, & sublat⁹ sit: Volum⁹, vt si quæ Ecclesiæ violatæ sint, & altaria destructa, ea

** Stat. Henr. art. 1 p. 102. d. St. VVilhel. c. 24 pa. 173 d. 174 a. Stat. Hermāni 4. §. 26 p. 275. a.*

quam primùm fieri poterit instaurentur, & sacris vsibus per Episcopalem reconciliationem aut consecrationẽ restituantur: omnemque facultatem quibuscunque personis, siue laicis, siue clericis aut sacerdotibus, & his tam regularibus quàm sæcularibus ab Ordinarijs factam, vt eis altari portatili vti liceat, ex sententia VVilhelmi reuocamus, ac reuocatam esse hoc decreto sancimus.

Ordo seruandus in celebrandi Romanum ex Concil. Trid. restituto tuto de defect. in ministerio ipso occurrẽt. Stat. Sifridi ca. 7 pa. 39 b. c. 2 De custo. Eucharistiæ c. Vestimenta. de consec. Dist. 1.

57. Antequam Sacerdos sacrum altare sacrificandi causa accedat, illud tribus mappis iuxta Canonicas sanctiones sit coopertum, ac reliquo apparatu suo ad maiestatem tanti mysterij, decenter ac religiosè præparatum.

58. Vestes sacerdotales, mappæ ac reliqua instrumenta, sacrosanctæ huic actioni seruientia, quæ benedici debent, Episcopali benedictione sint benedicta; sint quoq;, quemadmodum titulo *De Custodibus*, præscriptum & explicatum à nobis est, munda, integra, ac exteriori deuotionis & pietatis specie, internam cordis munditiam, puritatem, ac religionem præ se ferentia.

Sifrid. cap. 7. pag. 39.

59. Si quæ mappæ, pallia, purificatoria, aliaque instrumenta sacra, sordida, fracta, lacera, vel quouis modo sacris vsibus indigna, in vsu deprehendantur; non impunè id ferant, quorum culpa & negligentia id factum est; & Sacerdotes, Thesaurarij, Custodes ab Ecclesiarum Prælatis & Rectoribus seuerè puniantur: ipsi autem Prælati & Rectores ab Ordinarijs, eorumque Vicarijs.

Litteras De celebrat. Missarum.

60. Ad sacrosanctam diuini mysterij ac sacrificij maiestatem, ante cuiusque Missę exordium, etiam quæ sine cantu fit, duo minimum decentis formæ cerei accendãtur; nunquam minores, quàm vt longitudine, quartam vlnæ Colonienſis partem excedant, nec extinguantur, priusquam Sacerdos ab altari descenderit. Canonicè autem corrigatur & Sacerdos qui sine lumine sacrificauerit, & Custos aut Clericus, qui dicente Sacerdote confessionẽ inter ipsum & altare incendendi cereos causa, me-

dius

dius transierit.

61. Idem ab omnibus perpetuò obseruetur, vt nunquam medijante illum transeant, qui totius congregationis publicam in diuino officio gerit personam; siue Versum, Collectam, Responsorium, aut Capitulum cantet; siue Antiphonam, Psalmum, Hymnum, vel aliud aliquid incipiat; siue Sacerdos qui cantat Missam, à latere altaris sedeat.

62. Sine Clerico vel alio inseruitore Sacerdos nunquam Missæ sacrificium incipiat, & ne Clerici vel nuditate sua (quemadmodum in æstate passim semiuestitos pueros scholares, in hac Prouincia videre est) vel laceris aut immundis vestibus, sacrificio diuino aliquid decoris detrahant: vel longo superpelliceo induti sint, vel alba talari linea tunica, & amictu vestiti ac præcincti. quæ vel ex antiquis Sacerdotalibus albis conficiantur; vel ex deuotis populi oblationibus nouæ parentur, ad formã sacerdotalium albarum, cum particulis panni, (vt in his prouincijs moris est) in symbolum vulnerum Christi, ad caput, ad manus, ad pedes assutis; seruenturque cum alijs sacris vestibus in sacristia, ac publicis Ecclesiæ sumptibus crebrò abluantur. Solemnioribus autem festis, ad hiberi etiam poterunt tunicellæ, vel prorsus nouæ, vel ex antiquis dalmaticis, alijsq; sacris vestibus aut palleis factæ: Vel si quibus id magis placeat, pro multitudine ac numero Clericorum, ac puerorum, qui sufficiant multitudini ac numero Sacerdotum simul sacrificantium; conficiantur tunicæ talares laneæ eiusdem formæ ac lõgitudinis, cuius sunt talares tunicæ choralium puerorũ, qui in Metropolitana Ecclesia, alijsque Ecclesijs Collegiatis ciuitatis Colonienſis, versiculos canunt, ac Acolytorum munera obeunt, eæque vti de albis & superpelliceis dictum est, ad hosce duntaxat vsus in Sacristia seruentur.

63. In moribus & pietate Clerici inseruitores, ita sint

instituti, vt non solùm ipsi nihil faciant, quod offendere virũ religiosum possit; sed & illos, qui fortè irreligiosè astabunt, aut quidquam quod Christianam dedeceat pietatem agent; tanquam Angeli Dei altissimi sine vllo rubore, cum omni grauitate ac reuerentia officij sui admoneant: diligentissimè tamen cauentes, ne dum aliorum offensiones corrigunt, ipsi grauius offendant.

Stat. Frider. ibidem Conc. Laodicen. cap. 44.

64. Mulier, ne quidem sanctimonialis in Monasterio suo, sacris altaribus vnquam assistat, aut Clerici, Sacerdoti sacrificanti, Ecclesiæ nomine respondentis, officium vsurpet.

Conc. prouin. sub Adolp. 3 in Censuris & Decretis, ca. Mentem sequentes. pag. 450 & in his quæ idem Adolp 3. in Cathed. & Colleg. Ecclesijs inquirenda digessit §. 24. pa. 485. c. d. Conc. Trid. sess. 24 c. 4. de Reform.

65. Ne populus ab auscultatione verbi Dei impediatur, nullibi in Ecclesia, quando ibidem concio habetur, fiat sacrificium: & quia tenetur quisque ad audiendum verbum Dei, Parochiæ suæ interesse; ea hora qua in Parochialibus Ecclesijs fit concio, nusquam alibi in Parochia aut cõcio fiat, aut Missæ celebretur sacrificium, per quod à concione pastorali populus auocari possit.

Conc. prouin. sub Adolp. 3. loco proximè citato, & in inquisit. in Cathedral et Collegiat. Ecclesijs faciendis §. 47. pa. 481. a.

66. Sub Missa solemni, siue quæ in Ecclesijs Collegiatis, Parochialibus ac Monasterijs canitur, nulla alia Missa fiat, ne aut populus in diuersa trahatur, aut Diaconus vel Subdiaconus, alijq; Clerici in diuino solemnis Missæ mysterio constituti, sacræ hostiæ, quæ ad alia altaria offertur, etiam nolentes ac inuiti terga vertant. Curent. que Ecclesiarum Prælati ac Rectores, iuxta Decretum Concilij Prouincialis, sub Adolpho 3. habiti, vt Sacerdotes quibus Missę priuatę dicendę sunt, easdem aut absoluerint, ante solemnis Missę Euangelium, vel ad summũ ante sacram actionem, aut easdem non incipiant, priusquam facta fuerit solemnis Missæ communio.

Conc. prouin. sub Adolp. 3. vbi supra.

67. Si quæ tamen Monasteriorum vel Collegiorum Ecclesiæ in diuersa oratoria commodè distincta sint, vt in locis diuersis, diuersus accipiatur populus; nec facilè possint vni Missæ omnes esse intẽti; & ea propter ex eiusdem

dem Decreti permissu, singulis populorum turmis, singulæ Missę celebrentur, quibus vnusquisque populus sit intentus: moderentur Sacerdotes singuli ita vocem suā, vt alter alterum non intelligat, aut clarissimè dicendo perturbet.

68. Sacerdos sacris indutus vestibus, procedens ad altare sacrificaturus, vel ab eo post sacrificium ad sacristiā reuertens; neminem salutet, ne salutatus quidem: sed oculis dimissis, incessu graui, erecto corpore, in solius sacræ actionis, quam aggrediţur aut perfecerit, cogitatione defixum teneat animum.

69. Cùm Sacerdos sacrificij exordium fecerit, & stans in infimo altaris gradu, cœperit dicere, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen*. Non debet respicere aut aduertere quid agatur alibi, etiamsi in proximo altari Sacramentum eleuaretur, multò minus ad quælibet alia minora attendere, aut errantibus oculis, dum populum salutat, astantes perlustrare.

70. Cum omni attentione, distinctione, grauitate, animiq́ue sedatione singula quæ ad sacrum Missæ officiū pertinent, à singulis pronuncientur. Et vt nimium præcipites non sint atque festini; ita nec æquo tardiores sint aut prolixiores, maioremq́; ædificationis publicę, quàm sui affectus rationem semper habeant. Quod vt honestè fiat, semihoræ spatium Missis communibus & necessarium esse arbitramur & sufficere.

Sifrid cap 7. pag 39. d. Adolp 3. in his quæ in Cathedral. & Collegiat. Eccle sijs inquirenda sunt. § 49 pag. 481. b.

71. Totum sacrum Missæ Canonem, aliasq́ue orationes, quę ob mysterium ac religionem tacitè pronuncianda sunt, sic pronuncient, vt ipsi quidem distinctum verborum sonum leniter percipiant, astantium autem proximè nemo percipere distincta verba possit: tantoq́; maiori animi intentione, maioriq́; cogitationis distrahentis silentio, eas Deo Patri in sancto pectoris sui offerant; quanto, vt monet externum vocis silentium, Sacerdotū orationes, orationibus populi, in hac p̄cipuè sacra ac Sacerdotali actione, debēt esse puriores & efficaciores. Qui

Conc. prouin. sub Herman. 5. part. 2. c. 13. Adolp 3 loco citato.

autem orationes secretò dicendas, imprudenti ac indiscreta vocis exaltatione populo communes fecerint, tanquam nescientes officium Sacerdotum ad populum, corripiantur & emendentur.

Adolph. 3. in his quæ à Decanis & Pastoribus inquirenda sũt §. 22. p. 485. c

72. Nec sacrum Canonem, nec aliquam aliam Missæ partem, vel addendo vel minuendo seu omittendo, vel quocunque alio modo immutent; neque orationes, aut Missas nouas dicant, ab Ordinarijs in prouinciali Concilio aut Diœcesana Synodo non approbatas; sed illas duntaxat, quas reformati & correcti libri Missales continebunt.

73. Si quis spreto ritu antiquo, & à sancta Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum matre, & magistra, approbato *Missam* vulgari lingua celebrare præsumpserit, vel ei aliquid quod hæresim aut schisma sapiat, in gratiam hæreticorum aut schismaticorum admiscere: hoc ipso sit excommunicatus, atque alijs iuris & Canonum censuris & pœnis, quæ in fautores hæreticorum latæ sunt, puniatur.

Stat. Sifridi, ca 1. pa. 34. b. De celebrat. Missarum. c. Quidam.

74. In dicendis Missis seruetur ordo Breuiarij, vt Missa quotidie reliquo diei officio conueniat; & Missæ votiuæ, quę pro Sacerdotis deuotione quocunq; die per hebdomadam, quando festum duplex non occurrit, dici possunt; passim sine rationabili causa non dicantur.

Conc prouin. sub Nicolao Cusano in mandato cuius initium est. Quoniã dignum. p. 254. 255.

75. Ex ordinatione Concilij Prouincialis sub Nicolao Cusano Nuntio Apostolico habiti, singulis diebus Dominicis ad vltimam Collectã, quę in principio Missę immediatè ante Epistolam dicitur, & post sacram Cõmunionem, addant singuli Sacerdotes hãc orationem. *Et famulos tuos N. Papam, N. Antistitem, N. Imperatorem nostros, vnà cum vniuersa Ecclesia Catholica, ab omni aduersitate custodi. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuũ, qui tecum &c.* Quod vt propensiori magisque deuoto animo singuli faciant, quocunque die id fecerint, quinquaginta dies, prout in eodem Concilio indultum est, de iniun-

iniunctis pœnitentijs, eis misericorditer in Domino relaxamus.

76. In omnibus sacrificijs præsentem Ecclesiæ statum, deuotis iustisque desiderijs Deo singulariter commendent; in his maximè, quæ titulo De Pastoribus, cap. De munere prædicationis: articulo, *Finita Concione*, pag. 311. recensuimus. *Conc prouin. sub Theodor. Anno 1423. habit: cap: 9. in fine pag. 235. b. c.*

77. Ad eleuationem corporis Christi, pulsu tintinnabuli, omnes fideles ad adorandum Deum, in Sacramento visibili præsentem, admoneantur; curentque Præceptores seu Ludimagistri, alijque puerorum sacrificantibus inseruientium instructores & inspectores, vt pulsus ille nihil puerilis petulantiæ, aut stultitiæ præ se ferat; sed soni sui grauitate ac modestia, maiestati rei præsentis cõgruat, ac decorem, & attentionem aliquam adijciat.

78. Quandocunque Sacerdos sacrificans ex præscripto Missalis, aut libri ritualis genua flectet, non solùm leuiter se genibus incuruet; sed vt adorantes Deum viuũ & verum in spiritu & veritate decet, profundissimè vsq; ad terram, sese in genua demittat, & internam animi sui humilitatem ac reuerentiam, externa hac adoratione Deo omnipotenti sacrificet.

79. In faciendis viuificæ crucis consignationibus, prę scriptam à rituali libro formam exactissimè perfectissimeque obseruent; ne circulos, vel quæuis alia, figmenta potius, quàm sacrum crucis signum formare videantur: actum cum omni attentione & reuerentia in rem signatam, passionem nimirum, mortem ac merita Domini nostri Iesu Christi, animum figant; precesque atque actionem suam ad consequendam à cœlesti Patre primogeniti benedictionem, hoc suauissimè olente vestimento, ei acceptabiles ac gratas faciant.

80. Ad verba sacri Canonis: *Omnis honor & gloria*, seu ad præfatiũculam orationis Dominicæ, nullus sacram

hostiam girando in altum tollat, aut quasi per semicirculum, vt passim abusu quodam ab omnibus pœnè in hac prouincia receptum est, populo vidēdam exhibeat; sed vt in alijs ritibus ac cæremonijs omnibus, ita & in hac eleuatione religiosè obseruent omnes, quæ in rituali libello Missalis Romani præscribuntur. Nam giratio illa, vt nulla Ecclesiæ sanctione probata est, nulloque sacro mysterio consentanea; ita rudi populo fecit esse persuasum, Ecclesiæ præcepto de audienda Missa esse satisfactum, si ad hanc vsq; girationem in Ecclesia perseuerauerit; vnde ea facta, mox multi abeunt, & præcipuam sacrificij partem deserunt.

Cap ex parte vestra de celebratione Missarum.

§1. Sumpto pretioso Christi sanguine, Sacerdos & se, & calicem bis purificet; ac primò quidem exerta dextera ad cornu epistolæ, super altare calicem ministro porrigens, paululum vini, sine vlla admixtione aquæ excipiat, eoque sumpto, pollices & indices vel vino solo, vel aqua & vino, vt lubet, super calicem abluat, (non autem lingua, quæ sacro Domini sanguine madet, lambat) ac mox purificatorio abstergat, dicens: *Corpus tuum Domine quod sumpsi* &c. & ablutionem sumat.

82. Si qui in Missa communicandi sunt; eos communicet, priusquam purificationem aliquam sumat, & antequam digitos abluat. Purificationem autem alijs non administret ex calice sacro; sed ex alio dissimilis formæ: cùm, vt ea qua par est cautione, ablutio sumatur, ne quid in terram cadat; tum, vt ne vana persuasione, rudes aliqui corpus Domini sub vtraque specie sumere se putent.

Cap. 16. vitæ S. Swiberti D. Bonauentura 17 in speculo disciplinæ in fine.

83. Qui ad pellendos corporis languores, religioso S. Swiberti documento, purificationem tradi sibi postulauerint; eam non ex prima, nec ex secunda ablutione accipiant; sed solitis purificationibus peractis, aliud vinum calici infundatur, petentibus donandum. Quod

Matth. 9.

sine vlla superstitione, ea fide, qua mulier, quę patiebatur san-

sanguinis fluxum, Christi vestimentum tangere cupiebat, sumendum esse admoneantur: nimirum vt credant Christum, tam sanctum ac saluificum, vt vel hactenus ei appropinquantes, confidant se viuifica corporis eius virtute, diuinaque eius potentia, si ipsis salutare sit, sanitatem consecuturos. *Marc 5. Luc. 8.*

84. Cùm dicitur, *Agnus Dei*, in signum reconciliationis & pacificationis in cælis & in terris, per sanguinem Crucis Christi factæ; in consignaculum consentientis populi, ad ea omnia quę mystica actione perficiuntur; in symbolum quoque mutuæ concordiæ, pacis ac Christianæ charitatis, quam & Christus Dominus ab offerētibus ad altare requirit, & sacra mysteria præ se ferunt, & Christiani, quotquot eis intersunt profitentur: imaguncula Crucifixi Domini Saluatoris nostri, ab ore Sacerdotis pacem & charitatem populo imprecantis, ad astantes deferatur exosculanda ab omnibus pacis & charitatis amatoribus. *Coll. 1. De cōsecrat. dist. 2 c. Pacem. Concil. Magunt. sub Carolo cap. 40. Matth 5. 1 Cor. 10. Adol. 3 in his quæ à Decanis & Past. inquirenda sunt § 25. pa. 485. d.*

85. Peracto sacrosancto Missæ sacrificio, non minori cura, quàm ad antecedentem Missæ præparationem requirebatur; quisque in omni silentio ac quiete actionū, locutionum, sensuum, & cogitationum, sese contineat, & si per occupationes diu non potest; paulisper tamen, & per quartam minimum, aut octauam saltem horæ partem, deuotè secum meditetur, & intenta cogitatione perpendat quis, quid egerit; & qua fide, qua deuotione, quo fine, quo fructu hoc ipsum peregerit: omneque imperfectum suum, omnem animi sui languorem, cœcitatem, vincula, ac colligationes vanitatis, malas ac inolitas consuetudines, peccandique pericula & necessitates, sibi ante oculos suos ponat, & cor suum omneque desiderium coram Deo effundat; eiusque adiutricem gratiam suppliciter imploret; & virtute ac feruore illius cibi, quo refectus & animatus est, tota voluntate animique contentione, vel vnum

saltem defectum, in proximi sacrificij diem expugnandum extirpandumque suscipiat. Vtque quotidie de virtute in virtutem progrediatur ac proficiat; quotidie ex vita ac passione Domini nostri Iesu Christi certam alicuius virtutis actionem, omnibus animi viribus imitandam atque exercendam capiat. Cæteraque quæ supra prę scripsimus, studiosè obseruet. Nā quod Sacerdotes multi quotidie aut frequenter sacrificent, pauci autem ex illis proficiant; & multi vani, omnique solida pietate vacui existant; non aliam arbitramur esse causam, quàm quod sine vllo timore ac deuotione tam sanctum opus aggrediantur, & perfunctoriè atque ex quadam consuetudine aut necessitate, magis quàm ex syncera & vera pietate perficiant; & mox vnà cum sacris vestibus omnem rei peractæ cogitationem deponant, omnemque internam & externam pietatis formam exuant, totoque corde & animo ad fabulas, ad vana & otiosa effundantur. Quod sanè non facerent, si meditationi sanctę debito modo aliquādiu intenti fuissent, & illustriorem in se quotidie custodiæ exterioris & interioris hominis debere esse disciplinam, quàm in laicis, quando in festo Paschæ corpus Domini accipiunt, sentirent.

Supra eodem tit.

DE MISSIS SOLEMNIBVS, VBI PER OCcasionem obiter de supplenda per Vicarios Canonicorum negligentia, Versus aut Lectionem in Matutino officio cantare negligentium.

86. Missa Conuentualis in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs, ac virorum Monasterijs, semper cum Diacono ac Subdiacono cantetur. Idem teneatur in Parochialibus, alijsque Ecclesijs, quandocunque vel per solemnitatem diei festi, vel ex obligatione statuti, consuetudinis aut scripti alicuius id faciendum est.

Stat. Conrad. ca 7. pa. 12. a Statut. VValdram. ca 5. pa. 112. c Statut. VVilhel. c. 1. §. 15 pa. 151. b

87. Sint autem ministri hi, vt sacri Canones & statuta pro-

ta prouincialia ac Diœcesana præcipiunt; sacro Diaconatus ac Subdiaco natus ordine insigniti, sacrisque vestibus, iuxta ordinem quique suum, ab alijs distincti; nec vnquam à Sacerdote, cui inseruiunt, recedant, ne quidē vt chorum cantando iuuent; sed perpetuò, quoad completum fuerit sacrificium, ei ad altare assistant: aut si celebrans sedeat, hinc inde vtrumque eius latus considendo, claudant. Assistent autem locis, & modo, in libello rituali Romanæ *Ecclesiæ* constitutis, cum omni vultus maturitate, morumque modestia & grauitate; vt ne se inuicem quidem, nisi ministerij duntaxat sui causa, multo minus alios aut clericos, aut laicos inuerecundis oculis, vel aspiciant vel alloquantur. Si quis autem contra hæc peccauerit, vel discedendo ab altari, vel quouis alio modo; ab Ecclesiarum Prælatis aut Rectoribus, ad quos huiusmodi excessuum & culparum pertinet correctio, seuerè pro ratione inobedientiæ, iuxta cap. 45. statut. D. Sifridi puniatur; acriustamen quàm mitius, vt transeat ad alios in exemplum, & pœna vnius sit metus multorum.

Stat Conrad. ibid b Conc prouinc sub Henric habit. Anno 1310. cap 11. pag. 81. a.

Statu VVilhelmi c. 1. §. 15 b. Cōc prouinc sub Herman. 5 parte 3. cap. 27.

Ca. 45. statu. D. Sifridi pa. 215. d. 216. a. b

88. Ne quis ignorantiā causari possit, quod minus his quæ sui erant muneris, vel in ministerio altaris, vel in quocunque alio chori officio in ordine vicis suæ perfunctus fuerit: quotidie aut saltem quoties opus fuerit, in omni Collegiata *Ecclesia* legatur tabula Capitularis, & quid vnicuique sit cantandum aut legendum, clarè & distinctè pronuncietur: vel cantor aut succentor, seu alius ad quem hoc ex consuetudine Ecclesiæ pertinet, aut cui iniunctum fuerit, cuique sua in officio chori subeunda munera tempori significet. Si quis autem vel per tabulam Capitularem, vel per illum, cuius illud erat onus, præmonitus, munus aliquod suum præstare neglexerit; si Missam, Euangelium, aut Epistolam cantare debebat, omnibus vnius diei; Si Responsorium, Versum, vel aliquid aliud, dimidijs vnius diei fructibus, ac Præbendæ

Stat Conrad. ca 7 pa. 12. b. Stat. VValrami c. 5. p. 112. c. d. 113. a. b. c. d Stat VVilhelmi, c. 1. §. 29. pa 152 a. Conc prouin. sub Herman. 5 parte 3. cap. 27. Adol. 3 in his quæ in Cathedr. & Collegiat. Ecclesijs inquirenda sunt §. 10. pa. 478. c.

suæ emolumentis priuetur, non illis tantùm, quæinter præsentes distribui solent; sed & principalibus Præbēdæ suæ fructibus, qui si in dies singulos diuiderentur, vnius diei essent. Et ne vel Signator, vel ille cuius erat peccantes mulctare, & pecuniam aut fructus huiusmodi illis decidere, indulgēter agant, & aliquando ad eneruationem disciplinæ Ecclesiasticę conniueant; qua pęna mulctandi sunt, quibuscum dissimulanter egerunt, eadem multentur & ipsi.

89. Porrò ne magna cum offensione Dei ac populi, & diminutione existimationis Ecclesiastici nominis, solemnia Missarum officia, ob absentiam Sacerdotis Diaconi aut Subdiaconi aliquando intermittantur: stricte
supra §. 9. obseruari volumus cap. 37. statut. D. Friderici, quod paulo ante recensuimus & innouauimus. Obseruandam similiter decernimus Constitut. eiusdem D. Friderici. cap.
Pag. 212. c. d. 39. statut. eius expressam: qua præcipit negligentiam seu defectum Canonici, non cantantis per se, aut per alium, Missam aut Euangelium aut Epistolā, cùm hæc illi cantanda incumbebant; per alium eiusdem Ecclesiæ Canonicum, ad hoc idoneum, negligente Canonico etiā irrequisito debere suppleri: cui sic alterius in præmissis supplenti defectū, illas distributiones accrescere volumus, quas alter munus aut officium suum negligens, ratione officij quod suppletum est accepturus fuisset; sub pœna suspēsionis ab omni officio & beneficio, ipso facto ab eo incurrenda, per quem steterit, quo minus qui alterius vices suppleuit, prędictas distributiones accipiat. Per distributiones autem etiā hîc intelligimus non hoc tātùm ꝙ præsentibus in choro dari solet, sed & illud quod ex reliquis Præbendæ aut Beneficij fructibus si illi in singulos dies & horas Canonicas distribuerentur, pro rata omissionis officij & temporis detrahendum esset.

90. In alijs verò Collegijs, in quibus consueuerunt Vicarij aliqui, in principali seu summo altari Missæ sacrificium

ficium offerre; huiusmodi negligentium officia, non solùm per Canonicos, sed deficientibus idoneis Canonicis, etiam per huiusmodi Vicarios, suppleri posse censemus, & suppleri volumus; modò Missam vel aliud quodcunque onus, ad quod alioquin tenebantur, non cogantur omittere.

91. Eadem ex decreto capitis septimi Concilij prouincialis, Anno 1310. sub Henrico habiti, locum habeāt, si quando in matutino officio Canonicus, qui Versum aut Lectionem cantare debebat, non adfuerit. *Pag. 79. d. 80. a.*

92. Cùm Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, non sine graui ac iusta ratione singulis diebus Dominicis, singula ac peculiaria fecerit officia; improbandus valde ille mos est, quem primùm ex imperitia cantus, ac librorum defectu, in his partibus originem sumpsisse, author non obscurus indicare videtur; nēpè vt diebus Dominicis, inter festum Paschæ & Pentecostes, omisso proprio diei Dominicæ officio, ad Missam repetatur officiū diei Resurrectionis Dominicæ: & à festo Pentecostes vsque ad Aduētum Domini, neglecto similiter proprio diei Dominicæ officio, cantetur Missa, vel de sancto Spiritu, vel de sanctissima Trinitate: indeque fiat, vt ex frequēti ac nimia repetitione, diuina illa officia vilescant, & præcipitata quadam cantandi consuetudine, magna vocum confusione, magis astantes offendant, quàm vt parilibus modulis, voce ac tono graui, ad compunctionē peccatorum, & amorem Dei permoueant: Ad tollendā hanc consuetudinem, omnibus & singulis Ecclesiarum Prælatis, Rectoribus, Cantoribus, Ludimagistris, & alijs quibuscūq;, ad quos eā emendare & abolere pertinebit; in virtute s. obediētiæ præcipimus: vt deinceps dieb⁹ Dominicis, per annū, & ferialibus vacantibus, non aliud, quā propriū illius diei Dominicę officiū cantari curent, q̄ in illā septimanā ac diē incidet, & rubricas huic Cōstitutioni nostrę repugnātes, si quę fortè in quibusdā libris Missa- *Conc. prouin. sub Herman. 5. parte 2. ca. 16. Micrologus de Eccles. obseruationibus, cap. 60.*

Missalibus, aut ordinem in Missarum sollemnijs seruandum præscribentibus inueniantur; ex huius decreti nostri sententia & voluntate, quam primùm expungant & corrigant.

Adol. 3. in his quæ in Cathedral. & Collegiat. Eccle fijs inquirenda sunt §. 48. 52. p. 481. a. b. et in his, quæ à Decanis & Past. inquiri debent §. 25. pag. 485. d.

93. Curent quoque Prælati & Ecclesiarum Rectores, quò ab indignatione Dei se liberent; vt quæ à Concilio Prouinciali ab Hermanno 5. parte 2. cap. 12. & 15. ac ab Adolpho tertio in formula Reformationis & visitationis Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum præscripta sunt; tandem aliquando post longam & diuturnam negligentiam executioni mandentur: nempè vt Epistola, Præfatio, Symbolum fidei, & Oratio Dominica, quæ sunt præcipuę eorum, quæ in Missa cantanda sunt, partes; cantorum aut organorum concentu non mutilentur, aut intercipiantur; sed ex integro distinctè, ac intelligibiliter decantentur. ac nihil siue organo, siue vocali cantui lasciuum aut impurum admisceatur; omnisque cantus non aliud personet, quàm quod audientium corda rapere in Deum queat. Vigilent quoque ne cantus organicus aut nimia præcipitatione ac breuitate sua, maiestati cultus diuini, aliquid detrahat; aut Clero & astanti populo nimia protractione tædiũ aut fastidium pariat: sed cantu Gregoriano reuerenter ac grauiter cantato, paulò diutius duret.

Adol. 3. in his quæ in Cathedral & Collegiat. Eccl. fijs inquirenda sunt. §. 52. pag. 481. b.

94. Vt pijs omnibus ad recensendam mortis ac dilectionis Christi memoriam, totus animus, omnesque internæ vires, nullo distrahente cos sono, omnimodè intendantur; sub eleuatione corporis ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vsque ad versiculum *Agnus Dei*, & in cãticis & in organis (quemadmodum ab Adolpho tertio præscriptum est) altissimum seruetur silentium: omnesque quotquot sunt in templo, Clerici, Cantores, Organistæ, Custodes, ijque qui organorum folles agũt, in genua procumbant, & facie ac animo ad venerabile Sacramentum conuersi, Deum omni cum deuotione

ac

ac pietate adorent.

95. Loco Antiphonæ, quæ ex more Colonienſis Eccleſiæ, peracto Miſſæ ſacrificio à Choro decantatur, dū legit Sacerdos Euangelium S. Iohannis: *In principio erat Verbum* &cæt. non cantetur Antiphona, quæ breuior ſit quàm vt antè eius finem Sacerdos commodè Euangelium legere & abſoluere poſſit; ne Collectam cantare cogatur, vel antequam Euangelium incipiat, & illud poſt cantatam Collectam recitandum differre; vel Euangelicā lectionem (ſi eam incœperit) interrumpere, aut tātiſper inter cantatam Antiphonam, & cantandam Collectam in Eccleſia ſilentium ſit, quoad Sacerdos Euangelium finierit: quod quomodocunq; fiat, ad decorem, grauitatem, & maieſtatem diuini officij non ſatis decenter fit. Inter breuiores autem Antiphonas in primis illā cenſemus, cuius initium eſt; *Iſta eſt ſpecioſa*: quæ compendij gratia à Cantoribus vel Ludimagiſtris, in quibuſdam Eccleſijs ab octaua feſti Pentecoſtes, vſque ad Aduentū Domini videtur introducta: Cuius loco cantetur illa quæ incipit. *Hæc eſt præclarum vas* &c. vel alia ſimilis, quę ſimile temporis interuallum, in cantu ſuo requirat.

96. Vt nec temporū diuturnitate, nec hominum incuria, errore vel improbitate, ab hiſce regulis vel paululum deflectatur: volumus vt in ſingulis Collegiatis Eccleſijs, vir doctus cōſtituatur cæremoniarum magiſter, qui omnem vigilantiam ac diligentiam in eo ponat, vt omnia quæ ad ritus ac cæremonias totius diuini officij faciunt, ritè ex præſcripto horum Decretorum ab omnibus obſeruentur. In parochialibus autem Eccleſijs, ijſq; ſubiectis oratorijs aut Sacellis, ipſi Paſtores perpetua inſpectione vigilent; ne quidquam deforme ab his ſanctionibus in diuinum officium irrepat: & ſi qui Regulares in huiuſmodi Eccleſijs, in obſeruatione rituum, ac cæremoniarum peccauerint, qui nec modum ſequantur, quem Romana præſcribit Eccleſia; nec illum quem ex

Ordine, cui asscripti sunt, seruare tenentur; vel alio modo fuerint reprehensibiles; illos si semel atque iterum moniti, sese non emendauerint, postea ad celebrandum diuinũ officium in Ecclesijs, Oratorijs, aut Sacellis, quibus præsunt, vel superintendunt, non admittant.

97. Subdecani præterea, Choriepiscopi, & Cantores in Ecclesijs Collegiatis suo perfungantur officio; vtque cunque in cantu Ecclesiastico euitanda, & obseruanda digestissimus, & si quæ alia adijcienda fuissent, exactè ab omnibus vitentur & obseruentur; & vbi illi non adfuerint, senior Canonicus, inter Canonicos præsentes, ac in Parochialibus Ecclesijs Pastor aut senior Sacerdos, vel senior Cantor inter Cantores, pro zelo domus Dei & diuini honoris, assiduam in eo operam ac diligentiam faciant: aut si vnicus duntaxat Sacerdos & Ludimagister cum pueris scholaribus aduenerit, eidem Sacerdoti maiestatem ac honorem cultus diuini promouenti, Ludimagistri & pueri auscultare teneantur.

In his quæ in Cath & Coll legit Eccl. Adol. inquirenda præscripsit, §. 27. pa. 479 d. Stat Conr. c. 9. pa 13. b.

98. In summa, vt omnis Dei cultus, & quæcunque eò pertinent (cuiusmodi in alijs horum Decretorum locis tacta sunt) sic peragatur, vt nihil in eo desideretur; sed omnibus modis & Deo gratus sit, & hominibus placitus; eosque non modò aliquid in eo non offendat, sed omnia ædificent, instruant atque reficiant: Decani alijque Ecclesiarum Prælati atque Rectores nihil sui muneris negligẽter aut otioso animo prętermittant, nihilq; perfunctoriè, quasi ad oculum seruientes, peragant; sed sine intermissione ac remissione perpetuò in inspectione, correctione, & disciplina commissi sibi Cleri ac populi vigilent; perpetuò in executione horum Decretorum aliarumque Canonicarum sanctionum laborent; & de quibus ipsi Deo & Superioribus suis reddere debent rationem, à subiectis sibi, cuiuscunque ordinis, conditionis aut status illi sint, quotiescunq; opus fuerit, sine vlla dissimulatione, exactissimam ratio-

Cap Decet De immunit. Eccles in 6. Cõc prouinc sub Herm. 5 parte 3. ca. 9.

rationem reddi sibi curent. Quod vt fideliter præstare queant, omnium ac singulorum subiectorum suorum onera, quibus vel ad certas Missas, vel ad alia munia siue diuina siue prophana, seu ex vtrisq; mixta, tenentur; eorumque iuramenta & obligationes, & in scriptis semper ad manum habeant, & omni die quando quieti sese dabunt, quando à quiete surgent, etiam inter comedendũ & bibendum, dum corpus reficiunt, in animo ac ante oculos suos versent; cogitentque se ideo alijs omnibus prælatos esse, vt omnium negligentias ac culpas quibuscunque possunt modis corrigant atque emendent, suaq; innocentia, authoritate, iustitia ac diligentia præstent. Et ne fortè ea quæ sacris ministerijs dicata sunt, temporum iniuria obsolescant, & ex hominum memoria excidãt, aut temeritate vel iniquitate alicuius, ad indebitos vsus distrahantur; piæque testantium voluntates pereant, & sua spe ac desiderio fraudentur: Volumus vt singuli Prælati & Decani rurales, Beneficia illa (sui districtus) quæ tenuiora sunt, quàm vt inueniatur, qui onera eis adiuncta præstare velit, nec non & ea quæ Ecclesijs, Oratorijs, Sacellis aut altaribus adiuncta erant, quę vetustate, aut aliâs collapsa sunt, & instaurari nõ poterunt: in proxima synodo Diœcesana, cũ omnibus oneribus & emolumentis eis annexis, in scriptis exhibeant; vt per synodalem sententiam statui ac decerni possit, quidquid magis ad honorem & cultum Dei, ad vtilitatem Ecclesiarum, ad deuotam mentem & voluntatem piorum fidelium, qui ea legauerunt, facere videbitur.

Adol. 2. in Synodo Diœcesana anno 1548. mense Octob habit. pag. 413. c. d.

DE SVPPLICATIONIBVS, SEV PROCESsionibus, Stationibus, & pompa Funebri.

99. Quæ de Supplicationibus seu Processionibus & Stationibus, ad instructionem populi, titulo de Pastoribus à nobis decreta & sancita sunt, tanto religiosius à Religiosis, seu Regularibus, Canonicis, Sacerdotibus, Canonissis, Clericis, alijsq; Ecclesiasticis personis, obseruẽtur; quanto à reliquis Christianis, altiorem in locum sublati conspiciuntur; vt in eos, tanquam in speculum reliqui oculos conijciant, ex ijsq; sumant quod imitentur. Grauissimum enim scandali illud crimen est, quod ad blasphemandum nomen Domini, & exprobrandũ castris Dei Israel, veræ fidei, & Catholicæ religionis hostibus ab his datur, qui fidei & Catholicę religionis præcipui debebant esse cultores; ac in omni Christiani populi supplicatione, non solũ non vel leuiter quidẽ offendere; sed proculpis & offensionibus suis, ac aliorum omnium, sua contritione ac eminente pietate seseDeo irascenti murum opponere, eiusq; furorem, sanctis orationibus, gemitibus, lachrymis, atque suspirijs suis placare. Quapropter quod primum in Concilio prouinciali Anno 1549. sine vlla adiectione pœnæ sancitum; deinde in synodis Diœcesanis anno 1550. feria quinta post Remigij; & anno 1551. feria 2. post Dominicam Inuocauit sub Adolpho tertio habitis sub diuini interminatione Iudicij prohibitum est; vt dum Processiones, seu venerabilis Sacramẽti, vel sacrarum Reliquiarum & imaginum circumlationes aguntur, nemo omnium, qui huiusmodi processionibus intersunt, edendo vel bibendo ieiunium soluat, antequam peracta in timore Dei, cum pijs precibus, processione, singuli ad domos suas reuertantur, ac nec tum quidem comessationibus & ebrietatibus indulgendum esse, sed cibum parcè cum gratiarum actione sumendum; ne gratia diuina, quæ in sacris processio-

Titulo De Past. cap. De munere prædicationis articulo Instãte die. pag. 289.

Cõc prouinc. sub Adol 3. c. Quantum in processionibus. in censuris et Decretis. pa 452. b. Syno. Diœces anno 1550 feria 5. post Remigij habit. in mandato cuius initium est: Quum inter omnia. p. 516. c Syn. Diœcesa. Anno 1597.

cessionibus ambitur, fœda ista temulentia duplicato crí mine abijciatur; suo exemplo in vsum ac consuetudinē populi inducant. Et quæcunq; vel à nobis in præcedentibus, vel in Concilijs Prouincialibus aut Synodis Diœcesanis, alijsque Episcopalibus Constitutionibus hac de re constituta sunt, singuli Ecclesiarum tam regularium quàm sæcularium Prælati & Rectores, à Clero & populo sibi subiecto exactissimè obseruari satagant. Curent quoque Magistratum sæcularem, imminente supplicationis die, tempori præmoneri; si qua in re eius officium desideretur; vel ad cohibendam & coercendam impiorum insolentiam; vel ad impediendum ne in via, qua procedendum erit, esculenta aut poculenta vendantur; vel ad remouenda quæcunque alia, quæ ad excitandam veram deuotionem nihil faciunt, sed potius ad vanitatem animas relaxant, & à sanctis cogitationibus auocant.

feria 2 post Dominicam Inuocauit habit. art. 7. pa. 530. b. c. Vide loca citata & cap. Nihil prope tam sanctum, in Decretis & cēsuris, cōc. prouinc. sub Adol 3 hab pa. 451. d. & ca. Decanis ruralib. ibidē p. 453 a & b. 55 In his quæ in Cathed. et Colleg Eccl. Adol. inquirenda digest. 486. a et Cōc 151 c.

sit. p. 481 d. et §. 33. in his quæ eodem authore à Decanis & Pastoribus inquirenda sunt, pag. prouinc. sub Hermanno 5 parte 4 cap 28. 29 parte 9. c. 7 & 8 stat. VVilhelm. ca. 1. §. 21 pag.

100. Quod Adolphus tertius in formula Inquisitionis Canonissarum desiderat, vt ne Canonissæ sæculares nimis exquisito vtantur habitu, neue incedant vestibus nimis sæculariter comptis & excultis; illud præcipuè in publicis supplicationibus seruari mandamus; easque in Collegijs suis ceu in scholis virtutum, in omni pietate ac timore Dei ita cupimus instituí, vt omni lasciuia, superbia, ac petulantia exutæ, omni humilitate, modestia, verecundia, pudicitia, alijsque virtutibus, quibus Christi sponsas exornatas esse decet, verè nobiles ac illustres appareant.

Adol 3. in his quæ in monasterijs et Collegijs Canonissarum sæcularium inquirēda proposuit pag. 496. b. c etc.

101. Vt verò in supplicationibus omnes suo ordine incedant, nec is vnquam perturbetur; sint qui in singulis Monasterijs, Collegijs, ac Parochijs, hanc curam gerant, sint etiam qui totum corpus processionis curent, & quæcunque ad illam spectant, reuerenter obeundo ac lustrando agant.

102. Vt

102. Vt ne aliqui ex processionibus & stationibus digrediantur, earumque ordinem sua defectione deforment; in vsum reuocamus cap. 46. & 47. statutorum D. Friderici: vt nimirum distributiones quæ ratione processionum aut stationum dandæ sunt, non alijs dentur, quàm qui seruato legitimo processionis ac stationis ordine eũdo, ac redeundo in processione perseuerant; vel qui eadẽ forma ad locũ seu Ecclesiam vbi fit statio conueniunt, ac chorum Ecclesiæ intrant, & ibidem vsque ad finem diuini officij religiosè persistunt, peractoque diuino officio cum cruce, eodem ordine quo venerant, ad Ecclesiam suam reuertuntur; exceptis duntaxat his, quos vel necessitas, vel alia iusta causa, iudicio Decani & Capituli, in Domino excusat.

Pag. 216. 217. c. d.

103. Quod si distributiones hæ nimis exiguæ fuerint, paruiq; fiant; curent Decani, vt augeantur, & aliqua annonæ pars, vel aliquid aliud eis adijciatur.

104. Si qui autem fraudulenter distributionum harũ participes illos fecerint, qui ex Decreti huius sententia eis indigni erant; prima quidem vice tantundem Ecclesiæ restituere cogantur, quanti distributiones ipsæ valebant; eaque pœna contempta, alia grauiori, vel suspensionis vel excommunicationis, aut quacunque alia seuerius puniantur.

Ibidem.

Cõc. prouinc. sub Adolp. 3. c. Quantũ in processionibus. In censuris & Decretis pa. 452. b. c.

105. Vt stationes primam pietatis suæ speciem ac pulchritudinem referant; decernant singuli Decani, Canonicis, Clericis, alijsque Collegij sui puerulis, certum in choro locum, vbi in stationibus in ordine suo persistere debeant; omnesque & singulos, in ordine ac officio suo contineant; & per Subdecanos, Choriepiscopos, Scholasticos, Cantores, Ludimagistros, aliosque inspectores in his contineri curent. Vbi autem chorus satis capax non est, vt omnes qui ad stationem conueniunt, capc-

capere possit, designent eis extra chorum, vel altaria vel Oratoria, seu Sacella, vbi se omnes, in omni ordine ac deuotione contineant.

106. Vt à pompa funebri & lugubri illa processione, qua fidelium corpora religiosè ad sepulturæ locum efferuntur, ea offensionis præscindatur occasio, qua fit ex largiore potatione vini (quæ in prædiuitum sepultura, quando illi à prandio sepeliuntur, non rarò accidere solet) vt nonnulli sine vacillatione, aliaque reprehensibili nota pompam funebrem ad tumulum prosequi non possint: Prohibemus ne posthac Ecclesiasticis personis, siue regularibus, siue sæcularibus, dum ad deducendum funus conueniunt, ab vllis, cuiuscunque ordinis, conditionis, aut status illi fuerint, vinum propinetur; sed si qui eis pia voluntate, vel honorarij, vel beneuolentiæ causa dare aliquid decreuerint, loco vini, vel pecuniam dent, vel Symbolum, quod pecuniæ aut vino æquiualeat. Quod quidem Decretum Pastores ad eorum notitiam perferent, quorum scire interest, & in vsum ac consuetudinem sua diligentia ducent.

DE RESIDENTIA ET PERSONALI DEBITAE SERVITVTIS

ministerio Canonicorum, Vicariorum, Officiantium, Beneficiatorum, aliorumque Clericorum.

CVM ad diuini cultus maiestatem faciat, & decorem, si diuina officia à quamplurimis psallentibus in vnum, reuerenter, distinctè, & deuotè peragantur; & Beneficia Ecclesiastica, ad diuinum cultum atque Eccle- 1.

Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, vt qui ea obtinent diuina officia, in Ecclesijs quibus asscripti sũt, per se & non per substitutos suos obeant; non minori studio & diuini honoris zelo, quàm olim D. Fredericus Colonien sis Ecclesiæ Archiepiscopus, Ecclesiarum Prælatis, in virtute sanctæ obedientiæ mandauit, ijsdem in eadem virtute præcipientes, mandamus; vt omni diligentia, sollicitudine, & qua præditi sunt authoritate in hoc incumbant, vt omnes Canonici, Vicarij, alijque Officiantes resideant, & personale debitæ seruitutis ministerium, quod propriè residere est, Deo & Ecclesiæ suæ præstent. Alioquin si in ciuitate aut in loco agant, vbi Collegium aut Ecclesia residentiæ suæ sita est, aut etiam intra Ecclesiæ aut Collegij sui immunitatem præsentes Ecclesiam non frequentent; sed tempus quod diuinis officijs dare deberent, comessationibus, aut alijs modis malè & inutiliter perdant; imò si in ipsa Ecclesia corpore quidem præsentes, at cum alijs diuina officia non peragentes; sed dum alij hoc agunt, ipsi aut fabulando, aut ambulando, vel etiam alicuius officij notabili parte obdormiendo, seu etiam sine iusta causa officium quod alij cantant, aut alias preces, vel quod peius est, vanas historias, aut fabulas legendo, alijsve modis cum alijs in officijs non communicant: residentiæ suæ non satisfeciisse, & fructus ac distributiones assignatas lucrifeciisse, secundùm veriorem & securiorem Doctorum sententiam dici non possunt. Beneficium enim non datur nisi propter officium: quod eadem ratione, qua vnus aut plures se intermittere posse iudicat, alij itidem se id posse iudicabunt; ac ita fieri poterit, quemadmodum alicubi factum magno cum dolore cognouimus; vt vbi triginta vel plures simul adesse deberent, aliquando pauciſſimi, aliquando nulli adsint; maxima cum irreuerentia nominis Dei, Diuinique cultus diminutione, magnoq; populi scandalo & malo: dum

In statutis Anni 1406 16. Decemb. publicatis, c. 40 pa. 213. a.

In Constit. disciplinæ Ecclesiasticæ D. Vilh. §. 33. pa. 152. b stat. Frider. c. 45 p. 216 a.b. Card. Caieta. in opus. 17. responsionũ responsione 8 Nauarr. de oratione & horis Canon. c. 9. num. 45. & c. & c. 10. num. 47. et c. 11. num. 42. Dominicus Soto de iure & iustitia l. 10 quæst. 3. artic. 1. et alij.

dum quod ad laudandum & placandum Deum est institutum, cedit in maiorem Dei offensionem: Et qui debebant esse omnis mali deprecatores, grauiorum plagarũ, & afflictionum fiunt authores.

2. Ad extirpanda autem hæc, & ad tuendam Canonicorum, Vicariorum, aliorumque Clericorum residentiam, obseruari imprimis volumus, cap. 41. & 42. Statutorum D. Friderici Archiepiscopi Colonienſis; nec non Bullam Innocentij eius nominis Octaui Pontificis Romani, pro declaratione, approbatione, & confirmatione dicti quadragesimi secundi capitis Statutorum D. Friderici, ab Hermanno quarto Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopo impetratam, & ab Adolpho tertio, eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, in Synodo Diœcesana die 2. Octobr. Anno 1549. innouatam; quæ sequuntur in hæc verba. Pag. 461. d.

CAPVT 41. STATVTORVM DOMINI FRIderici Archiepiscopi Colonienſis.

PRæterea statuimus, quod quicunq; Canonicus, aut Vicarius, vel aliâs in aliqua prædictarum Ecclesiarum Beneficiatus seu intitulatus, voluerit ex licita & rationabili causa abesse, tenetur à suo Prælato, seu ab illo vel illis, cui seu quibus, de iure vel consuetudine hoc competit, licentiam petere & obtinere: qua petita & obtenta, debet per aliam personam idoneam Beneficio suo, à quo se absentat, durante sua absentia, facere deseruiri. Quod si non fecerit, volumus & præcipimus, vt per Decanũ & Capitulum Ecclesiæ, in qua Beneficium huiusmodi est constitutum, minister substituatur idoneus, qui eidem Beneficio & Ecclesiæ interim deseruiat in diuinis, cui de fructibus & reditibus eiusdem Beneficij, mandamus per ipsos Decanum & Capitulum congruè prouideri. Pag. 213.

Quicunq; verò sine licentia à suo Beneficio se absentare præsumpserit, etiamsi per alium idoneum huiusmodi Beneficio deseruiat, nihilominus à perceptione fructuum ipsius Beneficij,

per illum ad quem id pertinet suspendatur. Saluis tamen in his rationabilibus Ecclesiæ obseruantijs, consuetudinibus & statutis, quibus per hanc Constitutionem non intendimus derogare, aut eis præiudicium aliquod generari.

CAPVT 42. STATVTORVM EIVSDEM D. Friderici Archiepiscopi Colonienſis.

Pig 214. a Ca Liceat vobis de Præbendis & dignitatibus & ca. Consuetud. de cl. ricis nõ residentibus sex: Decret. lib. 3. De hac re vide etiam Statut D. Henr. Anno 1307 edit. ca 10 f. 69 d et Stat. Freder. c. 51. pag. 218 a. ac ca 63 p 225 b. Item Cõc. prouinc sub Herm. 5 parte 3. c. 10. & 12 Conc prouinc. sub Adolp 3 in censuris, ca Nõ minori. pa 452 c. d.

ITem vt Canonici, et alij prædictarum Ecclesiarum Beneficiati seu Clerici, Horis Canonicis, Missarum celebrationibus, aliisq; Diuinorum officijs, dum in ipsis peraguntur Ecclesijs, curent frequentius interesse: Statuimus vt distributiones a quotidianæ, in quibuscunq; rebus constiterint, quæ pro defunctorum memorijs, vel alia quauis de causa in dictis Ecclesijs, Canonicis & alijs Beneficiatis earum dari consueuerant, & solent, non dentur, nisi illis qui huiusmodi officijs & memorijs tempore quo celebrantur & fiunt in choris earundem Ecclesiarum præsentialiter interfint, licet in ipsis Ecclesijs præsentes existant.

Qui verò aliter de distributionibus ipsis quicquam receperint, (illis tamen quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporis, ac euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret: nonnullis etiam Ecclesiarum Prælatis, quibus de antiqua ipsarum Ecclesiarum consuetudine, & obseruantia distributiones huiusmodi etiam in absentia sunt solitæ ministrari exceptis) rerum sic receptarum dominium non acquirant, nec faciant eas suas, imò ad omnium restitutionem, quæ contra huiusmodi nostrum statutum receperint, teneantur.

Mandantes & districtè præcipientes vniuersis administratoribus, pro tempore dictarum distributionum, vt statutum huiusmodi fideliter tenere & obseruare procurent. Alioquin contrarium facientes, ipso facto excommunicationis sententia innodamus.

Præmissis insuper addendo statuimus, & sub pœna prædicta mandamus, vt præfatæ distributiones, quatenus facultates & vires bonorum & redituum ad eas faciendas assignatorum

patium-

patiuntur, dentur horis, temporibus, & modis, & ad hoc per illos, qui eas de suis & aliorum bonis ordinarunt, rationabiliter constituti, & prout horæ, tempora & modi huiusmodi in libris Memoriarum cuiuslibet Ecclesiæ annotati & conscripti existunt.

Reprobantes penitus & omninò, detestabilem abusum, qui in quibusdam Ecclesijs inoleuit, in quibus illi qui in commendatione animarum dum legitur Psalmus Miserere, *præsentes existunt, licet ante & post se absentauerint, Distributiones quæ pro defunctorum memorijs largiuntur, integraliter percipiũt, ac si totali animarum officio, videlicet Vigilijs, Missæ & Commendationi præsentialiter interfuissent.*

Item, vt his qui in duabus vel pluribus Ecclesijs nostrarum ciuitatis & Diœcesis Canonici vel aliâs Beneficiati existunt, vagationis & dissolutionis subtrahatur occasio: Statuimus & ordinamus, quod nemo deinceps vna die, in diuersis Ecclesijs in quibus Beneficia obtinet, quotidianas distributiones percipiat, nisi in aliqua prædictarum Ecclesiarum sit Prælatus, seu aliâs ei hoc competat ex priuilegio, vel iure alio speciali, ne, dum ad plures vno tempore festinat Ecclesias, nulli earum debitum famulatum impendat.

Vide Statut. Herm. 4 §. 19. & 20 p. 273. d. 274. a

BVLLA S. D. N. INNOCENTII OCTAVI:

PER REVERENDISSIMVM DOMINVM Hermannum eius nominis quartum Archiepiscopum Colonienſem impetrata: declarans authoritate Apoſtolica STATVTVM, quod nullus in diuerſis Eccleſijs vno eodemque die diſtributiones quotidianas percipiat, ratione Beneficiorum ſuorum, obtinere debere non modò in Canonicatibus & Præbendis, ſed & in Vicarijs.

INNOCENTIVS EPI-

SCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam.

EX Apoſtolicæ ſeruitutis officio, meritis quanquam inſufficientes, diuina nobis diſpoſitione commiſſo, ad ea libenter intendimus, per quæ in ſingulis Eccleſijs diuinus cultus floreat, & continuum incrementum ſuſcipiat: ac illa quæ propterea ſtatuta & ordinata fuiſſe dicuntur, vt firma & inconcuſſa permaneant, libenter, cùm à nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, optimas prouiſiones ſuper his adhibẽdo, prout in Domino cognoſcimus ſalubriter expedire.

Sanè pro parte Venerabilis fratris noſtri Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis, nuper nobis exhibita petitio continebat; quod licet in Statutis & Conſuetudinibus Eccleſiæ Colonienſis, Canonicè æditis, inter alia contineatur expreſſe, quod nullus in diuerſis Eccleſijs, in quibus beneficia obtinet, vno die Diſtributiones percipiat, niſi in aliqua dictarum Eccleſiarum ſit Prælatus, ſeu aliàs hoc ei competat ex priuilegio, vel iure alio ſpeciali, ne dum ad plures eodem tempore feſtinat Eccleſias, nulli earum

rum debitum famulatum impendat: ipsumq; statutum, quantum ad Canonicos diuersarum Ecclesiarum fuerit hactenus obseruatum, & de præsenti obseruetur; tamen quoad personas, diuersas Vicarias, altaria, aut alia Beneficia Ecclesiastica, in diuersis Ecclesijs, seu Canonicatus & Prabendas in vna, ac Vicarias, altaria, seu alia Beneficia Ecclesiastica, in alia Ecclesijs obtinentes, in obseruantia non existit; pro eo forsan, quod nonnullæ ex ijsdem personis ab aliquibus Apostolicæ sedis Nuntijs, cum potestate Legati de latere, ad illas partes destinatis; se super hoc indulta, seu dispensationes dicunt impetrasse: Cùm autem sicut eadem petitio subiungebat, dicti statuti non obseruantia, sit occasio diminutionis diuini cultus, tam in maiori, quàm in alijs Ecclesijs Ciuitatis & Diœcesis Coloniensis; pro parte prafati Hermanni Archiepiscopi nobis fuit humiliter supplicatum, vt statutum prædictum approbare & confirmare, ac perpetuò obseruari mandare, alias q; in præmissis oportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur:

Nos igitur attendentes, quod quò ad personas, talia Beneficia etiam mixtim obtinentes, ita concludit ratio Statuti, sicut in his qui diuersos obtinent Canonicatus & Præbendas, quodq; statutum ipsum indistinctè loquitur; absurdum quoq; videtur, quod illi tanquam inferiores alijs magis qualificatis, & pro statu suo sustentando, amplioribus stipendijs indigentibus, potiori debeant prærogatiua gaudere; huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum prædictum, quod etiam (vt asseritur) in Synodo Coloniensi publicatum, & per dictum Archiepiscopum innouatum extitit, authoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, nec non per omnes & singulas personas, etiam inferiora Beneficia, seu talia mixtim cum Canonicatibus & Præbendis in Ciuitate & Diœcesi prædictis obtinentes, sub excommunicationis pœna, inuiolabiliter obseruari debere.

Et nihilominus Venerabili fratri Archiepiscopo Treuirensi, & dilectis filijs sancti Martini & sancti Panthaleonis Coloniensium Monasteriorum Abbatibus, per Apostolica scripta

mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios faciant authoritate nostra statutum prædictum, per omnes & singulas personas prædictas inuiolabiliter obseruari: contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Non obstantibus quibuscunque concessionibus, & indultis, seu dispensationibus, à quibuscunq; Legatis seu Nuntijs dictæ Sedis eisdem personis hactenus concessis, & in posterum concedendis, quas ipsis contra Statutum huiusmodi in aliquo suffragari nolumus, contrarijs quibuscunq;: aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, constitutionis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quadringentesimo, Nonagesimo primo: tertio Calendas Septembris, Pontificatus nostri Anno 7.

3. Quibus quidem prioris capitis verbis, vt rectè de licentia & facultate requirenda & obtinenda Canonicis alijsque Clericis præscriptum est; non tamen quantum hîc, ab Ecclesiæ Prælatis Canonicè permitti illis possit, est expressum: quod definientes, duorum aut trium ad summũ mensium spatiũ permitti posse pronuntiamus, iuxta ea quæ supra, cùm de Prælatis ageremus, constituimus. Nam etsi Canonicorum aliorumq; Clericorũ residentia, non tam Ecclesiæ vtilis sit & necessaria, quã Prælatorum; minimè tamẽ decet, vt gregarius miles ab excubijs sit liber, vbi Dux sẽper vigilat & stat in armis. Saluis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quę

Artic. 24. & 28.

longius

longius seruitij tempus requirunt, sicut statuta D. Frederici, quatuor Clericis maioris Ecclesiæ Colonienſis, longius seruitij tempus, præscripserunt, dum eis quindecim tantùm dies, consentiente Decano, abesse permittunt: alioquin præter distributiones quotidianas, primò amittat vnusquisq; dimidiam partem fructuum, quos ratione Præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit vsus negligẽtia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno fuerit lucratus, crescente verò contumacia, contra eos, iuxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur. *Cap. 53. pag. 218. d.*

4. Pari modo & illa, eiusdem capitis verba interpretantes, quibus de sufficiendo in locum absentis deseruitore prouidè constitutum est, declaramus: Non tantùm deseruitorem constituendum esse, qui absentis vicem suppleat in cantando duntaxat Euangelio, Epistola, Lectione, vel sacrificio Missæ faciendo, sed &, (vbi haberi poterit) qui toto absentiæ tempore, totum officium diuinum cum alijs decantet, & eos voce & animo iuuãs, diuinam maiestatem collaudet, atque concelebret, ac pro peccatis populi vnà cum alijs publico Ecclesiæ officio, vnanimiter apud Deum intercedat.

5. Idem prout cap. 24. statutorum D. VValrami præscriptum est, obseruandum decernimus, quando is qui Beneficium recens obtinuit, tempore annorum gratiæ aut expectantiarum, vt statuta vocant, vigore extrauagantis Iohannis vigesimi secundi Romani Pontificis, fructus Præbendę adire cupit, aut si hoc neglexerit, alius in eius locum subrogandus erit. Nec non quando quis ex Decreto Concilij prouincialis sub D. Conrado Episcopo Colonienſi habiti in locum erit assumendus alicuius Clerici, qui ob inscitiam cantandi aut legendi debitum in choro præstare non poterit. *Pag. 134. etc.* *Conc. prouin. sub D. Conrado Epiſc. Colon. ca. 3 pag. 10 d.*

6. A qua

6. A qua residentiæ obligatione, & facultatis absentandi se impetrandæ, nec non substituendi in locum suum, absentiæ suæ tempore, deseruitore, cùm minimè liberi sint Capellani Episcoporum, Regum, Præpositorũ, etsi qui sint, qui similem libertatem sibi vsurpant (eo dũtaxat tempore excepto, quo pro vtilitate Ecclesiæ Dominis suis seruiunt) ad prædicta omnia præstanda à Decanis cogendi erunt. De illis quippe cap. 10. Statutorum D. Conradi Archiepiscopi Colonienſis statutum est. Quod residentiam in Ecclesijs suis, tanquam alij fratres faciẽt, nisi illo tantùm tempore, quando agunt suorum negotia dominorum, atque etiam si negotia Ecclesiæ hoc exposcant.

Pag. 13.

7. Ne autem per huiusmodi officium Episcopis, Regibus, & Præpositis, à Capellanis suis præstandum, Ecclesiæ aliquando vel ad breue quidem tempus necessariò aliquo membro carere cogantur; consultissimè in Concilio Prouinciali sub Domino Conrado cap. 10. vetitum est, ne Decani, Scholastici, Choriepiscopi, Cantores, & Sacerdotes Ecclesiarum, vllatenus Episcopales aut Regales Capellani existant: Quam Constitutionem innouantes præcipimus, vt si qui Decani, Scholastici, Choriepiscopi, Cãtores aut Sacerdotes Ecclesiarum, huiusmodi officium susceperint, ante mensem à publicatione horum decretorum illud resignent: quod si non fecerint, illud extunc vacare decernimus, & ab eo penes quẽ fuerit collatio, in alium transferri posse ac debere.

Ibid d.

8. Quod verò ad alterum caput, in quo de distributionibus agitur, non alijs quàm illis, qui in choro diuinũ officiũ peragunt, dilargiendis; rectè in Prouinciali Concilio, sub D. Adolpho tertio Colonienſis Ecclesiæ Episcopo, Anno 1549. declaratum est: illos solos huiusmodi distributionum debere esse participes, qui Horis diuinis aut defunctorum exequijs seu memorijs à principio ad finem vsque intersunt, idque in habitu qualem tempo-

Pag. 452. c.

ris

ris & personæ conditio requirit.

9. Exceptionem autem illam eiusdem Capitis: *Illis tamen exceptis, quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporis, ac euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret*, exponentes: euidentem Ecclesiæ vtilitatem intelligi declaramus, quando Canonici alijque Ecclesiæ ministri in negotijs Capituli aut fabricæ suæ Ecclesiæ, vel in negotijs Diœcesis cũ Episcopo, vel ex eius commissione occupantur, fraude tamen & dolo seclusis. *Habetur eadem exceptio ca vnico de Cler non resident. li. 6.*

10. Similiter eos, qui vel sacrificant, vel audiunt confessiones, ipsa hora, qua hæc faciunt, pro præsentibus habendos esse decernimus, modò tamen ad principales horas, iuxta Ecclesiæ suæ consuetudinem ingressum fecerint, & sacrificio suo, aut Confessionibus finitis, si nondum sit peractum officium chori, in ipsum redeant.

11. Fauore verò studiorum, eos qui ad docendum, vel in ipsis Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis, vel in Vniuersitatibus (quo ad Beneficia quæ in ipsis Vniuersitatibus possident) obligãtur, ijs diebus quibus actu docebũt, aut publicis disputationibus intererunt, pro præsentibus habendos esse statuimus, modò duabus de maioribus horis in die intersint.

12. Prædicatores quoque verbi Dei, qui ad hoc munus ab Ordinarijs deputati erunt, quibus diebus concionabuntur, eodem priuilegio gaudeant.

13. Qui autem huiusmodi onere aut officio ad quod ratione Præbendæ quam habent obligati sunt, non funguntur pro rata temporis; officij neglecti aut omissi, & distributionibus quotidianis & principalibus, Præbendæ suæ fructibus, perinde ac non residentes priuentur.

14. Vt hæc obseruentur, in singulis Collegiatis Ecclesijs constituatur Signator, qui præstito fidelitatis iuramento, diligenter annotet eos omnes, qui diuinis non intererunt officijs; aut si intererunt, canere cum alijs recusauerint; vel priuatim officium recitauerint; aut vagando,

gando, fabulando, vel alijs modis distributiones nõ promeruerint; quas vsib⁹ præscriptis accrescere faciat, præter illam distributionum partem, quæ iuxta laudabilem consuetudinem, vel Ecclesiarum statuta, ratione laborum & molestiarum Signatori cedere debet, quæ si definita non sit, nos decimam definimus.

Supra tit de Prælatis, vbi de Prælatorum residentia agitur.

15. Absentias singulorum, atque errata aliaque huiusmodi in certum librum referat, quem singulis minimũ mẽsibus, Capitulo exhibeat. Exacto verò ãno aut tempore, quando facienda erit distributionum solutio, subductis ex eo diligenter rationibus, vt pro erratorum modo quisque distributionibus priuetur, illum Capitulo tradat, in Archiuo perpetuò custodiendum.

16. Si quæ autem errata, aut absentias Signator aduerterit, scienſque notare noluerit; tantum ipse de distributionibus, sibi aliâs iure obuenientibus eo ipso amittat; quantum ille quem notare neglexit recusauitve, amittere debuit: sciatque se, nisi facta illarum restitutione in foro conscientiæ (etiamsi aliâs peccatum eius probari non valeat) absolui iure non posse.

17. Vt autem Signator suo muneri non desit, omnibus horis diuinis officijs interesse debet; nec omninò à choro discedat, nisi missione à Decano, vel chori præfecto impetrata. Si autem contra fecerit, vnius diei distributionibus mulctetur, cuius rei exactio, & obseruatio magistro fabricæ incumbet.

18. Quod si autem Signator aliquando à choro abesse cogetur, alium in locum suum substituet, non quidem puerum choralem, Campanarium, Virgiferum, seu ex laicis aliquem; sed Canonicum aut Vicarium, qui à Decano aut eius Vicario idoneus iudicabitur: cui eo nomine illa vel per absentes neglectæ, vel per præsentiũ cul-

culpam perditæ distributionis pars accresceret, quæ Signatori debebatur.

19. In obseruandis autem illis, qui in Vniuersitate prælegere tenentur; Pedelli Signatoris subibunt officium, & pari obligatione ac commodo negligentias Professorum, ad Magistrum fabricæ & Signatorem singulis mensibus deferent. Cùm autem illi qui in Vniuersitate docendi officium neglexerint, eodem tempore in officio chori negligentes fuerint, & vel ratione neglectæ residentiæ, vel ratione commissorum errorum erunt mulctandi, vt & Signatori & Pedellis sua integra sit merces, præter illam partem, quæ ex distributionibus Signatori debebatur, tantundem ex alijs distributionibus quos mulctandi aliâs promeruerant, pro Pedellorum mercede deducatur.

20. Cæterùm cùm quotidianæ distributiones, diuersis in locis, quorundam arte & infidelitate, vt nobis relatum est, multum sint acciſæ, & in alium vsum conuersæ, alioquin pro temporum ratione satis tenues; ideoque ferè negligantur: ac præterea iniqua nimis illa consuetudo sit, vt fructus principales, siue corpus Præbendæ, ab vnius atque alterius diei residentia, imò ab obseruatione exigui momenti alicubi pendeat; videlicet vt qui tempore lecturæ, quam vocant, statuto tempore in domo Capitulari sese præsentem exhibuerit, omnibus principalibus totius anni Præbendæ suæ fructibus, seu toto Præbendæ suæ corpore fruatur, etiamsi reliquo anni tempore non resederit; & contra qui toto anno diligenter resedit, ac tulit totum pondus laboris, sudauit & alsit, omnibus principalibus totius anni Præbendæ suæ fructibus, quos diligentia sua eo anno meruerat, fraudetur, si casu aliquo, statuto diei illius momento inter alios non comparuerit; & idcirco residentiæ parua à multis habeatur ratio, vt qui non tam sunt solliciti,

vt debitum præstent Deo obsequium, quàm vt certi sint, seu per fas seu per nefas de annuo emolumento: Statuimus, vt præter distributiones quotidianas hactenus vsurpatas & vsurpandas (si fortè alicubi quædam earum quorundā infidelitate obliteratæ & antiquatæ fuerint, siue pecuniariæ illæ sint, siue frumētariæ, seu alijs in rebus existant) tertiam partem fructuum & quorumcunque obuentuum, tam Dignitatum, quàm Canonicatuum, Personatuum, Portionum & Officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas conuerti, quæ inter Dignitates obtinentes, & cæteros diuinis interessentes, proportione conuenienti diuidantur. Saluatamen earum Ecclesiarum consuetudine, in quibus non residentes, seu non seruientes, nihil vel minus tertia parte recipiunt, non obstantibus exemptionibus, ac alijs consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & appellationibus quibuscunque.

21. In distributionibus, abolenda est hæc consuetudo, quæ potius corruptela & auaritiæ filia dici debet, qua videlicet panes Præbendales, vt Concilium Prouinciale
Pag. 14. sub D. Conrado habitum, cap. 11. meminit, in certum numerum excrescere permittuntur, vt tandem pretio redimantur. Cùm enim hac occasione pereat hospitalitatis occasio, quo nomine panes illi magni solent esse ponderis, & ad illam reducendam ex eiusdem Concilij præscriptione singula Collegia commune teneantur habere pistrinum; quod licet nunc plerisque locis extet, idem nihilominus vitium in Clerum irrepserit: Statuimus, vt qui panem Præbendalem in specie non receperit, sed illum in certum numerum excrescere permiserit, vt pro panibus pecuniam, aut certam frumenti mensuram recipiat, eadem pecunia vel illo frumento priuetur, & in vsum fabricæ aut sacrarij vel alterius loci, aut rei piæ cōuertatur, non obstante temporum difficultate & angustia, quam ad tegendam vitij huius deformitatem & turpitudi-

pitudinem, quidam forsitan causabuntur. Hæc enim tẽporum difficultas, rerumque angustia, non auaritia & tenacitate, sed beneficentia & communione superanda est: huiusmodi enim hostijs, inquit Apostolus, promeretur Deus. Hebr. 13.

22. Ne autẽ illi qui toto anno in officijs diuinis semper fuerunt præsentes, nihilque quod sui erat officij prætermiserunt, omne quod toto anno promeruerant, per vnius diei absentiam leui casu perdant, & vt præterea vnà cum necessitate residentiæ, beneficiorum excludam' pluralitatem: Statuimus vt reliquæ tres, quę supersunt, principaliũ annuorum fructuum, seu corporis Præbendæ aut dignitatis partes, non vnius diei momento, nec quidem vno duntaxat die aut duobus, sed quatuor præcipuis anni festiuitatibus (quibus meritò diebus, omnes Ecclesiæ ministri in suis Ecclesijs præsentes esse debent) promereantur: videlicet Natiuitatis Dominicæ, Paschę, Pentecostes, & Dedicationis Ecclesiæ. Vt si quis singulis istorum dierum horarijs officijs, ab initio vsque ad finem non interfuerit, & personaliter competens seruitium non præstiterit, quartam annuorũ fructuum partem, quam tunc mereri potuisset, amittat, nec eius quoquo modo dominium acquirat; sed fabricæ Ecclesiæ applicetur, aut in alium pium vsum, vtpote erigendi seminarij, aut dotandæ scholæ, similesve causas pias conuertatur. In quem finem peculiare faciendum erit gazophylacium, in quo huiusmodi pecuniæ coaceruari tutò poterunt. Nec alicui dispensatio super pluralitate Beneficiorum prodesse contra hanc Constitutionem possit, nisi expresse simul dispẽsatum fuerit, quod prætactis diebus non residens stipendium residentibus duntaxat debitum adire possit. Concil. Agathens. cap. 39. & 7. qu. 1 6. Si quis.

23. Vbi tamen alicuius Collegij seu Ecclesiæ consuetudo, vel statuta plures dies, seu aliam rationem, & temporis distinctionem requirunt; quæ Canonicos alioq;

Ecclesiarum ministros arctius ad residendum constringunt, ac Beneficiorum pluralitatem magis excludunt: illa hac Constitutione nostra minimè sint abrogata, sed inuiolata omninò ab omnibus seruentur.

24. Ex cuius Cõstitutionis & Decreti nostri obseruatione, ne quis se nimis grauatum queri possit, quod rarò aut nunquam trium mensium spatio, ab Ecclesia sua abesse poterit: in arbitrio & potestate Decanorum relinquimus, vt sicut iusta de causa certum & Canonicum, quotannis, non residendi tempus, Canonicis, alijsque sibi subiectis permittere possunt; ita vnum quoque ex quatuor dictis diebus (fraude & dolo cessantibus) relaxare possint, si ille in illud interuallum inciderit, quo quisquam abesse cogetur, & alias Canonicè permitti poterit.

25. Ad præsentem porrò hunc locum pertinent, quę cap. 15. Concilij Prouincialis Anno 1310. sub D. Henrico habiti, & cap. 38. Statutorum D. Frederici ad personale debitę seruitutis ministerium præstandum, Ecclesię ministris præscripta sunt. Quę vt obseruentur, & nec istos lateant propter quos decreta sunt, nec hos fugiant, qui ex equi eadem tenentur, hoc loco ad verbum inserenda fuerunt.

Pag. 81 d. Pag. 212. b.

Cap. 15. Stat. Conc. pronin. sub Henrico pag. 81. c, d.

Vicarij Ecclesiarum Collegiatarum, vel aliarum Ecclesiarũ, ad Ordinem quem onus Beneficiorum suorum requirit, à tempore susceptorum Beneficiorum promoueantur, & personaliter residеant in eisdem. Aliàs eisdem Vicarijs seu Beneficijs, si non promouentur, nec personaliter eas deseruierint, ipso facto post lapsum anni, iuris impedimento cessante, sint priuati; & Collatores earundem Vicariarum, seu Capellantarum de ipsis, personis alijs (id facientibus) studeant prouidere. Idem de Vicarijs iã existentibus volumus obseruari, ne votum Christi fideliũ, qui huiusmodi Vicarias pro remedio animæ suæ, vel pro cultu diuino ampliando instituerunt, & dotauerunt easdem, per talium non promotorũ, & non deseruientiũ negligentiã defraudetur.

Beneficiati quicunque in nostra Colonien si vel alijs Collegiatis

tis Ecclesijs ciuitatis & Diœcesis prædictarum, qui Dignitates, Personatus, officia seu Præbendas, vel alia Beneficia Ecclesiastica, quibus certi Ordines sunt annexi, aut debentur, pacifice nunc obtinent aut obtinebunt in futurum; si legitimo cessante impedimento ad huiusmodi Ordines, quos Dignitates, Personatus, officia seu Beneficia requirunt, quouis modo etiam de consuetudine vel de iure, si Subdiaconalis vel Diaconalis ordo forsan existit, intra sex menses: si verò Presbyteralis ordo fuerit, intra annum à tempore pacificæ possessionis adeptæ, Beneficiorum prædictorum, se promoueri non fecerint, ex tunc à perceptione fructuũ Beneficiorum eorundẽ, quæ huiusmodi requirunt, sint ipso facto authoritate præsentis nostri statuti suspẽsi: quos, deductis oneribus eisdem Beneficijs incumbentibus, in vsus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiarum, in quibus Beneficia ipsa consistunt decernimus conuertendos. Quam suspensionem si postmodum huiusmodi Beneficiati per sex menses contumaciter sustinuerint; volumus & mandamus, ipsos dictis suis Beneficijs huiusmodi Ordines requirentibus, ex tunc per suos Superiores, ad quos hoc pertinet, omnino priuari, & illa alijs idoneis conferri personis, qui velint & possint ad huiusmodi Ordines intra tempus prædictum Canonicè promoueri, pœnis alijs quæ contra tales promoueri ad Ordines recusantes statuuntur in iure, nihilominus in suo robore duraturis. Cap. 38. Stat. Frideric. pa. 212. b.

26. Quia verò etiam per annos gratiæ seu expectantiarum, quos vocant, multum diuinis officijs detrahitur; & vt consulatur defuncto, & Ecclesiæ fabricæ Deus ipse negligitur, & defuncti Beneficiorumq́; fundatores, multarum personarum suffragijs ac intercessionibus, multis quandoque annis fraudantur: ideoq́; illos Archiepiscopi Colonienses, & moderandos esse censuerint, & certis duntaxat præscriptionibus admittendos; quæ partim temporum longinquitate, partim Prælatorũ negligẽtia, ac inexplebili quorundã auaritia, authoritatis suæ vigorẽ perdiderunt, ac frequenti inobedientiũ multorũ trãsgressione, ita cõculcatæ sunt, vt iã rarus aut nullus sit, qui earum. Cap. 24. Stat. VValram p. 134. b. c. d. Conc. prouin. sub Herman. 5. part. 3 c. 24.

earum reuerentia prohibitus, non transgrediatur terminos, quos posuerunt patres sui: Erigenda nobis ista sepes est, ac nouis firmamentis confirmanda. Innouamus itaque extrauagantem Ioannis vigesimi secundi Romani Pontificis, quæ incipit, *Suscepti regiminis:* hîc olim à diuersis Archiepiscopis publicatam, & obseruari volumus Constitutionem F.R. Pij Quinti, cuius initium est: *Dudum nimis & incommodum:* super præsenti re, Anno 1570. 13. Julij æditam, Necnon & Constitutionem D. Frederici cap. 44. Statutorum eius digestam, quorum exempla sequuntur.

CONSTITVTIO EXTRAVAGANS Iohannis Papæ XXII.

Pag. 136. in statut. Eccles. Colon.

SVscepti Regiminis nos cura sollicitat, vt quæ in Ecclesijs non absq; dispendio ministrorum & cultus detrimento diuini seruari videamus, per appositionem congrui moderaminis, in melius reformemus. Cùm itaq; in nonnullis Ecclesijs obseruetur, & à longis retroactis temporibus fuerit obseruatum, quod fructus primi vel secundi, aut alterius cuiusque sequentis anni Beneficiorum vacantium in ijsdem, defuncto vel fabricæ aut Ecclesijs vel personis habentibus annalia, de consuetudine, priuilegio vel statuto applicentur in totum: ita quod illi qui huiusmodi Beneficia Canonicè obtinent, & ad quos aliás de iure fructus ipsi spectare deberent, nihil inde percipiunt: vnde illud inconueniens sequitur, quod commodè nequeunt, ad impendendũ seruitium debitum residere in Ecclesijs, in quibus Beneficiati existunt.

Nos de illo super his remedio prouidere volentes, per quod hi & illi in fructuum perceptione prædictorum participent, & Ecclesiæ debitis seruitijs non fraudentur præsenti Decreto statuimus de fratrum nostrorum consilio, quod illi qui fructus prædictos sibi hactenus integrè vendicabunt ex priuilegio, de consuetudine vel statuto, nihil exinde vltra summam, pro quavnum-

numquodque Beneficiorum ipsorum consueuit in decimæ solutione taxari, prætextu cuiusuis priuilegij, consuetudinis vel Statuti quouis modo percipient: sed ipsius summæ perceptione duntaxat sint omninò contenti, totali residuo prædicta obtinentibus Beneficia remansuro, nisi forsan illi qui fructus eosdem soliti fuerint (vt præfertur) cum integritate percipere pro se mallent ipsum habere residuũ, & obtinẽtibus ipsa Beneficia summã dimittere memoratã: quo casu percipiendi quod maluerint illis relinquimus optionẽ sic quod intra decem dies, postquã sciuerint Beneficia ipsa vacare, ij quibus annalia ipsa debentur ex priuilegio, consuetudine vel statuto, aut ipsorum annalium Collectores, quam partem habere voluerint, an scilicet decimæ taxationem, vel illa dimissa residuum (nulla subhastatione præmissa) eligere teneantur. Quam electionem si intra dictos decem dies non fecerint, vt est dictum, extunc ad eum cuius est Beneficium huiusmodi optio vel electio transeat ipso iure. Et hoc in Ecclesijs & partibus illis, in quibus Beneficia maiora, & alia quantũ ad solutionem decimæ, sunt taxata, volumus obseruari.

In illis verò partibus & Ecclesijs, in quibus decimarum taxatio non est facta, seruetur, quod fructus & obuentiones Beneficij tunc vacantis, quos in decima soluere consueuit, per medium diuidantur, quorum medietatem habeat is, cui annalium per alterum de prædictis modis perceptio est concessa. Reliquam verò medietatem percipiat ille, cui Beneficium est concessum pro sustentatione sua, & alijs Ecclesiæ oneribus supportandis: quorum si alter de prædictis, prædicta medietate voluerit esse contentus, altero contentari nolente, pars volentis ipso iure transeat ad nolentem, & volens, fructus & obuentiones illius Beneficij percipiet vniuersos, eidem Beneficio congruè faciens deseruiri, ac eius supportans onera consueta.

Et si quicquam aliquis prædictorum vltra præmissa perceperit, illudque his ad quos pertinebit, intra mensem non restituerit, cum effectu; eo ipso, si Episcopus, vel Superior Prælatus fuerit, à Pontificalibus & ingressu Ecclesiæ nouerit

se suspensum: si autem Capitulum, Vniuersitas, vel Collegium; Ecclesiastico interdicto se nouerit (donec prædicta cum integritate restituerit) subiacere. Si verò aliqua singularis persona Ecclesiastica, vel mundana id fecerit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, à qua nisi restitutione præmissa (praterquam in mortis articulo) minimè absoluatur, non obstantibus quibuscunq; Priuilegijs, vel indulgentijs, aut contrarijs consuetudinibus, aut contrarijs Statutis, iuramento, confirmatione sedis Apostolicæ, aut alia quacunque firmitate vallatis. Quæ omnia, quò ad hæc, authoritate Apostolica reuocamus, cassamus, & irritamus, & nullius deinceps esse volumus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, reuocationis, cassationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentauerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Auinione Kalendis Nouemb. Pontificatus nostri Anno 11.

(***)

SAN-

SANCTISSIMI D. N. D. PII PAPÆ V. REVOCATIO PRIVILEGIORVM ET STATUTORUM: *Quod fructus Beneficiorum primi anni aut alterius temporis ex quo vacarunt, cedant Capitulo, vel alij loco. Qui verò sunt concessi fabricæ seu Sacristiæ, seu pio vsui vltra semestre, deinceps sint illius pro dimidia, reliquum capiat Beneficiatus.*

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, AD PERPETVAM rei memoriam.

DVRVM nimis & incommodum arbitramur, quod Ecclesiarum ministri in ijs quæ ad ipsorum sustentationem suppeditantur, dispendia patiantur. Quocirca cùm hanc ad rem, simulq; prohibendam ab Ecclesia Dei auaritiæ prauitatem, edita ante hac sanctiones minimè satis esse intelligimus; nouæ Constitutionis subsidio cogimur prouidere. Cùm itaq; aliás ex plurium Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum constitutionibus, aut ex praua consuetudine, obseruari intelligeretur, vt in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione siue admissione, ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficij, Canonicatuum aut Præbendarum, vel partem prouentuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesijs dicuntur Turnorum lucra, interponerentur, licet sancta Synodus Tridentina, hæc detestata mandauerit Episcopis, vt quæcunque huiusmodi in vsus pios non conuerterentur, atque ingressus eos, qui

Concil. Trid. sess. 24 ca. 14. de reformat. mandauit Episcopis vt prauas con-

Simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspitionem haberent, fieri non permitterent, ipsiq; diligenter de eorum Constitutionibus, siue consuetudinibus, super prædictis cognoscerent, & illis tantùm quas probarent exceptis, reliquas vt prauas & scandalosas reijcerent; eos verò qui aduersus prædicta quauis ratione commisissent, pœnis contra Simoniacos æditis teneri decreuerit: multorum tamen indomita cupiditate tam prædicta, quàm alia ad Beneficium & commodum ipsorum ministrorum ædita, aut omninò contemnuntur, aut in varios sensus traducta, perperam eluduntur.

Quare nos pro diuini cultus exercitio, simulq; euocato eorũ ad illũ auxilio plenius, euidentiusq; consulendum forerati, reuocamus, & abolemus omnia, & quæcunque priuilegia, consuetudines & statuta, quarumcunq; Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac maiorum, nec non Collegiatarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, aut alio quouis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo ac quantocunq; tempore, etiã continuò obseruata, siue pro persoluendis Ecclesiarum vel Prælatorum debitis siue pro supportandis illorum oneribus, siue alijs etiam maioribus, maximis vrgentissimis causis, concessa & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa & moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, Portionibus, Beneficijs, & Officijs, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones, ex eis primò ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel etiam breuiore tempore prouenturi, mensæ Episcopali, seu Capitulari, aliove loco integrè vel partim remaneant seu applicentur, aut in communes vsus cedant, seu inter alios Canonicos & personas Ecclesiæ, seu Capituli diuidantur; quodq; nullus etiam Apostolica authoritate prouisus, in Canonicum recipi, aut ad Dignitatem seu Portionem, Beneficium vel Officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de obseruãdis huiusmodi priuilegijs, consuetudinibus, & statutis, iuramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum & distributionum perceptioni renunciauerit, seu Capitulo & personis p̃dictis cesserit, seu (vt appellãt) dulciaria, aut quid aliud præsti-

Consuetudines Ecclesiarum Collegiatarũ & Cathedralium, aliquid recipiendi in prouisionibus Beneficiorũ reijcerent.

Hic Pontifex modò reuocat consuetudines & Constitutiones huiusmodi

præstiterit quorum omnium tenores, causas & effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscunq; illa concepta sint formulis; nec non irritantibus & alijs decretis roborata: volentes ea omnia vires & effectum de cætero non habere.

Præcipimus igitur & interdicimus, omnibus Episcopis, Capitulis, Collegijs & personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renunciationem aut dulciaria, vel alia quomodocunq; petant, vel exigant, aut quenquam, siue ordinaria, siue Apostolica authoritate prouisum, ad præstandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediant vel remorentur. His conformia sunt quæ habentur in fine cap 43. Stat. D. Freder pa. 215 b

Quicunq; contra fecerint, si Ecclesiarum Antistes; tam diu à Pontificalis officij exercitio sint suspensi, donec satisfactione præuia illis per sedem Apostolicam suspensio relaxetur: Capitula verò & Collegia quæcunq;, Ecclesiastico subiaceant interdicto; ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua nisi in mortis articulo constituti, ab alio quàm à Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernẽtes huiusmodi præstita iuramenta non tenere, nec quẽquam illis obligari: Quinimò iurantes in huiusmodi censuram incidere: Nec nõ irritum & inane quicquid secus super his, per quoscunq; scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Et nihilominus statuimus, vt vbicunq; huiusmodi fructus, & distributiones fabricæ vel Sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus, vltra semestre tempus reperiuntur concessi; horum duntaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur; alteram verò beneficiati prædicti integrè percipiãt.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac contrarijs quibuscunq;, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sede sit indultũ; quod interdici, suspendi, vel excõmunicari nõ possint, per litteras Apost. non faciẽtes plenã & expressã, ac de verbo ad verbũ, de indulto huiusmodi mentionẽ; Decreto prædictæ Synodi, ac etiã Constitutionem, fere. Iohan. Papæ 22. quæ incipit, Suscepti; & alijs iuribus hac de re disponentibus, nihilominus aliâs in suo robore duraturis.

Cæterũ per prædicta non intendimus illis præiudicare Capitulis, Collegijs, mensis, aut personis, fructus & distributiones, inter vacationem Beneficiorum & eorum collationem, siue possessionis apprehensionem prouenientes, ex statuto, consuetudine, vel priuilegio huiusmodi percipientibus, vel retinentibus, quo minus ipsi illos interim, vt antea exigere valeant & habere.

Postremò volumus, vt præsentium exemplaetiam impressa, Notarij publici manu & Prælati Ecclesiastici, eiusve Curiæ sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem vbique locorum, in iudicio, & extra illud faciant, quàm facerent ipsæmet præsentes, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, decreti, statuti, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo. Pridie Calen. Iulij, Pontificatus nostri Anno 5.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini nostri 1570. indictione tertia decima, die verò tertia decima Iulij Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno 5. retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de vrbe, ad valuas Ecclesiæ S. Ioan. Lateranensis, & ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Scipio. de Octauianis & Ant. Clerici cursores Apostolicos.

Stephanus de Olea

Mag. Curs.

CAP.

CAP. 44. STATVTORVM, A D. FREDERICO Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo æditorum.

QVia VValramus prædeceſſor noſter præfatus, ne Præbendas Eccleſiarum, in quibus vacantibus Præbendis, fructus earum per certos annos defuncto, & Eccleſijs de conſuetudine applicantur, nimis diu ſuis ſeruitoribus & miniſtris carere contingat, alijs q. legitimis rationibus motus, duxit prouidè ſtatuendum, vt nulla Eccleſia ciuitatis & Diœceſis Colonienſis, ſibi & defuncto vltra quadriennium fructus Præbendarum ipſius Eccleſiæ vacantium, etiam ſi durantibus annis expectantiarum vacent, pluries ſucceſſiue, vendicet vel vſurpet: ſæpe dubitatur à multis, Si aliquis Canonicus, poſt completum dictorum annorum numerum ad perceptionem fructuum Præbendæ ſuæ ſic admiſſus decedat, vel Præbendam ſuam ſimpliciter, vel permutatione, vel alia quauis ex cauſa, reſignet, ſeu dimittat, vtrum dictum ſtatutum etiam locum habeat in hoc caſu. Nos dubitationem huiuſmodi, in caſu præmiſſo locum habere declaramus, ipſum q. ſimilitudine rationis inducti, ad eundem caſum extendimus, & prorogamus, mandantes, & ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & Beneficio diſtrictè præcipientes, vt ſucceſſor in tali Præbenda, ſine vlteriori expectatione, ad perceptionem fructuum illius Præbendæ, qualibet difficultate ſemota, benenolè admittatur; non obſtante contraria conſuetudine, ſi qua forſan ab aliquibus prætendatur Eccleſijs vel perſonis de facto ſeruata, quam, vtpote abuſionem & corruptelam, penitus abolemus.

Pag. 215. Quæſtio de quatuor annis expectantiarum.

Declaratio.

Cap. 24. pag. 136. b.

27. Quibus duo ex D. VValrami ſtatutis adiungentes; volumus vt Canonicus, Vicarius, aut alius quilibet Clericus tempore annorum gratiæ, ſeu expectantiarum reſidens, præter illam corporis, ſeu principalium fructuũ partem, quæ illi iuxta præſcriptas Conſtitutiones debetur, diſtributionum quotidianarum perinde ac alij reſidentes ſit particeps, & ad Conuentus Capitulares, dummodò

modò aliàs fuerit habilis, admittatur atque vocetur, idemque cum alijs ius dicendi suffragij habeat.

28. Quæ quidem omnia non solùm ad Beneficia, Præbendas & Dignitates quæ vacaturæ sunt; sed & quæ nunc vacant, & quorum anni gratiæ seu expectationis licet incepti sint, nondum tamen sunt finiti, referenda esse decernimus. Quemadmodum hoc ipsum, cap. 24. Statutorum D. VValrami decretū inuenitur, non obstante quauis alia Constitutione, etiam iurata seu qualibet alia cōsuetudine.

Ibid.

29. Præter hæc, quæ ad tuendam, & confirmandam ministrorum Ecclesiasticorum residentiam, & ad promouendum hac ratione diuinum honorem hactenus recensita sunt: commodum Ecclesiarum ministris, magnumque ad præstandum personale Ecclesijs ministerium foret incitamentum, si quisque propè Ecclesiam cui seruit suam haberet habitationem. Quod prioribus sæculis magna sedulitate, magnisque sumptibus & laboribus, cùm alibi, tum in hac præcipuè sancta Ciuitate Colonensi, ac celeberrima Diœcesi, multis de causis curatum fuit. In primis voluerunt sanctissimi illi Patres, omnes Ecclesiæ ministros, à promiscua laicorum conuersatione & consuetudine esse segregatos, & extra omnes huius mundi turbas, ab omni re, quæ animi intentionē distrahere aut remittere posset, liberos. Voluerunt præterea illos semper in oculis esse suorū Superiorum, quò hi de illorum vita & conuersatione nunquam non certi esse possint, & illi nihil inordinatè agere, quod nō à vigilantibus super illos Superioribus aduerteretur, & quā primùm curaretur. Voluerunt denique omnem excusationem sublatam, qua vel per viæ longitudinem & difficultatem, aut dissona horologia, vel laicorum interpellationes, aliasque rationes similes, à frequentando templo sese excusare possent: & contra, magna ista habitationis commoditate & vtilitate, eos ad residendum inuitare

Conc. prouin. sub Herman. 5. parte 3. ca. 4 pag. 357 a.

tare & cogere ſtuduerunt. Quæ omnia, contra primam inſtitutionem, & ſacrorum Canonum ſanctionem, perueſa & immutata ſunt, & domus, quæ olim ſolùm Canonicorum aut Canoniſſarum, aliorumue miniſtrorũ Eccleſiaſticorũ habitationi comparatę ac dedicatę erãt, nunc laicis coniugatis, mercatoribus, forſitan etiam alibi hæreticis locantur, & qui eas inhabitare debebant, quorumq́; domus propriæ ſunt, procul ab Eccleſia, ſuorumq́; Superiorum conſpectu, vel obſcuro loco apud laicos, vel nobili, in aulis Principum, vel alibi ſubinde parũ religioſè viuunt, nihil de reſidentia & miniſterio quod Eccleſijs debent, (à quibus ſuſtentantur) ſolliciti: vt videre ſit quarundam Collegiatarum Eccleſiarum immunitates, quæ olim muris, & portis, à laicorum habitatione ſeparatæ erant, & tantũm ab Eccleſiaſticis perſonis, quæ in Eccleſiarum miniſterio, diuinoq́ue quotidie ſeruiebant officio, inhabitabantur; nunc excepta vna atque altera domo, à ſolis laicis inhabitari, omneq́ue immunitatis priſtinæ, ac claudendarum portarum ius perdidiſſe: & vbi olim omnes reſidebant, ac magna cum reuerentia nominis Dei diuina officia obibant, nũc alicubi paucos reſidere, & diuina officia in Ludimagiſtrum, & aliquot cantores, vel aliquot pueros reiecta eſſe; quibus cũ exiguum decretum ſit ſtipendium, pro precio illi faciũt, vt opus appareat, vt aliquando præſtaret eos tacuiſſe, quàm diuinas laudes tam irreuerenter decantaſſe. Irrepſerunt hæc ſenſim, partim per Superiorum incuriam & negligentiam, partim per Canonicorum, Canoniſſarũ, aliorumq́ue Eccleſiæ miniſtrorum nimiam vitæ licentiam, & irreligioſam atq; inconſideratam temeritatem; quorum nonnulli dum ſub cenſura ac diſciplina Superiorum ſuorum viuere, & perſonale ſeruitutis miniſterium Eccleſijs præſtare, graue arbitrabantur; quotidianarum diſtributionum iacturam, quam abſentes faciebãt, elocatarum domorum ſuarum quæſtu, humana qua-

dam prudentia resarcire studuerunt; vt iam dissolutioris vitæ & absentiæ diuturnioris, aut perpetuæ, indefomentum accipiant, vnde vitæ sanctioris, & residentiæ perpetuæ necessitatem sibi impositam gaudere debebãt. Quare vt quæ vigili quondam Archiepiscoporum Colonienſium cura ad promouendum diuini nominis honorem, & Ecclesiasticam disciplinam conseruandam fuerunt constituta, posterorum negligentia diutius non seruiant, ad diuini honoris diminutionem, & disciplinæ Ecclesiasticę eneruationem; sed eodem fructu ad diuini honoris celebrationem, vigoremque disciplinæ Ecclesiasticæ restituantur, quo primitus claruerunt: Innouamus, quæ cap. 70. & 71. super hac re in statutis D. Friderici Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopi decreta sunt, & quæ ille maioris Ecclesiæ Capitulo duntaxat præscripsit, nos omnibus vtriusq; sexus Collegiatæ Ecclesiæ Capitulis, sub ijsdē pœnis obseruanda præscribimus. quodque vetuit ne vnus pro se aut pro suis duas habeat domos, non ad eos tantum referendum decernimus, qui duas in vno Collegio domos habent, sed & ad illos, qui vnam in vno Collegio habent, & aliam in alio.

CAPVT LXX. STATVTORVM D. Friderici Archiepiscopi Colonienſis.

Pag. 227. *PRæterea Capitulo nostro supradicto, & singularibus personis eiusdem sub suspensionis & interdicti pœnis, districte inhibemus, ne vendant, committant, vel locent, vel alio quouis quæsito colore assignent vni Canonico vel alteri cuiquam in Ecclesia Colonienſi beneficiato, plures domos Canonicales pro vsibus suis & suorum: & domum pro tempore habens Capitularem siue hæreditariam, à dicta Ecclesia tamen dependentem, si aliam habere procurauerit, vel assecutus fuerit, ex successione hæreditaria, ex concessione, venditione, vel assignatione Capitulari, vel aliàs quomodolibet, ille domum suam priorem,*

rem, si hæreditaria foret, intra annum continuum, à die acquisitionis secundæ computandum, in Capitulo, Canonico Ecclesiæ eiusdem vendere, vel aliàs ius suum, quod ipse habet, dimittere liberè teneatur, dummodo emptorem pro competenti precio habuerit. In quo precio si concordare nequiuerint, illud Capitulum vel maior pars eius, super suis conscientijs taxabunt, ad quam taxationem intra quindecim dies tunc immediatè sequentes, idem Capitulum vel maior pars sub pœna suspensionis, quam in his scriptis ferimus, faciendam teneantur: quod si non, ipso facto post dictum annum & quindecim dies pœnam suspensionis ab officio & beneficio, quam in his scriptis in sic contra facientes promulgamus, ineuitabiliter incurrant.

CAPVT LXXI. STATVTORVM EIVSdem D. Friderici.

PRæterea sub pœna excommunicationis, quam etiam in his scriptis ferimus, in quemlibet contrarium facientem, districtè prohibemus ne de cætero quisquam domos Capitulares siue hæreditarias, ab aliqua Ecclesiarum dependentes, quas Canonici seu Beneficiati ipsius Ecclesiæ inhabitare consueuerũt, Laicalibus, seu extraneis personis quibuslibet concedere, dare vel locare, committere seu vendere ad inhabitandum, aut in eis nuptias, aut choreas publicas, vel alia sæcularia negotia exercendũ, vel alios quoslibet vsus præsumant. Ibid.

Et si fortè actu aliquæ domorum huiusmodi, locatæ, commißæ, vel concessæ sint, locationes, commißiones, & concessiones huiusmodi, illi ad quos pertinent domus, intra duos menses post publicationem præsentium immediatè sequentes, quos ipsis & eorum cuilibet, pro monitione Canonica assignamus studeant sub pœna excommunicationis antedicta, cum effectu reuocare. Quas etiam & nos nostro ex officio reuocamus.

30. Innouamus similiter quæ de immunitatibus Ec-

clesiarum Collegiatarum muro cingendis, in Concilio prouinciali sub Conrado Archiepiscopo cap. 14. præ-
Pag. 15. b. scripta sunt, earumque portas & valuas, quæ collapsæ sunt, vel alio modo perierunt, innouari & restitui volumus. Quod vt sine molestia & cunctatione perficiatur, Magistratum ciuilem paterno affectu cõuenientes, hortamur, vt suo fauore ac patrocinio hoc ipsum promoueat, & ea deuotione & sedulitate in hoc conspiret, qua decet Ecclesiasticæ libertatis ac integritatis defensores ac vindices Ecclesiarum Prælatis omnibus modis adunari, & pia eorum studia comprobationis, consensus, & potestatis suæ adminiculo tueri ac fouere.

DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE.

1. CVM nouæ legis Sacramenta ad vitam, salutem, & sanctificationem omnium hominum à Christo Domino instituta sint; ea reuerentia, præparatione, fiducia, ac pietate, & administranda, & suscipienda sunt; vt ex eorum tractatione & vsu, vberiorem indies gratiam cõsequantur, & qui illa administrant, & qui eadem suscipiunt.

2. Curent itaque sacerdotes quotquot Sacramenta administrant, non solùm vt Sacramentorum formas perfectè, & debita cum attentione pronuncient, omniaque & singula, quæ ad substantiam Sacramentorum & externum rei præsentis decorem, ac maiestatem pertinẽt, grauiter & reuerenter exequantur; sed &, vt ipsi ab omni re, quæ diuinam maiestatem offendere quoquomodo possit, sancti sint & immaculati; ne dum aliorum salutem promouere student, sibi ipsis grauiorem damnationem acquirant, & indignis modis Sacramenta tractando, indignationem ac iram Dei super se ac populum inducãt.
Cap. Maximus Dist. 81.

Et quam-

Et quamuis nullius sibi criminis aut offensionis fuerint conscij, nihil tamen ex agendi consuetudine, aut præsumptuosè, aut temerè, aut perfunctoriè agant; ac de suis meritis, nihil altum sapientes, supplices in timore Dei, antè Deum prostrati, breui oratione, & pro se, & pro illis, quorũ salutis causam acturi sunt, magno affectu ac desiderio Deum deprecentur, ac innouationem spiritus necessariãq; Dei gratiã implorent, his aut similibus verbis, vel sola mente, vel etiam verbotenus proferendis. 2 Reg. 6.

ORATIO.

SVmme Sacerdos & verè Pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri, hostiam puram & immaculatam in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus; quiq; virtutem humilitatis, passionis, mortis, ac charitatis tuæ, ad viuificandum & conformandum nos tibi, in paucis Sacramentis Ecclesiæ tuæ reliquisti; Rogo te per tuum sanguinem pretiosum, magnum salutis nostræ pretium; rogo per hanc miram, & inexplicabilem charitatem tuam, qua nos miseros, & indignos sic amare dignatus es, vt lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo, & Sacramenta hæc, vitæ ac salutis nostræ institueres, vt in ijs vsque ad consummationem sæculi nobis adesses; doce me seruum tuum indignum, hoc Sacramentum, quod pro credito mihi ministerio, in nomine tuo dispensaturus sum, ea circumspectione, reuerentia, & honore tractare, eaq; fiducia, deuotione & amore; quibus oportet & decet. Dirige quæso summe Deus, dulcissime Iesu Christe, hoc officium meum ad honorem tuum, & meam populiq; tui vitam ac salutem. Non respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, quam acquisiuisti sanguine tuo pretioso, & licet in me boni operis testimonium non cognoscas, officium dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum famulũ tuũ eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus salutaris, dignatus es, esse redemptio. Non enim in iustificationibus nostris, prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in

miserationibus tuis multis, & in virtute Sacramenti tui: vt memor æternæ Clementiæ tuæ, ac testamenti tui, gratiam tuam in hosce famulos tuos efficaciter infundere digneris: vt non Sacramentum tantum ad iudicium & condemnationem suam, sed rem ac virtutem Sacramenti, copiosè percipiant, secundum pijssimam voluntatem tuam; atque ipse in ministerio nostro, quod tuæ pietatis atque institutionis est operare. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quod timeat, diligat, & honorificet te, te delectetur, te sequatur, & in te perfruatur.

Stat. Sifr. c. 8 p 42. 1. Statut. Vilbe r. 30 pag. 182. b. c.

3. Quisq; sacerdos Sacramentũ aliquod administraturus, indutus sit vestibus sacris; ad minus superpelliceo ac stola, seu orario, & tonsura Sacerdotali sit insignitus.

4. Excepto dũtaxat Cõfessionis Sacramento, in singulorum Sacramentornm administratione adsit Clericus, Clericali veste, ac mundo & decenti Superpelliceo indutus; qui Sacerdoti oranti totius Ecclesiæ nomine respõdeat.

5. Omnia Sacramenta cum lumine dispensentur; vt præter lumen lampadis, quæ ante tabernaculum Venerabilis Sacramenti corporis Domini perpetuò ardet, vnus atque alter accensus cereus colluceat, qui innouata accensione sua, & lumen quod datum est ad reuelationẽ gentium, designẽt, & ministrantes ac suscipientes admoneant, vt hoc quod agunt, non in tenebricosa vetustate consuetudinis; sed in innouatione fidei ac deuotionis agant, ceu recens à Deo, fide, spe, & charitate, in Deum accensi & illuminati.

Addo 3 in his quæ à Decanis & Pastoribus inquirẽda sunt §. 16. pag. 485. a.

6. Sacramenta omnia ministrentur ex more Ecclesiæ Catholicæ, & præscriptione Agendæ seu libri Pastoralis propriæ Diœcesis; adhibitis omnibus Ecclesiasticis cęremonijs, ac pijs ritibus, pro ratione cuiusq; Sacramenti, ex dictamine Agendæ seu libri Pastoralis, adhibendis: ita vt nec Sacramentalibus nec essentialibus alicuius Sacramenti, ex infidelitate, vel ex petitione seu persuasione hære-

hæretica, quidquã vnquam detrahatur; vel contra morẽ Ecclesię Catholicę aliquid in eis immutetur; etiamsi hac occasione contingeret, sine necessario salutis Sacramento aliquem ex hac vita discedere. Existimare enim debẽt Sacerdotes se non habere quod faciant, quãdo id solum reliquũ est, quod non nisi peccãdo faciãt. Si tamẽ aliàs sine hæresis approbatione, administrare possunt, necessarium salutis Sacramentũ omitti non debet. Quod si quis vel ex hæretica persuasione, vel pro libito suo, prędictos ritus omiserit; aut in alios, quam in libro pastorali Diœcesis suæ præscriptum est, mutauerit, ab officio suo suspẽdatur, atque alienus sit à ministerio, quod illegitimè deprehensus fuerit administrare.

D. Aug. contra mẽdacium cap. 17.

7. Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis Sacramenta, prętерquam in casu necessitatis, non ab alijs, quam à proprijs parochis ministrentur; nisi de Episcopi aut proprij Sacerdotis licẽtia; nec ab his alibi quã in parochia Iurisdictionis suæ. De matrimonio autem seruetur decretum Concil. Tride. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.

Cap Interdicimus 16. quæst 1. De consecrat. dist. 4 cap. Constat, & sequent. cap. Omnis vtriusq; sexus, tit. de Pœnit. & remiss. cap. Religiosi qui Clericis. tit. de priuil. in Clem. Conc. Florent. sub Eugenio, Conc. prouinc sub Henrico Anno 1310 habit. cap. 20 pag. 82. c. Synod Diœcesan. sub Adolpho 3. Anno 1549. 2. Octobr. habita pag. 462.

8. Eandem suspensionis pœnam, sicut aliàs *ob administrationem Baptismi; qui sine iusta causa in priuatis ædibus factus est; ita nunc iudicio Ordinarij in illos quoq; ferendam iudicamus, qui aliquod aliud Sacramentum, prætерquam in casu necessitatis, aut de licentia Ordinarij, in priuatis ædibus administrare, aut celebrare præsumpserint. Maximè enim decet, vt sacrosancta hęc mysteria, eo peragantur loco, qui & ministrantes & suscipientes, omnesque circumstantes, ab omni prophana cogitatione, ad sublimium rerum considerationem proueh at, & fidem in eis ac charitatem magis accendat, suaque maiestate sanctas ac Sacramentales actiones, ab omni

In mandato quod anno 1591. Dominica 6. post Trinita. quæ fuit 21. Iulij publicatum est. quod incipit Quia patum esset. Cap. Vnico tit de Baptis. in Clem. Statut. Sisr. c. 8. pa. 41. Conc. prou. sub Herman. 5 par. 7. c. 7. Cõc pro. sub Adol. 3 c. Detestãda. in cẽsuris & Decr. p. 449.

ab omni irreuerentia tueatur, omniq́ue cultu ac religione sanctissimè peragendas esse promoueat.

Concil. Trid. sess. 24. c. 13. cap. Eccle sias 13 quæst 1. ca Plures. 16. quæst. 1.

9. Ne de proprio sacerdote quæstio aut dubium esse possit, volumus vt in proxima Pastorali synodo, & posthac singulis annis, parochiarum singularum fines, in synodis pastoralibus recensеantur, & si cui parochiæ aliqua facta fuerit accessio, de qua dubitatio ac quæstio moueri posset; ea concordi Pastorum & Decanorum sententia definiatur, ac singulis pastoribus parochiarum suarũ fines scripto exhibeantur; cuius exemplum singulis pastorum Vicarijs, aut pastoralis officij coadiutoribus tradatur, & aliud præterea in tabula scribatur, in parochialis Ecclesię sacristia, ad intrantium & exeuntium oculos affigenda.

Adolph. 3. in his quæ à Decanis & Pastoribus inquirēda sunt §. 27. 28. pa. 485. cap Excommunicatos. causa 11 quæst. 3. De vsuris c. Quanquã in 6. Statut. Sifrid. cap. 14. pa. 46. d. 47. a. Stat. Vvichbold. c. 12. pa. 54. d. 55. a. statut. Fridric. ca. 10. pa. 192. b. c. C. 13 p. 194 & ca 34 p. 208 c. d 209 a. b c. Concil. prou. sub Herm. in 3. parte 7. c. 2.

10. Nulli absq; legitima pœnitentia & Canonica satisfactione admittantur ad Sacramenta hæretici aut schismatici; nulli vsurarij, in mortis licet articulo constituti, nisi vsuris aut restitutis, aut sufficienti cautione, ex Sacrorum canonum sanctione data, de ijsdem restituendis: nulli concubinarij, nullæq́; concubinæ, nisi eo loci interuallo ac vitæ desuetudine fuerint separati, vt omnis incontinentiæ ac prioris vitæ cesset suspicio; nulli denique publicè criminosi; nulli qui orationem Dominicam & fidei symbolum ignorant; nulli accincti gladijs, alioue modo armati, vel vano ac irreligioso habitu, gestuue, prophanum animum, magnamq́ue cordis vanitatem irreligiosè præ se ferentes. Illi verò qui in occulto peccato mortali sunt, vel occultam peccati certissimam occasionem dimittere nolunt, sicut dum publicè ad Sacramenta accedunt, publicè sine crimine reijci non possunt, ita occultè Sacramenta petentes, nec sine peccato admitti.

11. Non solùm pro concionibus, quandocunque dabitur occasio, sed etiam cùm Sacramenta administranda sunt, prius illorum vis, vsus, ritus, ac cæremoniæ (si com-

commodè fieri poterit) pro ſuſcipientium captu explicentur; doceaturque quænam ad hæc vtiliter ac reuerenter ſuſcipienda, animi ac corporis præparatio neceſſaria ſit, & quomodo dignè vel indignè percipiantur.

Concil prou. ſub Adol. 3. cap. Deteſtãda in cenſuris & Decretis pag 449. 17.18.19 pa.

b. & in hũ quæ ex eiuſdem Adol. 3. digeſtione à Decanis & Paſtoribus inquirenda ſunt §. 485 a.b.

12. Quamuis Paſtoribus licitum ſit, quod à fidelibus poſt Sacramentorum adminiſtrationem ſponte offertur, accipere; & quod iuxta laudabilem locorum conſuetudinem eis debetur, peracto miniſterio exigere (præſertim vbi potior pars victus, atq; ſuſtentationis paſtoralis, à fidelium oblationibus pendet) caueant tamen diligentiſſimè, ne directè vel indirectè, pactionem aut contractum aliquem ineant, pro Sacramento miniſtrando, prædicatione facienda, vel quouis alio paſtorali officio exercendo; etiamſi cum vitæ periculo, aut aliquo alio graui damno fieri non poſſet. Qui contra fecerit, tanquã auaritiæ & Simoniæ reus, pro tranſgreſſionis & culpæ ratione, grauiter puniatur.

Concil. prou. ſub Herman. 5 parte 8. ca. 1 Cap. Cùm in Eccleſiç. Cap. Cùm ad Apoſt. extra De Simonia Cap. Baptizandis cap Nullus. cap. Placuit cap. Quicquid inuiſibilis. &c. 1. quæſt. 1 Concil Eliberten. c. 48. Concil. Tolet. 2. ca. 8. Gelaſius Papa cap 7 Epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ. Concil. 2. Bracarenſe cap. 7.

13. Sacra olea, ſinguli Paſtores quotannis ad feſtum Paſchæ noua petant, ex ea Eccleſia vnde veteri ac approbata conſuetudine vel iure petenda ſunt, & loco honeſto ab omni prophanatione & irreuerentia diligenter cuſtodiant. Eorum vaſcula aut ſtannea aut argentea ſint, ſuis inſcriptionibus ac notis, ad certam ac infallibilem diſtinctionem inſignita.

Cap Presbyteri qui, de conſe. diſt. 4. Concil 4. Carthag. cap 36. Conc. Vaſenſe 1 cap. 3 Statut. Siffrid. C. 4 pag 38. c.

14. Eadem ante infuſionem nouorum oleorum, ab omni puluere, ſqualore, & obfuſcatione mundentur, & decenti defricatione, eis quidam ſplendor inducatur.

15. Hi quibus ſacra olea diſtribuendi onus iniunctum fuerit; benignè ac gratis ſine vllo murmure, aut contentione, omniq; cum grauitate & pietate illa diſpenſent.

Ca. Placuit, vt nullus 1. quæſt. 1.

16. Paſtores ſimiliter ipſimet, aut per Sacellanos ſuos,

De consecr. dist. 4. capit. Presbyteri qui.

viros graues ac pios, non autem per minores Clericos, eadem reuerenter ad Ecclesiam suam perferant; nec in via, in tabernis potitent, nec aliud quod sanctitatem suam, in hac sanctificatorum portatione non decet, committant.

Ibid. cap. Si quis: & Fabianus PP. ep ad omnes orientales Episcop. c. 1.

17. Mox vbi noua olea acceperint, vetera aut superpiscinam comburāt, aut in fomentum lampadis, quæ honoratiori in templo loco est, conuertant ac consumant: Non autem in die cœnæ Domini, aut priusquam noua olea acceperint: ne ob defectum olei populus aliquando salutari extremæ vnctionis Sacramento destituatur.

Stat. Frid c. 4. pa 38. d.

18. Si ante nouorum oleorum consecrationem vetera inciperent deficere; nec inde vnde ista petita & accepta fuerunt, haberi possit, quo imminenti prouideatur indigentiæ: veteri oleo consecrato, guttatim tantillum infundatur puri ac recentis olei oliuarum non consecrati, vt consecratum aliqua parte illud superet, ac ita non cōsecrato permisceatur, vt nihil olei accipere sit, cui non aliquid consecrati olei fuerit permixtum.

DE BAPTISMO.

1. *Cons Trid. de peccat. origin. sess. 5. Concil Milleuit. c. 2. c. Si baptizata est caro, & cap. Nulla præter: De consecr. dist. 4. Ioan. 3. D. Aug Ep. 28. ad Hieronym et li 3. de Anima et eius origine cap. 9. item de peccatorum meritis & remiss. lib 1 cap. 23. & lib 3. cap. 4.*

BAptismi susceptio & administratio nunquam in longum tempus differatur, ne patrinorum quidem inuitandorum, vel alia quacunq; de causa: cum id in parvulis ac primum natis, quorum valdè infirma ac incerta valetudo est; sine æternæ vitę periculo fieri rarò possit; ac temerè speretur vota parentum, cum sanctissimæ Trinitatis inuocatione, ad salutem infantium suffragari posse, vbi Euangelica lex: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest intrare in regnum Dei:* tam manifestè reclamet, & aliud vsu suo doceat Apostolica traditio, & perpetua Ecclesiæ fides & obseruatio; quæ humanis ingenijs longè præferenda est.

2. Consentaneum tamen fuerit diuinis officijs, & Ecclesiasti-

cleſiaſticis ſanctionibus, valentiores aliquot pueros (quā do ſine periculo aliquo fieri poterit) & adultos omnes ſi quando tales baptizandi erunt, in Sabbathum ſanctum Paſchæ, & Pentecoſtes baptizandos ſeruare, cum totum illius temporis officium, huic rei ſeruiat, & adultorum Baptiſmus hiſce dumtaxat diebus fieri ſoleat. Vnde etiānum mos eſt ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia ſeruatus, ac noſtra ſanctione, antiqua religione, ſanctius ſeruandus, vt fons baptiſmatis hiſce diebus mūdetur, atque ſolemni ritu innouetur.

Cōc. prou. ſub Adol. 3. c. Inoleuit In cēſ. & Decr. p. 448. d. De cōſ. di. 4. c. Nō ratione autoritatis: & aliquot ſeq Syric. PP. ep. ad Himeriū Tarracon. Epiſc. c. 2. Cōc. Antiſ. c. 18. Gelaſ. PP. c. 12. ep. ad Epiſc. per Lucaniā cōſtitutos. Cōc. Gerund. c. 3 Greg. PP. 2. ep. 3. ad Cler. Conc. Tribur. c. 32. Matiſc. 2. ca. 3.

3. Mundetur autem poſthac, non quidem ab homine Laico; ſed ab eo cui ex ſacro ordine poteſtas eſt, ea quæ ſacra Chriſmatis vnctione ſanctificata ſunt, tangere atque mundare; à Sacerdote nimirum vel Diacono.

4. In Canonicorum Collegijs, vbi fontis Baptiſmalis nullus poteſt eſſe vſus, ſeruetur conſtitutio Concilij Prouincialis ſub Adolpho tertio habiti, cap. *Inoleuit*. in cenſuris & decretis. *Pag. 448. d.*

5. Vt non ſolum à ſordibus atq; immunditie; ſed ab omni re & actione, quæ ſacram regenerationis aquam, vel contaminare vel prophanare, quouis modo poſſet; fontes baptiſmales ſancti ſint: ſemper operculis & ſeptis concluſi cuſtodiantur, ſerarumq; claues nō apud alium quā Paſtores ſint, eorumq; Vicarios. *Stat. S. fr. c. 4. pag. 38. b. c.*

6. Vt baptiſmi Sacramentum omni cum pietate & grauitate peragatur, neque huc parum ſobrij & vino madentes patrini compareant, nunquam à prandio, niſi neceſſitas aut periculum infanti imminens cogat: ſed vt in Cōc. prou. ſub Adol. 3. prouidè ſtatutum fuit, ſemper antè prandium baptiſmus fiat, & ſuſceptores cum amicis ad miſſam diei compareāt, eamq; pro veteris Eccleſiæ ritu, ad ſalutem ſuſcepti infantis, aut adulti baptizandi, deuoto corde Deo patri offerant. *Conc. prou. ſub Adol. 3. c. Deteſtanda. In cenſu & Decr. pa. 449. a. b. et in his quæ à Decanis et Paſtoribus inquirenda ſunt §. 21. p. 485. d.*

Conc. prouin. sub Herman. 5 parte 7 ca. 6.

7. Sine omni pompa, fastu, ac superbia, ad sacrum Baptisma deferantur paruuli: vt qui renuntiaturi sunt Sathanæ, omnibusque pompis, & operibus omnibus eius; hoc offerentium fide, humilitate, ac Christiana modestia præ se ferant, actuq; demonstrent.

Adol. 3. in præparatorijs ad visitationem pag. 475. a. b. Con Laodicense. cap 7. & 8. Conci Carth 4. cap. 85. cap. Paruuli & sequenti De consec dist 4. Syricius qui iam &

8. Adulti antequam baptizentur, primùm Catechizentur, & fide, spe, alijsq; Christianæ religionis, ac iustitiæ & Charitatis Christianæ elementis sufficienter imbuantur; imbuti vero crebro examinentur, & iusto temporis spatio probentur, vt sinceritas intentionis, & constãtia volũtatis magis explorata sit, magisq; cõfirmetur, atq; veteris vitę detestatio, in agnitione, pœnitẽtia, & humili ac simplici, omniũ retro delictorũ, coram Deo confessione, firma ac perfecta sit, suisq; numeris absoluta.

PP. cap. 2 epistola ad Himerium. Celestinus PP. 1. cap. 12. ad Episcopos Galliæ cap. Omnis sequent. De consecrat dist. 4.

9. Quod si ex hæresi venerint, etiam curandum erit, vt cauteriatam conscientiam, omneq; præiudicium deponant, & damnatis omnibus hæresibus, Catholicæ fidei professionem publicè faciant, iuxta formam à Pio Quarto præscriptam; eoq; diutius & diligentius probentur, quo vel causa sustentationis vitæ temporalis, vel honoris, aut cuiuscunq; alterius boni huius seculi, maior fictionis possit subesse suspicio.

(a) Conc. Carthag. 3 c. 34. Conc. Arausi. 1. cap. 11. De consecrat di. 4. cap. Ac gregantes.

10. In mortis (a) articulo facta prorationepericuli instructione, ac explorata periclitantis fide & desiderio, sine solemnitate à quolibet homine cuiuscunq; ordinis, conditionis, sexus, sectæ, aut vitæ, quocunq; loco ac momento (vbicunq; euenerit) siue in flumine, siue in (b) mari, siue in fonte administrari baptisma poterit: Sacerdos tamen, qui solus est ordinarius huius Sacramenti minister, quando adesse poterit, præferendus erit Diacono, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, Catechumenus (c) Catholicus hæretico baptizato, vir fœminæ, nisi illa baptismi substantialia, viro melius nosceret; vel in ipso pariendi actu, honestatis ac pudoris gratia, viro esset ante-

(b) Victor. PP. in epistola ad Theophilum cap. Si quis necessitate, & cap. Mulier, & seq et ca. Sanctum est Baptisma. De consecr. Dist. 4 Conc Gerund 4 Conc Elliberi cap 38 Gelasius PP

anteponenda. Nimia (d) vero necessitate cogente, etiam Patri & matri prolem suam, in extremo vitæ suæ positã, baptismatis vnda abluere, sacri Canones permittunt. epist. 1. cap 9. Concil. Lateranen. sub Innocentio 3. c. ordinandis.

1. D. August epist 50. (c) cap. Non dubito. De consecrat. Dist. 4. cap. 1. De Clericis non (d) cap. Ad limina causa 30. quæst. 1.

11. Quod si extra necessitatem Laicus, vel alius quisquam à proprio Sacerdote Clericus baptizandi ministerium vsurpauerit, & seruata legitima materia ac forma, id facere intenderit, quod Ecclesia Catholica facit; vel si proprius Sacerdos, solemnes baptismi ritus, ac cæremonias prætermiserit, quamuis hæc faciendo peccent, ratus tamen est baptismus, & nullo modo iterandus. Ca. Quod qui dã 1. Quæst. 1.

12. Hyeme si ob nimium aquæ consecratæ frigus, infanti valetudinis aliquod timeatur periculum, prudenter cum aqua baptismali in pelui, aqua calida miscebitur: quæ ritè peracto baptismate non in fontem baptismatis, sed in sacram piscinam mittenda erit.

13. Licet Catholicæ Ecclesiæ definitio sit, vera Sacramenta apud hæreticos inueniri posse ideoq; nec iteranda esse, quæ foris, licet illegitimè, integrè tamen data fuerunt: ea tamẽ nunc insanientium perfidia, crudelitas, & sæuitia hæreticorum est; vt quæ ad essentiam Sacramentorum pertinent, peruertant, & ab intentione faciendi quod facit Ecclesia, sacrilego rebellionis spiritu, prorsus discordent: vt re diligenter perspecta, non solùm baptizandi ministerium inueniantur illegitimè vsurpare, sed & magna impietate prophanare, omnemque baptismi Christi virtutem, quantum in ipsis est perdere, atque euacuare. Quare nisi certo constet, seruatam fuisse Ecclesiæ Catholicæ formam, materiam atq; intentionem, sine omni scrupulo, iuxta formam ab Alexandro Tertio præscriptam: *Si tu es baptizatus te iterum non baptizo; si vero nondum es baptizatus ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: in Ecclesiam recipiendos esse censemus, qui ab hæreticis huius temporis baptizati fuerunt. Ibid. & ca. Romanus Pontifex & sequentibus. De consecrat Dist. 4. & ca Hi de quibus. ibi. & sequent. Libro 3. Decret. De Baptismo & eius effectu. ca. De quibus.

14. Eadem seruetur forma, quandocunque alias re di-

D Leo epist. 37. ligenter perquisita & (longo tempore si opus, ac nullo impediente periculo integrum fuerit) examinata, de aliquo incertum est, an baptizatus sit an non; seu quando dubium relinquitur, an de substantia Sacramenti huius quidquam prætermissum, vel peruersum fuerit.

15. Huiusmodi casus sunt:

1. Quando infans ob dubiam eius valetudinem, ac vitæ periculum quod imminere putabatur, à laico perfunctorie baptizatus fuit, nec Pastori clarè constare potest, de adhibita legitima materia, vel forma, vel an actus ablutionis vno temporis momento, cum prolatione formæ concurrerit.

2. Quando in difficili ac periculoso partu, exerta ex materno vtero manus, brachium, pes, aut cuiuscunque alterius membri pars, ablutionem baptismalem susceperit, secus autem est, si emerserit caput, illudq; ritè baptizatum fuerit: Hoc enim casu nec sub conditione, repetendus postea baptismus est, etiamsi non cognito sexu, aut viro fœmineum, aut fœmellæ virile nomen fuerit impositum. Nihil enim illud baptismi integritati detrahit, atque mutatione nominis corrigere hunc errorem licet, nulla sacri Baptismatis facta repetione.

3. Quando in partu geminorum aut plurium, vbi exertum infantis caput, quod baptizatum fuerat, in vterũ maternum se recipit, ac de se dubitandi postea præbet occasionem.

4. Quando expositus infans nullum certum ac infallibile baptismi sui præ se fert testimonium.

D. Leo epist. 37. cap. Parnulos & sequent. De cõsecrat. Dist. 4. Conc. Carthag 5. ca. 6. D. Greg. PP. Primus l. 12. epist. 31

5 Quando qui inter infideles aut hæreticos educatus est, vtrum baptismi Sacramentum perceperit, infantiæ inscientia non potest reminisci; nec sollicita indagatione inuenitur, qui testimonio suo iuuare possit, ignorantiam nescientis.

16. Ne leue crimen reputetur ab hæreticis baptismum accipere; & hi qui hæreticis baptizãdos obtulerint, & qui ab il-

ab illis fuerint baptizati, ex sacrorum Canonũ sententia, atq; censura puniantur.

17. * Cum sine maxima Sacramenti iniuria, seu sacrilegij crimine, atq; irregularitatis macula sacrum baptismatis lauacrum, quod semel ritè peractum est, iterari non possit, diligentissimè ab ijs, qui baptizandum sistunt perquirẽdum est, num eum aliquis baptizauerit, & vlterius qua forma, quaq; materia baptizans vsus fuerit, & si nihil essentialibus, seu substantialibus Sacramenti huius deesse inueniatur, sed exorcismos duntaxat, & sacras cæremonias, cõmunesq; Ecclesiæ preces, quę solemni ritu ab Ecclesia Catholica in Baptismo adhibẽtur; illa, Baptismi nulla facta iteratione, † ne sub cõditione quidẽ adhibeãtur; & si èx hæresi aut schismate venerit, vel Catechumenus Catholicus, ab hęretico vel scismatico baptizatꝰ fuerit; facta solẽni fidei professione, p̃ manus impositionẽ, inuocata virtute Spiritus sancti, quã ab hæreticis vel schismaticis accipere nõ potuit, Catholicis copuletur.

4. ca. Qui bis & sequent. *Catechis. Roman. tit. De Baptismo, versu* Neq; vero quisquã.

18. Vt ne facilè in substantialibus Baptismi error cõtingat, ea quæ ad essentiam Baptismi pertinent, clarè & breuiter, quotiescunque dabitur occasio, ex Catechismo Concilij Tridentini, pro Concionibus exponantur, nullæq; admittantur ad obstetricandum mulieres, nisi prius per Pastorem loci, vbi obstetricaturæ sunt, examinatę, & si opus fuerit instructæ fuerint.

19. * Instruendę autẽ erũt obstetrices, nõ solũ in his quę ad formã (quam à laicis vernacula lingua proferri volumus) materiam, intentionem, modumq; baptizãdi, præsertim in difficili partu obseruandũ spectant; sed & vt os parturientis (si moriatur) apertũ teneãt, & mortuæ vterũ, tempori aperiri, infantemque si superuixerit baptizari; sin autem sine baptismo mortuus fuerit, extra cæmiterium loco separato, à sepultura fidelium Christianorum sepiliri curent; & vt nunquam aut ipse baptizare infantem præsumant, vel ab alio quam à proprio Sacerdote

Vide Conc. Illerdẽse sub Theodorico rege. ca 13 et cap Qui in qualibet. 1. Quæst. 7.

** D. August. epist. 203. D. Leo ep. 37. et 92 ca. 16 De consecrat. Dist. 4. cap. Hi de quibus. Synod. Diœcesana sub Adolp. 3. habit. anno 1549. 2. Oct. pa. 462. a. b. & in præparatorijs ad visitatio. pa. 475. a. b. De cõsecrat. Dist.*

*† Cõc. Arela. 1. ca. 8. Conc. Arelaten. 2. c. 17. ca. Manus impositio & cap. Hi qui. 1. qu. 1. c. Ab antiqua De consecrat. Dist. 4 c. Siue hęreticus ibi. Cõc Arausic. sub. Leone 1. ca. 2. Statut. Sifrid. ca. 4. pag. 38. a. * Stat. Sifrid. c. 4. pa. 38. b. Syn. Diœces. sub Adolp 3. anno 1551. habit. art. 6. pa. 550 4.*

cerdote baptizari permittant, nisi mortis periculum cogere videatur. Quo casu sine exorcismis, catechismis, vnctionibus, cæterisq; solemnibus Ecclesiæ ritibus baptizatum, ante nonum diem nisi valetudo excusset, ad Ecclesiam perferri satagant, & hæc quæ prætermissa fuerũt solemni ritu adhiberi. Monendæ etiam, vt baptizandi solemni ritu, caput, pectus, & scapulas denudent, ac susci-

Conc. Laodicẽs. ca 47 c. Spiritus Sanctus 1. Quæst. 1.

piendo baptismo, sacrisq; vnctionibus debito modo prę parent, ac linteola, quibus post Chrismatis vnctionem infantium capita abstergũtur Sacerdotibus relinquãt, vel in Sacros vsus, si fieri poterit adaptanda, vel ne ad prophana vsurpentur, in sacros cineres comburenda.

20. Monstra quibus duo sunt capita, & diuisa pectora, quibus sua cuique propria inest anima, vt altero quiescente, alterum vitales operationes habeat, tãquam duo homines baptizentur. Quod si de distinctione suppositorum certo constare non possit, vnus quidem absolutè, alter sub conditione baptizandus erit.

21. Amentes & furiosi, qui nunquam vsum habuerũt rationis, nec spes est quod eum accepturi sint, etiam inuiti ac repugnantes (si subsint Ecclesiæ) quouis tempore, ceu pueri & infantes baptizandi sunt. Qui autem per interualla insaniunt, si quando fidei ac rationis lumine illustrati, baptizari cupiuerint; non obstante insania ac furore, in periculo mortis similiter baptizandi erunt.

22. Quamuis infidelium pueri inuitis parentibus baptizandi non sint, hæreticorum & Schismaticorum tamen filij (quod Iurisdictioni Ecclesiæ subiecti sint) inuitis ac renitentibus parentibus sanctè baptizentur, modo pia cura non desit, vt quæ ad Catholicam, ac sanctam baptizatorum educationem, ac institutionem requirun tur, non negligantur.

23. Quò diræ & vesanæ Anabaptistarum hæresi occurramus, quæ inter alias hîc magnas vires sumere videtur (quod maximè dolemus) magistratum quarumcũque

que Ciuitatum, oppidorum, & locorum huius Diœceſis ac prouinciæ, monemus & requirimus, atq; à Paſtoribus ſuis alijſq; Prælatis, quandocũq; oportunum videbitur, hortari ac requiri volumus; vt ne pro munere atq; officio ſuo quod ad defenſionem Catholicæ religionis Deo & matri ſuæ Eccleſiæ debet, ad obſtetricandum parturiẽtibus, aliquam obſtetricem tolerent, niſi quæ Catholicæ fidei, examinis atq; admiſſionis ſuę, à Paſtoribus ſuis teſtimonium habuerit, & præterea iurauerit, ſe ſingulis ſeptimanis die ſabbathi cuiq; Paſtori denunciaturam, nomina & cognomina puerperarum, quibus in cuiuſque Paſtoris parochia adfuerit, cum numero prolium ſuſceptarum. Paſtores verò teneantur ſub pœna Suſpenſionis, aliaq; arbitria Epiſcopo aut eius Officiali, infra quindecim dies, à tempore huius cognitionis, indicare nomina & cognomina matrum, quæ proles ſuas baptizari non fecerint, eademq; cum prolium non baptizatarum numero, in ſingulis Paſtoralibus Synodis ſcripto exhibere, vt ab illis in Synodis Epiſcopalibus recenſeantur, ac Synodi iudicio & ſollicitudini committantur.

24. Semel minimũ quotannis, in octaua animirũ Pentecoſtes (quandoquidem Euangelium quod tũc proponit Eccleſia, optimam huius rei dat occaſionem) ſinguli Paſtores ſubditos ſuos grauiter admoneant, & quibuſcunq; poſſunt modis inducant; vt infantes quos ſciunt non eſſe baptizatos, ſine dilatione baptizandos offerri curẽt, & adoleſcentes aut prouectioris ætatis catechiſandos adducant.

25. Ne propter Patrinorum multitudinem, vel ignorantiam Canonicarum ſanctionum, ac cognationis ſpiritualis, quæ inter ſuſceptores & baptizatum, & illius Patrem & Matrem contrahitur; aliqui in gradibus prohibitis matrimonia contrahãt; in quibus vel non ſine magno ſalutis diſcrimine perſeueratur, vel ea nõ ſine magno ſcan-

Conc. Trid. ſeſſ. 24. ca. 2. cap. Non plures. De conſecrat Diſt. 4. & cap. Quãuis. De cognat. Spirit. in 6. et

cap. Pitatiũ 30. Queſt. 3 Stat Sifrid. ca. 4. pa 38. b † In mãdato quod anno 1591. Dominica 6 poſt Trinitatem, quæ fuit 21. Iulij publicatum eſt, quod incipit. Quia parũ eſt. *Ca. De alijs Paſtoralis muneris functionibus &c. Codices prętera pa. 323.

no ſcandolo dirimuntur: Diſtrictè mandamus, vt Parochi Decr. Cõc. Trid. de vno Patrino, aut vna Matrina, vel ad ſummũ vno & vna qualiàs puplicauim⁹ † & obſeruari præcepimus, inuiolabiliter ſeruent; & ſi plures conuenerint, antequã ad exorciſandum puerũ accedant, diligenter ab ijs, ad quos ſpectabit, ſciſcitentur, quem vel quos elegerint, vt baptizandum de ſacro fonte ſuſcipiant; & eum vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittant, & in libro prout titulo de * Paſtoribus à nobis mandatum eſt, eorum, ac baptizati nomina deſcribant, doceantq; eos quam cognationem contraxerint, non ſolum patrinus ſed ipſe baptizans, ſi forte antea periculi cauſa à laico baptizatus fuerit, & non Baptiſmi, ſed exorciſmorũ, Catechiſmi, ac Sacrarum vnctionum adhibendarum cauſa, ſuſceptus coram Parocho ſiſtatur.

Vide Nauar. ca. 22. nu. 40. Enchiridij.

26. Si qui pręter deſignatos atq; deſcriptos, inuitis Paſtoribus, ſe Patrinis adtangendum baptizandum, inſtar Patrinorum adiungant: declarent illos nullo patrinorum iure, aut obligatione teneri, nec vllum cognationis ſpiritualis vinculum contraxiſſe. Quemadmodum nec illi vllam Spiritualem cognationem contrahunt, qui baptizatum in neceſſitate domi infantem, ſolum exorciſmorum, Catechiſmi, & ſacrarum vnctionum adhibendarum gratia, in templum perferunt, & vngendum ſacerdoti leuãt. Annotabit nihilominus Paſtor in baptizatorum libro eorum nomina, qui ad huiuſmodi ſupplementum antea baptizatum obtulerunt, addetq; eo quod antea in neceſſitate adminiſtratum baptiſma fuerat, ſuppletos tãtum fuiſſe Catechiſmos & exorciſmos, & nullum tunc affinitatis ſpiritualis, quod matrimonium dirimat, vinculum eſſe contractum.

Cap. Si vir. De cognat. Spirit. Conc. Magunt ſub Carolo Magno. cap. 55.

27. Moneantur quoque parentes, vt ne in mortis quidẽ articulo proprios filios, ad baptiſmũ teneant, tanquã eorundem ſuſceptores, quia nec tunc Patrino opus eſt, nec aliàs minus quam Patrini, ad præſtanda ea filijs ſuis, quæ

quæ Patrinorum sunt, iure naturæ obligantur.

28. Cum Patrinorum officium sit, adeoq; Deo & Ecclesiæ, solemni cæremonia spondeant, se quos suscipiunt, in filios spirituales perpetuo esse habituros, ac in ijs quæ fidei, religionis atq; conuersationis Christianæ sunt, instructuros ac directuros esse; huius sponsionis ac obligationis suæ, vel ante vel post baptismū admoneantur; vt cognoscant se non solum fideiussores esse, vt in fide Catholica, ac Christiana conuersatione rectè instituantur, sed & in his in quibus bene instituti sunt, custodiantur; ac si, quod absit, à pijs, & religiosis institutis recesserint, nihil prætermittant, quod ad reducendos eos in viam salutis facere posse arbitrabuntur. *D. Dionys. cap. vltimo Eccleſiaſ. hierarch. D. Aug. Sermo. 163. & 215. De tempore & epiſt. 23. ad Bonifaciū Et cap. Vos ante omnia. De conſ. Diſt. 4. Conc. Magunt. ſub Carolo magno. cap. 47.*

Cōc. prou ſub Herm 5 parte 7 ca 4 Adol 3 in his, quæ à paſtoribus & Decanis inquirenda ſunt §. 20 pa. 485. c. & in his quæ à Laicis & plebe debent inquiri §. 33. pag. 502 b. Huius rei illuſtre eſt apud victorem lib. 3 Vandal. perſecutionis. exemplum

29. Nulli ad suscipiendum baptizandum admittantur, de quibus constat, aut verisimile est, hoc Patrini officium præstare non posse, vel quod curis Pastoralibus impediantur, vel vitæ professione, ac Canonicis sanctionibus prohibeātur, vel quod in his quæ Patrinorum sunt, ipsimet Patrinis adhuc egeant, & ab alijs institui, dirigi, aut cogi opus habeant. Cuiusmodi sunt omnes hæretici, schismatici, infideles, ludæi, non baptizati, vsurarij, excommunicati, interdicti, aut aliàs perditæ famæ homines, & qui ad festum Paschæ non sunt confessi, nec Sacrā Communionem receperunt; qui orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum fidei, Decalogi & Ecclesiæ præcepta ignorant; aut ad annos discretionis nondum peruenerunt. Deniq; Pastores & omnes vtriusq; sexus religiosi; arcētur enim hi ab hoc munere, & professione vitæ, & sacrorum Canonum prohibitione; Illis verò, quod publicæ parochiarum curationi præpositi sint, ideoque plus satis ad curandam omnium & singulorum salutem obligati, Ecclesia per Patrinos solatium aliquod esse voluit, & per priuatam singulorū *Cap. in Baptiſmate. De conſecr. Diſt. 4. Cōc. prou. ſub Herm. 5. par. 7. cap. 4. Adolph. 3 in his quæ à Paſtorib. & Decanis inquirenda ſunt §. 20. pag. 485. quæſtion. 2. cap. Placuit 16 Quæſt. 1. cap. Peruenit. 18. quæſ. 2. ca. Nō licet. ca. Monachi. De cōſec Diſt 4. Conc Antiſiodorenſe cap. 15 Cōc. Prou. ſub Adolp. 3. ca. Quāuis in cēſuris & Decretis pa.*

Patrinorum curam atq; affinitatem, eorum curas aconera ſubleuare.

30. Ne de patrinorum fidei integritate, ac doctrina aliquando dubium eſſe poſſit, hæc quæ in fidei profeſſione exigũtur, antequam ad Baptiſma procedatur eis proponantur: & priuſquam ad ſuſcipiendum baptizandum admittantur, interrogentur nũ in his, quæ ab aduerſarijs fidei hac tempeſtate in controuerſiam vocantur, ſic credant & ſentiant, ſicuti à ſancta & Catholica Romana Eccleſia, in ſacra ac Oecumenica Synodo Tridentina, credẽdum eſſe, decretũ ac definitum eſt, atq; nũ in ea fide ſuſceptos ſuos, pro viribus ſuis inſtituere, dirigere ac promouere velint, & quantũ in ſe eſt curare, vt eã vſq; ad extremũ vitę Spiritum conſtantiſſimè teneant, confiteantur, doceant, ac prædicent. Quod ſi facere renuant, eos reijciant, & in eorum locum ſubrogari alios, ab ijs quorum id curæ eſt, curent.

31. Curent præterea Parochi, omni ſtudio ac diligentia, vt quæ in Concilijs Prouincialibus ſub Hermanno Quinto Anno 1536. & ſub Adolp. tertio, Anno 1549 ac in Synodo Dioeceſana Anno 1550. feria quinta poſt Remigij, ſub eodem Adolpho tertio habita, de moderandis atq; abrogandis, in die Baptiſmatis conuiuijs, epulis, ac cõpotationibus ſancita ſunt, in vſum ducãtur: vt ne (ſicut ferè videre eſt) immodicis ſymbolis atq; donarijs, & patrini & baptizatorum parentes conſumantur, multoque ære alieno grauẽtur, breui hora inutiler ac prodigè profundẽdo, quo ſe ac familiam ſuam, in multa tẽpora, honeſtiſſimè alere, ac ſuſtẽtare potuiſſent. Moneantq; Patrinos, vt quæcunq; ſuſceptos ſuos docere, ac monere tenentur, non minus ſancta conuerſatione, ac religioſæ vitę exẽplo, quã verbis oſtendant, & Chriſtianã charitatem, temperantiam, modeſtiam, caſtitatem, omnemque iuſtitiam, ab hoc ipſo die, nouo quodam vigore, in ſua conuerſatione commonſtrent.

31. Pro-

Concil. prouinc ſub Hermanno 5. parte 7. cap. 11.

Concil. prouinc. ſub Adol. 3 cap. Deteſtanda, in cenſuris & Decretis pag. 449. b.

Synod. anni 1550. in mãdato cuius initium eſt Quum inter omnia pag. 517. b.

C. Vos ante omnia de conſecrat. Diſt. 4.

32. Procuratoris nomine, nemo ad Patrinorum officium admittatur, nisi Regum duntaxat ac Principum legati. Nec vnquam aduocandorũ Patrinorum causa, vltra octauum diem Baptismus differatur. Nam vt humanæ necessitudines sese latius funderẽt, & Christiana charitas ad quãplurimos sese extenderet. faciliusq; ac magis sese in actum proferret, non tam ex cognatis & propinquis, quam ex alijs Patrinos assumendos esse Ecclesia voluit, ideoq; illos nouo affinitatis spiritualis vinculo, & baptizato, & illius patri ac matri arctissimè coniũxit. Doceantur autem Regum & Principum legati seipsos & nõ Dominos suos quorum nomine venerant, cognationem spiritualem contraxisse, & sponsionis suæ multo magis se, quam Dominos suos, Deo atq; Ecclesiæ debitores esse.

Vide vitam sanctæ Elisabethæ vxoris Lantgrauij à Conrad. minor. conscrip. Stat. Sifrid. cap. 4 pag. 38. b.

Vide Sotum in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 2

33. Nec in Patrinorum, nec in parentum gratiam patiantur Parochi, gentilium nomina baptizandis imponi; sed vt sacramentis nomina congruant, ac ea quæ huiusmodi sunt, verè, vt stercora ac stultitia reputentur, quæque Christiani sunt hominis, non sacramento tantum, cęremonijs, ritibus, nudaq; professione, sed nomẽclatura adeoq; re ipsa, & vitæ conuersatione exprimantur: illorum nomina baptizandis imponantur, quorum vitæ exemplo, ad quælibet Christiani hominis officia, quasi manu ducantur quorum q; inuocatione, meritis, patrocinijs, atq; intercessionibus in omnibus animæ ac corporis molestijs superandis plurimum adiuuentur.

Chrysost. Homil. 21. in Genesim.

34. Adulto baptizando æquè ac paruulo Patrinus assistat, qui illum vlterius instituendum, prouehendum, ac custodiendum suscipiat: non tamen Patrinus pro eo, sed ipse Catechumenus ad interrogata respondeat, siquidem ætatem habet.

De cõsecrat. Dist. 4. cap. Cum pro paruulis.

35. Vetus ac religiosa illa consuetudo, qua mulieres confirmata à partu valetudine, cum in publicum prodituræ sunt, antequam alio digrediantur, primum ad Ec-

Dist. 5. cap. si mulier. De purificatione mulie. cap. vnico.

cleſiam ſuam Parochialem ſe conferunt, vt Deo pro beneficio puerperij agant gratias, eiusq; benedictionem, Sacerdotum interceſſione conſequantur: præcepto noſtro, ſuaque commẽdatione, atq; exhortatione, in vſum reuocent Parochi, omnesq; concionatores; non quidem muneris aut oblationis gratia; à quo eos animum prorſus liberum, ac alienum gerere volumus; ſed ſolius intuitu pietatis. Mulieres vero quæ ex illicito concubitu pepererunt, tanquam infames ab hac benedictione, repellant, benedictionemq; hanc, ex modo & ritu quem liber ritualis ſuę Diœcẽſis præſcribit, ſoli Paſtores eorũq; Vicarij faciant; Religioſi autem alijq; Sacerdotes, quibus paſtoralis cura non incumbit, ſub pœna ſuſpenſionis eam ne facere præſumant.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

1. *Concil. prouinc. ſub Hermãno 5. parte 7. cap. 8. Adolp. 3. in his quæ ab hæreſeos inſimulatis inquirẽda ſunt. ℣. 17. 18. 19. pag. 503. a b. cap. 1 & 2. De cõſecrat Diſt. 5. Vrbanus PP. in epiſto ad omnes Chriſtianos. Melchiades PP. ad Hiſp Epiſcopos. Concil. Florent.*

QVanquam collatio Sacramenti Confirmationis Epiſcoporum ſit, non prorſus tamen ab eius tractatione abſtinere debent Paſtores alijq; Sacerdotes. Nam cũ ad excitandos, erigendos ac confirmandos Chriſti fidelium animos, à Chriſto Domino fuerit inſtitutum, vt aduerſus omnes carnis, mundi, & Diaboli, impetus, atq; inſidias imperterriti, magnaq; animi conſtantia perſtãt; & fidem ſuam, non ſolum nunquam erubeſcant; ſed in ipſis opprobrijs, irriſionibus, perſecutionibus, ad extremum vitæ Spiritum, alacriter, magnaq; in Deum fiducia, & charitate confiteantur; adeo vt animi virtus, ipſis iniurijs, vexationibus, & perſecutionibus, ſuis efloreſcat, auguſtior atq; robuſtior fiat: opus ſane nunc eſt, vt Epiſcopi, Paſtores, atq; omnes Concionatores, eo maiori diligentia, ſollicitudine, ac zelo in explicatione, ac cõmendatione huius Sacramenti nunc verſentur; quod videant, multos hac tẽpeſtate illud contẽnere, atq; alios, eo quod huius Sacramenti gratia confirmati non ſint

eiuſue

eiusue virtutem in se non exsuscitent, in persecutionibus, sannis, opprobrijs, derisionibus, ac vel per solã quotidianam cum hæreticis vitæ consuetudinem, fidem suam erubescere; eamq; ex leuissima causa, acvbi opus non est, tegere; falsitatem, iniquitate maxima, prę se ferre; atq; dum prudenter agere volunt, & hominibus in omnibus placere; sensim à vera ac Catholica fide deficere; & pro confessione nominis Christi, fideiq; ac religionis Christianæ; portare per simulationem, & consensum characterem bestiæ in dextera manu sua, & in frontibus suis. *Apoc. 14.*

2. Quare licet Sacramentum hoc omnibus ad salutem absolutè necessarium non sit; grauiter tamen illos delinquere omnes intelligant, quicunque solliciti non sunt, eamue curam, quam possunt, non adhibent, ne vel sibi, vel ijs quorum curam gerunt; eum ad annos discretionis peruenerint, non desit: multo autem grauius eos peccare, qui illud per contemptum negligunt. Nec inexcusabiles sunt Episcopi, eorumq; Suffraganei, qui ad cõfirmandos Christianos, Diœcesin suam, vt veros Pastores decet, per interualla non obeunt, & ad confessionem nominis Christi isto periculoso tempore, subditos suos, hisce militiæ Christianæ indumentis, insignijs ac Sacramentis, nec animant, nec armant. Maximè quia (sicut persuasum nobis est) innumera fidelium turba non deesset, quæ illud religiosè maximoque cum desiderio ac fructu susciperet, si esset qui eam, ad desiderandum & suscipiendum dignè hoc Sacramentum, cœlesti doctrina erudiret; quique illud in locis habitationis eorum administraret. Rogamus itaq; in Domino Episcopos ac Suffraganeos omnes, & obtestatione diuini iudicij hortamur, vt ne hac in parte muneri suo desint, & aliquot antè diebus, qua parte Diœcesim suam obituri sunt, singulos Pastores de aduentu suo faciant certiores. Monemus similiter Pastores omnes, vt cum huius rei gratia Episcopum suum eiusue Suffraganeum, ad Parochias suas ventu-

Clemẽs PP. ep. 4. ad Discipulos suos, Iulium & Iulianum.

Conc. Laodicense cap. 48.

venturum intellexerint, de omnibus quæ in Catechismo Concilij Tridentini, & in Concilio Prouinciali sub Hermanno Quinto, parte 7. cap. 8. 9. 10. 11. ac 12. & quæ ab Adolp. 3. in synodo Diœcesana Anno 1550. feria 3. post S. Matthiæ habita, atq; in præparatione ad visitationem; nec nō & illa, quæ cap. 5. statutorum Sifridi de Sacramento Confirmationis exposita, sancita, & recensita sunt; pro credito sibi talento, populum suum instruant, & ad illud magno cum desiderio ac fructu suscipendum, cohortationibus & documentis eum præparent atque disponant.

Pag. 466. a. 475. a

Pag. 38.

3. Inter alia publicè coram omnibus hæc doceant, hortentur, & pro suo munere, ac officio curent:

4. Vt non alij Episcopo confirmandi sistantur, quā qui distinctè sciant orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, ac Symbolum Apostolorum, & qui iam vsū rationis habeant. Quod cum communiter septimo aut octauo ætatis anno accidere solet; ideò hæc ætas præuenienda non est, nisi aut sapientia ætatem superaret, aut imminens persecutio, aliud Episcopi iudicio faciendum suaderet.

Concil. prouinc. sub Hermanno 5. par. 7. ca. 10. Statut. Sifrid. c. 5. pag. 38. c. d.

5. * Vt adulti & qui peccare possunt, ne gratiæ Spiritus Sancti ponant obicem, peccata sua prius cōfiteantur, atque ieiuni accedant, & pijs desiderijs, alijsq; dignis pœnitentię fructibus, ac pietatis operibus, Deo appropinquēt.

* Ibid Conc. Aurelianense ca. 3. cap. Vt ieiuni. De consecr. Dist. 5. Cōcil prouinc. sub Hermā. 5. parte 7. cap. 9.

6. † Vt omnes, ad reuerentiam Sacramenti, lota ac mūda facie, fronteq; crinibus non impedita, sese confirmandos sistant.

† Stat. Sifrid. cap. 5. pag. 38. c. d.

7. Vt Patrinus non assumatur nisi vnus, qui confirmatus sit, ętate si non confirmando maior, saltē nec minor; alius ab eo, nisi cogat necessitas, qui confirmandum ad Baptismum susceperat; & qui aliàs iuxta Decretum nostrum, quod præcedenti, titulo posuimus, ad Baptismum adhiberi posset. Quod, vt & alia omnia, quæ de Patrinis ibidem constituimus, etiam hic locū habere

De cōsecrat. Dist. 4. cap. Non plures ca. in Catechismo, & ca In Baptismate. Supra tit. De bap. §. 29.

bere volumus; ac populo annunciari, inter Patrinum & confirmatum, Confirmatique Patrem & Matrem, eam nasci spiritualem affinitatem, qua; vt de Baptismo dictū est, & contrahendum Matrimonium impediatur, & cōtractum dirimatur. *Conc. Trid. sess. 24. ca. 2. Reform. matrim.*

8. Vt Patrinus eiusdem sexus deligatur, cuius est confirmandus.

9. Vt quilibet confirmandus, eiusue Patrinus vittam lineam adferat, nouam & mundam, trium digitorum latitudinis, ac longitudinis sufficientis; quā Patrinus fronti, & capiti confirmati, ad reuerētiam Chrismatis circūliget, ac confirmatus triduò gestet; quo peracto à Pastore, eiusue Vicario aut Sacellano soluetur, illiusq; extremitatibus, locus consignationis defricabitur, ac comburenda in sacros cineres, ad diem cinerum, loco seruabitur honesto. *Stat. Sifrid. cap. 5.*

10. Vt parentes ac Patrini confirmatis filijs suis sæpè in memoriam reuocent, quando, à quo, & vbi fuerint cōfirmati; cum vt hanc gratiæ perfectionem, quam hoc Sacramento acceperunt, non in otio detineant, & sine vsura, ad maiorem damnationem suam, in terram fodiant; tum, vt ne iterato (quod graue sacrilegium foret) Sacramentum hoc suscipiant. Quod ne facilè contingere queat, & vt affinitate Spirituali constare possit; si aliquādo de ea aliqui dubitarent; Parochi confirmatorum, ac parentum eorum, & Patrinorum nomina, in peculiari libro conscribent, iuxta formam titulo de Pastoribus à nobis præscriptam. *Ibidem.* *Ca. Dictum est & cap. De homine. De consecr. dist. 5. Greg. PP. epist. 31. libr. 2. Greg. PP. 3. epist. 4. Nam de homine etc*

11. Vt confirmati ab Ecclesia non discedant nisi percepta Episcopali benedictione, qua Episcopus peracto Confirmationis ministerio benedicere omnibus consueuit.

12. Si qui adulti vbi de aduentu Episcopi, & Sacramenti Confirmationis administratione publicè constabat, sine legitima causa confirmati non fuerint; quamdiu *Adolp. 3. in Synod. Diœce. anno 1550. feria 3. post*

S. Matthiæ habit. pag. 466. a. & in præparatorijs ad visitationē. pag. 475. a.

Ecclesiæ non satis fecerint, à sacra Communione repellantur.

DE SANCTISSIMO SACRÆ EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

1. Concil. Trident. Sess. 13. ca. 1. 2. 3. 4. 5. &c.

QVoniam Catholicæ Ecclesiæ fides est, statim post cōsecrationem verum Domini nostri Iesu Christi corpus, verumq; eius sanguinem, sub panis & vini speciebus, vna cum ipsius anima & Diuinitate existere; & quoadusq; species perdurāt, sub illis perseuerare; nullus dubitandi locus relinquitur, quin pro more in Catholica Ecclesia sēper recepto, omnis latrię cultus, qui ipso Christo Redemptori nostro, Omnipotenti, viuo ac vero Deo debetur; huic sanctissimo Sacramento, omni tempore ac loco ab omnibus debeatur. Verùm cum partim per colluuiem diuersissimarū hæresium (quæ omnes in hoc potissimum à præcursoribus Antechristi excitatę videntur, vt Christum Dominum in hoc Sacramento quàm plurimis in ruinam & offendiculum ponāt, eiusque verbis, potentiæ, ac maiestati, quantum possunt diabolica malitia detrahant) multi ab hac fide defecerint, & seducti sint, pluresq; in ea vacillent: partim per socordiam, ac summam negligentiam, plurimi fidem suam non exerceant; nec moribus alijsq; significationibus cōmonstrent; & perinde ac si nullam fidem haberent, sacrā Eucharistiam, in omni actione ac conuersatione sua, ceu rem prophanam habeant: diligentissimè à Pastoribus, alijsq; diuini verbi Prędicatoribus, ea omnia tractāda, explicanda, ac frequenter inculcanda sunt, quæ ad exuscitandam hanc fidem, in Catechismo Romano tractanda & explicanda proponuntur, currentq; vt omnes & ex diuinis instructionibus, & ex probatis historijs intelligant, cum ob aliàs, tum vel ob hanc maximè causam,

1. Regum. 4. 5. 6 & 7. 2. Regum. 6. 1 Corr. 11. Vide Molanum lib. 2.

sam, Deum grauissimè offendi, & varias calamitates in populum immittere, quod non omni qua par est, deuotione, honore, reuerentia, atque adoratione, in hoc Sacramento colatur, atque adoretur; & quod multi fidem, quā de hoc Sacramento habuerunt, hęreticè reiecerint, multiq; eandem non probent habere in notitia; qui nec Deū ob hoc glorificāt, nec gratias agunt, quemadmodū facerent, si in eis fides viueret, & quod sensus non capiunt, vigore suo dijudicando præstaret.

De Canonicis cap 13. & collat. Tilmā Bredēbachij. lib. 1. cap. 8. 9. 12. etc.

2. Ea porrò quæ in generalibus & Prouincialibus Cōcilijs, ac Synodalibus constitutionibus, ad cultum, veneration em, ac maiestatem Sanctissimi huius Sacramenti sancita sunt, Ecclesiarum Prælati, alijq; Cleri & populi Rectores, memores officij atq; vocationis suæ, in vsum ducant; & tanquam de his omnibus districtam Deo reddituri rationem; nihil muneris in illis, & his præcipuè quæ sequuntur, exequendis, intermittant.

Ca. sane. De celebratione missarum.

DE CVSTODIA SACROSANCTAE *Eucharistiæ.*

3. Sacrosancta Eucharistia, nec adorationis causa, nec in gratiam infirmorum seruetur alibi quam loco sacro; in Ecclesijs nimirum Parochialibus, vel alijs quibus animarum cura annexa est.

4. Si quando tempore persecutionis, vbi omnia sacra loca, aut prophanata fuerint, aut hostium inuasionibus exposita, in vsum ęgrotorum, in priuatis domibus Sancta Eucharistia asseruanda erit: id fiat consilio & cōsensu Ordinarij. Nunquam tamen talis ac tantus thesaurus Fœminæ, licet deuotissimæ & pijssimę aut hominibus sæcularibus credatur.

Cap. Peruenit. De conſ. Diſt. 2.

5. Tabernaculum siue sacrarium, in quo Sacramentum corporis Christi, dictis de causis in Ecclesijs seruatur, sit firmum, splendidum; ac pro cuiusque Ecclesiæ facultatibus, intrinsecus & extrinsecus, ita decēter & mag-

Cap Sanè. De celebrat. Missarum. Conc. prouinc. sub Herman

no 5 parte 7. ca. 16. Adol. 3. in his quæ à Decanis & Pastoribus inquirenda sunt §. 31. pag. 485. 1

nificè exornatum; vt & signum sit præclaræ fidei, deuotionis, ac pietatis illorum, qui illud curant, & earundem virtutum incitamẽtum, his qui adorationis causa ad illud conueniunt. Sit quoq; loco eminenti, conspicuo, omniumq; oculis exposito, & ad adorandum sine vllo impedimento, congruẽtissimo: qui nec humiditate aliqua sacris hostijs incommodet; nec, quod istac crebrò transeundi necessitas sit, per frequentem ac indecorum transitũ; aut diuinum honorem imminuat, aut piam adorantium animi intentionem relaxet.

6. Accessus ad illud facilis sit, vt Sacerdos & sine labore, & sine irreuerentia, ostiolum eius aperire & claudere; tabernaculum minus, aut sacros calices, cum sacris hostijs inde promere; & in illud reponere, sine vlla molestia aut difficultate possit.

Statut. Hermanni 4. §. 23. pag. 274.

7. Claues sancti huius tabernaculi non solus custos habeat, quod sub excommunicationis pœna ab Herm. quarto, vetitum fuit: sed in Ecclesijs parochialibus solus Pastor, eiusq; Vicarij: in Ecclesijs autem Cathedralibus & Collegiatis (nisi statuta, vel vetusta consuetudo aliũ

Statut. Sifrid. 7. pa. 41. b.

Sacerdotem nominauerit) ipse prælatus & Sacerdos ille, cuius est per hebdomadam Missam conuentualem, & per horas Canonicas capitula, & collectas cantare: diligentissimeq; hi curent, vt illud semper clausum sit, nec vlla vnquam Sacramento iniuria fiat.

8. Si quis Eucharistiæ custos eam incautè reliquerit,

Cap. Qui bene De cons. Dist. 2. et ca. 1. De custodia Eucharistiæ.

tribus mensibus iuxta sacrorum Canonum sanctiones, ab officio suspendatur: & si per eius incuriam aut negligentiam, grauior Sacramento facta fuerit iniuria: pro modo culpæ grauiori, etiam subiaceat pœnæ.

Cap. Sane. De celebr. Missarum. Adol. 3 in his quæ à Decanis & Pastoribus

9. In quacunque Ecclesia, tam regularium quam secularium, siue in pagis, siue in ciuitatibus, sacra Eucharistia seruatur; nocte ac die, perpetuo ante eam lumen ardeat; in signum atque incitamentum fidei atque deuotionis, quæ nunquam extinguantur, sed quotidie maiora in-

ra intrementa accipiant.

10. *Omnia sacra vasa, quæ vel ad ostensionem, deportationem, vel ad custodiam S. Eucharistiæ seruiunt; vt sunt tabernacula, ostensoria, monstrantiæ, arculę, calices, & pixides; si argentea, aurea, vel inaurata sint; quotannis minimũ semel, ad festum nimirũ Paschæ intrinsecus & extrinsecus mundentur, & splendori suo restituãtur: si propter Ecclesiæ paupertatẽ, vel direptionũ pericula fuerint stannea, singulis mensibus diligentissimè defricentur. Aenea autẽ, vitrea, lignea, & cuiuscunq; alterius materiæ, nullum ex sacrorum Canonum definitione, in hisce sacris vsibus locum habeant.

interrogan-da sunt. §. 30. pag. 486 a. *Vide supra tit. De custodibus artic. Ampullas & sequent. pag. 356. Cap Vasa ca. Vt calix. De consecra. Dist. 1.*

11. Pixis aut calix, in quo corpus Dominicum asseruatur, nitidissimo panno lineo aut corporali, ab Episcopo vel alio, qui hanc benedicendi potestatem habet, benedicto intrinsecus vestiatur; vt fragmẽta, quæ à sacris hostijs soluuntur, potius huic panno adhæreant, quam sacris hostijs, vnde facilè in administratione decidere possent. Nunquam tamen corpus Domini in solo linteo extra clausam pixidem, aut transportetur aut custodiatur; & pixidis aut calicis cooperculum fibulis, aut quouis alio modo pixidi, aut calici ita inhæreat, vt etiamsi, quod absit, calix aut pixis aliquando ex manu excideret, casu tamen non aperiretur.

Statut. Sifri. cap 7. pag. 40. d. 41. a.

12. Sacro calici, pixidi, ciborio, seu cuicunq; alij vasculo, in quo sacrosancta Eucharistia conseruatur; tam in tabernaculo seu sacrario cui includitur, quam dum ad excitandam magis populi deuotionem, super altare exponitur, semper consecratum ac mundum corporale sit substratum.

13. Omni die Dominico, & frequentius si opus fuerit, in Ecclesijs parochialibus, alijsq; quibus animarum cura annexa est, tot hostiæ consecrentur, quot Pastor, aut alius Ecclesiæ rector, animarum curam habens, pro ægrotantium numero, per septimanam sufficere posse iudica-

Stat. Sifrid. ca.7.pa.41.b. Conc. prou. sub Herm 5. par. 7. ca 16.

bit;easq; quę post septimanam superfuerint,aut communicātibus distribui eodem die curet,aut in sacrificio missæ,à Sacerdote sacrificante, vnà cum minutissimis fragmētorum particulis, quæ linteo corporalis in pixide aut calice in hærebant;ante ablutionem seu purificationem sumi:diligentissimeq; caueat, vt ne aut recens consecratis hostijs,aliquæ octo, vel pluribus diebus citius consecratæ misceantur; aut in vasculum aut pixidem mittantur, non mundatam à fragmentorum veterum hostiarum particulis.

*Huc spectat ca.2.3.5.7. et 8.sess 13.Cōc. Trid.& cap. 14.18.19.20. 21.et 22.par 7.Cōc.prou. sub Herm.5. et quæ habet Catech. Romanus,De Eucharistia, versu.Et ne forte aliquis & D. Chrisost.Homil 60.ad pop.Antioch. & D.Grego. Hom 36.in Euang.quæ legūtur infra octauam Corporis Christi in vsu Rom. Ephes.4.

DE SACRA COMMVNIONE ET SACRAE Eucharistiæ administratione.

14. *Omnis Parochus & diuini verbi Prędicator,omni studio & diligētia adeoq; omnibus modis, omnes & singulos, qui Christiano nomine censentur, excitent; vt magno cum desiderio, animiq́ue deuotione, ac omnimoda præparatione, viuificum ac salutare corpus Domini frequenter percipiant: eosq́ue instruant & moneāt, vt post eius perceptionem ceu noui homines, ac nouo Sacramenti vigore confortati,ita vitam in omni sermone,actione & conuersatione sua instituant; vt par est eos facere,qui Spiritum Christi acceperunt,eiusq; carne & sanguine idcircò pasti sunt, vt illi interioris & exterioris hominis conformitate,simillimi fiant.

†InSta.Ado. pa 462 b. Stat. Sifr.ca. 7.pa.41.c. Cap. Religiosi.De priu. in Clem.cap. 20 Cōc prou. sub Henrico habiti Anno 1310.pa.82.c.

15.† Ne facilè ad S.Eucharistiā indignus aliquis accedat, obseruari volumus Constitutionem Synodi Diœcesanę Anno 1549.2.Oct.sub Adol.3.habitę,quavetitū est,ne Monachi,aut alius quisq̄,(nisi à Sede Apost.priuilegiatus existat) alienū parochianū, sine sui Parochi cōsensu sciēter cōmunicent,sub pœnis Canonū ipso facto incurrendis.

*Cōc.pro.sub Herm 5. par.

16. *Parochus aūt neminē ad sacra hęc mysteria admittat; cuius conscientia aut sibi aut illi, cui hoc iudicium seu examen, sine periculo salutis suæ credere audet,per confessionem explorata aut probata non sit. Et ne quis mentiendo fraudem facere possit:hi qui se alijs confessos esse

esse dicunt, si noti non sint, manu Confessarij sui, de facta confessione & obtenta absolutione Parocho suo idem faciant, ac nihilominus Parochus eos examinet in his, de quibus caput vigesimum partis septimæ Concilij Prouincialis sub Hermanno Quinto habiti, eos examinandos esse censuit. 7.c 19.et 20. Conc. prou. sub Adol. 3. in cẽsuris & Decr.ca. Per latũ est in Concilii multos pa. 455.a.

17. Examinet in primis eos:

1 An firmiter credant, firmaque fide dijudicent atq; discernant, sub quauis specie panis & vini; & sub quauis speciei etiã minima parte, esse totũ & integrum Christum Deum viuum & verum; nihilq; panis & vini post consecrationem esse reliquum, sed sola accidentia? Stat. Sisr. ca. 7. pa. 41. b. Conci. Trid. sess. 13 ca. 3.

2 An cum proximis pacem habeant, eosque ex animo diligant? Matth. 5.

3 An sciant eos indignè, & ideò in mortem & condemnationem suam, viuificam ac salutarem Eucharistiam sumere (quantumcunque etiam sibi contriti videantur) qui cum peccati mortalis conscientia, habita confessoris copia, sine Sacramentali confessione communicant? Conci. Trid. ibi. 30. & ca. non. 11.

4 An ad gustandum spirituales hasce delitias, famem, ac desiderium aliquod in se sentiant? Chrisost. Homil 83 in Matth. et 60 ad pop. Antiochenum.

18. Vbi in hisce satisfecerint, aut si in aliquibus instructione egeant, eos in illis vel ex tempore, vel per certa tẽporis interualla instruxerit; docebit præterea eos, si iudicauerit necessarium; qua intentione quoue fine huc accedendum sit, & cętera quæ ad animi & corporis puritatem, humilitatem atque reuerentiam, requiruntur.

19. Eos qui matrimonij vinculis ligati sunt, hortabitur; vt ad reuerentiam Sacramenti, & quò orationibus melius vacare possint; ac facilius quod postulant impetrare, à commixtione carnali, aliquot diebus ante S. Communionem abstineant.

Exodi 19 1 Regum 21. Ioël. 2. 1. Corinth. 7. cap. Omnis homo. De consecrat. Dist. 2 Hieron. in Apolog. ad Pammach. pro libris aduersus Iouinianum. Vide Magist. sentent. lib. 4. Distinct. 31. §. H. 1. Dist. 32. §. c. d.

20. Omnes

20. Omnes moneat:

Vt ardentibus orationibus, alijſq; pietatis operibus pro facultatibus & viribus ſuis ad Deum conuertantur, eiq́ue propinquent.

21. Vt non ſolum confeſſione Sacramentali Deo reconciliati; ſed & ex præcepto Eccleſiæ ieiuni accedant; ita vt à media nocte antecedentis diei, vſq; ad illud tempus, quo S. Euchariſtiam accepturi ſunt; nihil omninò aut comederint, aut biberint. Excipitur ab hac lege ægrotantium neceſſitas, ſi timeretur, ne per dilationem ſine Sacra Communione ex hac vita diſcederent.

Conc. Trid. ſeſſ. 13. ca. 7. & can. 11. Cap. Liquido. De conſ. Diſt. 2. D. Auguſti. ep. 118. ca. 6. Cõcil. Toletan. 7. can. 1. Cõcil. Conſtantienſe ſeſſ. 13. ca. Presbyter. De conſ. Diſt. 2.

22. Vt pridiè antè Sacram Communionem antequam cubitum vadant, os diligenter abluant; idemq́ue ipſo die priuſquam ad templum vadant, leuiter faciant; cauendo ne aquam ablutionis tranſglutiant. Si tamen caſu inter colluendum aliquid traiectum fuerit, niſi magna fuerit quantitas, communionem non impediet.

23. Vt veſtitus honeſtus ſit, ac modeſtus, nihil irreuerentiæ, ſuperbiæ, faſtus ac vanitatis præ ſe ferens.

24. Vt omnia arma offenſiua, & ſi commodè poſſint, etiam defenſiua deponant.

25. Vt non ſtantes vagis oculis, ac impeditis manibus; ſed vtroq; genu in terram flexo, oculis ac mẽte in ſacram hoſtiam intenta, iunctiſq́ue ante pectus manibus, ſuppliciter ſeſe ad locum Communionis, & reuerẽter componant.

26. Vt huc accedant, & hinc recedant non feſtini, ac alios qui præceſſerant præcedendo offendentes; aut dum præcedere eos conantur, prementes; ſed omni cum modeſtia, ſedatione, ac grauitate: vt omnibus modis animus ſibi imperet, nihilq́ue faciat contra rectum ordinem, aut charitatem, vbi ordinis & charitatis, ſummam decet eſſe perfectionem.

27. Vt Sacerdote porrigente Sacram Euchariſtiam, caput ad eam commodè ſuſcipiendam nonnihil attol-

lant;

lant;os minimum ad latitudinem pollicis honestè aperiant, ac linguam vsque ad inferius labium vltra dentes exerant, vt Sacra hostia sine barbæ & dentium offensione, super eam à Sacerdote imponi possit.

28. Vt in ipso actu susceptionis sanctissimi Sacramenti, nec in his quæ dicta sunt, nec in aliqua alia corporis sui parte se moueant; sed capite, lingua, ac toto reliquo corpore quieti ac immobiles, manū cœlestia dona porrigentis expectent.

29. Vt susceptа sacra Eucharistia, vbi Sacerdos manū suam retraxerit, caput suauiter ac sedatè inclinent, oculos humiliter demittant; cum summa reuerentia, feruentissimo desiderio, cupidissimoq; animo, panem cœlestē, ita vt palatum (quantum fieri potest) non tangat, deglutiant, seque Christo Domino tota voluntate vniant ac conforment.

30. Vt post deglutitam ac transmissam hostiam, sese vino purificent, & reliquias, si forte aliquæ in ore hæserint, vna cum ablutione sumant. Si quis autem acceptā à Sacerdote hostiam studio non transmiserit, sed Diabolico consilio, immaniq; scelere seruauerit, velut Sacrilegus puniatur. *Conc. Tolet. 1. cap. 14.*

31. Vt post purificationem, ad horam aut dimidiam à spuendo caueant, aut si catharri, aut alterius infirmitatis necessitate exspuere citius cogantur; non quidem in terram exspuant vbi conculcetur; sed in parietem, angulum, aut sudariolum, vbi sine aliqua irreuerentia exsiccetur.

32. Vt nisi ægritudo aut corporis infirmitas, vel alia grauissima necessitas impediat, quæ ab audienda Missa excuset; antequam communicent, integrum Missæ Sacrificium audiant; vel ei saltem sacrificio, sub quo administratio fiet, ab initio intersint; & post communionem non minori studio ac sollicitudine, in beneficij accepti meditatione, gratiarum actione, sanctis orationibus, ac *Ca. omnes fideles De conse. Dist. 1.*

pijs desiderijs in templo perseuerent, quoad peractum fuerit diuinum officium, vltimamq; benedictionem, ac dimissionem à Sacerdote acceperint; quàm antè sumptionem faciebant. Imò verò tantò magis ac perfectius hoc tũc faciant, quod eos qui præsentia ac virtute Christi facti sunt robustiores, perfectiora & robustiora opera magis decent.

33 Ne verò Pastores alijque Sacerdotes cogantur aliquando indignos ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum admittere, vel illos cum indignatione & turbatione aliqua inde repellere; sed debita constantia suũ exequãtur officiũ: approbantes ea quæ hac de re in Cathechismo Treuirẽsi proposita reperimus: hæc quę sequuntur decernimus hominem Christianum absolutione Sacramentali planè indignum facere, & à Sacramento corporis Christi apertè repellere.

1. *Scienter in confessione peccatum aliquod mortale vel circumstantiam necessariò explicandam, aut omninò reticuisse, aut tam obscurè, & cum rei gestæ extenuatione, enarrasse; vt malitiam sacerdos deprehendere nequeat.*

2. *Non quidem de industria; sed supina quadam negligentia, leuiter, & superficie tenus, conscientiæ suæ latebras discussisse, ideoq; nec integrè confessum esse.*
De peccatis admissis non doluisse, ac in posterum, cauere velle, firmiter secum non statuisse.

3. *Ignorare Symbolum Apostolorũ, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Decalogum, & Ecclesiæ præcepta; nec ad discendum paratum se offerre.*

4. *Habere, absq; legitima facultate, libros hæreticos. Qui enim hoc præsumũt excõmunicati sunt, & à Deo eiusq; Ecclesia maledicti.*

5. *Iniustè parta, vel inuenta, domino suo nõ restituere; debita cõtra eius cui debentur voluntatẽ, cũ adest facultas, non soluere, famulis ac operarijs, aut tardè aut nullam, aut non integram mercedem pendere; Toto anno vulgaribus quidem, sed grauibus pecca-*

peccatis consuescere; & circa Pascha consuetudine quadam, & ne videri possint nō Christiani esse, potius quā Dei amore, & odio iniquitatis, ac vitæ melioris desiderio confiteri, atq; in eodem luto hærere per omnem ætatem, nulla vitæ emendatione vnquā secuta, nec conatu vllo proficiendi adhibito.

In huiusmodi primi sunt, quibus lubet in dies singulos, aut certè sæpissimè sacrilego ore Christi vulnera, sacramenta, sanctos & Deum ipsum blasphemijs incessere. 1.

Deindè qui ad quodlibet verbum per Deum, per animam, aut quouis alio iurandi modo iurare non perhorrescunt. 2.

Præterea quorum cor, velut abominandum sterquilinium, cōtinuis luxuriæ cogitationibus fœdatur: Quibus annumerandi sunt, qui scurrilibus verbis, etiam innocuæ ætatis pueros nequaquam reueriti, se mutuò absq; fine, quasi tempus fallentes oblectant, quiq; aut secum, aut cum alijs impudicè agendo modum nullum faciunt. 3.

Præterea qui ebrietatibus, comessationibus, ludis & otio, non absq; vxoris vel liberorum mœrore & detrimento, tēpus omne transigunt: & si quæ lucrātur aut per intemperantiam fœdè absumunt aut stultè vel nequiter prodigunt. 4.

Postremò qui festorum, ieiuniorum, debitæ decimarū oblationis, etsi quæ alia Ecclesiæ præcepta sunt, rationē non habēt, nec vt suæ curæ cōmissi habeāt, curāt. 5.

Hos & similes non tam peccata, quàm peccatorum status, communione omninò indignos reddit, in quibus cōcubinatus vel principē locū obtinet. Huiusmodi infelix hominū genus simul atq; confessi fuerint absoluere; præsertim cum si aliàs confiterentur, seriò admoniti non adlaborarunt, vt pro missa emendatio vitæ consequeretur; est animas illorum recta ad perpetuos inferorum cruciatus deducere, aut ad minimum præsentissimo periculo obijcere.

Hi verò qui nec iniuria nec inueterata malitia, sed humana fragilitate, (sæpius licet & grauiter) interdum in eundem scopulum impingunt; nō solum patienter, & cum doloris è lapsu fraterno orti significatione ferendi, sed et dirigendi, atq; in spem erigendi, viaq; eis commonstranda, qua salua naue & mercibus euadant: ostendenda arma, atq; adeò manibus eorum porrigenda quibus infestis, piratarum machinationibus obuient eosq; deuincant; in eis frequēs Sacramentorum vsus, vel præcipuum locum obtinet.

34. Ne igitur iustę querelę causā prętexere quis possit, aut alteri quā sibi ipsi succēsere; volumus hęc, quò neminē lateāt, in tabula impressa in singulis parochialib⁹ Ecclesijs

loco conspicuo latinè & Germanicè omnibus proponi; & quotannis imminẽtibus Natiuitatis & Resurrectionis Dominicæ festis diebus, aut frequentius, de suggestu populo publicari.

35. In his omnibus maximè erudiantur pueri, alijq; cum primum communicaturi sunt, & illi, qui licet frequenter communicauerint, nondum tamen modum rectè communicandi tenent; vel quod in fide & cognitione Sacramentorum non sint satis instructi, vel quia moribus, ac exterioris hominis constitutione, piè ac reuerenter non sint compositi. Et quandocunq; instabit dies, quãdo frequens esse solet, aut esse deberet communicantium numerus, præter hæc quæ præscripsimus, aliqua ex Catechismo Romano, & à Cõcionatoribus omnibus, tempore Concionis, & à Pastoribus tempore sacræ administrationis exponantur, quæ ad confirmandã fidem, ad excitandam actualem deuotionem, desiderium & reuerentiam, quæq; ad vberrimorum fructuum, seu ad vtilitatis & necessitatis sanctæ Cõmunionis cognitionem pro tempore, loco, & ratione auditorij dicẽda magis in Domino videbuntur.

Cap. Duo. 23 quæst. 4.

36. In pueris admittendis vt prępropera festinatio vituperanda est, si ad sacram Dominici corporis mensam accedere permittantur, antequam iudicium discretionis, & gustum huius admirabilis Sacramẽti acceperint, panemque hunc cœlestem, à communi pane discernere possint, vel priusquam in alijs, quæ ad dignam præparationem necessaria sunt, ritè fuerint instructi: ita vehementer reprehendimus, parentum, curatorum, herorũ, Præceptorum, Pastorum, ac Confessariorũ negligentiã, qui liberos, pupillos, minores, famulos, ancillas, discipulos, ac filios spirituales, aliosq; quorum curam, ac inspectionem gerunt, cum ad annos discretionis peruenerint, (quod alijs octauo, alijs 12. 13. aut 14. anno accidere solet) in his quæ ad dignam præparationem pertinent, non proue-

prouehunt,& ad participationem cœlestium mysteriorum, eorumq; admirabiles fructus percipiendos non perducunt. Quod ne post hac fiat, Pastores omni studio ac vigilantia caueant.

37. Quoniam,ex præcepto sanctæ Matris Ecclesiæ(quod titulo de Pastoribus quotanuis sub festum Paschæ aliquoties publicari iussimus,& aliàs quandocunque dabitur occasio publicandum censemus) omnes & singuli vtriusq; sexus Christi fideles,cum ad annos discretionis peruenerint, sub pœna excommunicationis saltem semel confiteri, & ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum reuerenter suscipere tenentur : vt certo cognosci possit, quinam huius Decreti authoritati non obtemperauerint;à Dominica palmarum vsq; ad Dominicã in albis, nullus ad sacram Communionem admittatur, quin sacræ Communionis tempore, Custodi, Diacono,aut Sacerdoti,(quem in singulis Ecclesijs Parochialibus,commodo loco constitui ad hoc volumus) testimonium,manu Confessarij sui cõsignatum exhibuerit, quo se certo die confessum & absolutum esse, docere possit.

Tit. De munere prædicationis artic. Ac initio *pag.* 288. *Concil. Lateranen. sub Innocent.* 3. *cap.* 21. *cap.* Omnes vtriusque sexus. *De pœnit. & remiss. Concil. Trid. sess.* 13. *canon* 9. *& sess.* 14. *can.* 8. *Adol. p.* 3. *in his quæ à Decanis & Pastorib. inquirenda sunt.* § 34 *pag.* 486. *b.*

38. Quod vt sine molestia fiat,singuli Cõfessarij à Dominica Passionis,vsque ad Dominicam in albis, antequam ad audiendas Confessiones accedant,schedulas testimonijs sui in promptu & expeditas habeant, pro numero eorum, quos verisimiliter audituri & absoluturi sunt,ita conscriptas, vt qui illas acceperint, nomina sua,& locũ habitationis suę eis inserere, vel inseri ab alijs curare possint,in hanc formam.

Anno 1594. 7. Aprilis, Ego N. Sacellanus N. (vel si alium titulum habeat N) in templo sancti N. audiui & sacramentaliter absolui..... hîc adijciat, aut adijci curet Confessus nomen suum:Det autem singulis singulas schedulas,nõ autem vnam pluribus.

39. Mandamus porrò & in virtute sanctæ obedientiæ,

omnibus & singulis Confessarijs, cuiuscunque fuerint ordinis aut status, præcipimus, vt omniū & singulorum, quibus huiusmodi testimonium dederunt, nomina, cognomina, & habitationis locum in codicillis annotēt, caque postea ex illis in schedulis accurratè exscribant, ac diem & locum factæ confessionis, & absolutionis notent, schedulasq; hasce feria 2. post Dominicā in albis singulis Pastoribus, quorum subditi fuerunt tradant, vt fraudes, quæ tentari possunt, facilius manifestentur.

40. Curent etiam Parochi vt sacra Eucharistia tempore Paschæ, in suis Ecclesijs, vno eodemque tempore ad diuersa altaria nō distribuatur; vel si multitudo & populi frequētia cogat, vt duo aut plures Sacerdotes, singuli ad singula altaria, hęc sacra dona distribuant; ijsdē certi inspectores adsint, qui populū in ordinem componāt, regant, dirigant, eumq; norint, & obseruare possint, ac Pastori postmodum indicare, in quos cadere posset suspicio, quod aut non sint confessi, aut quod nihilominus in peccato mortali hæreant, & in re alicuius momenti, Deo, Ecclesiæ, vel proximo, non satisfecerint.

41. Quod si Pastor re diligenter explorata (citra cognitionem in sacra Confessione percepta) quenquam inuenerit in statu vel affectu peccati mortalis communicasse; illum ad se vocet; & si res occulta sit, priuatum seuerè corripiat, & ad contritionem veramq; pœnitētiam perducat; sin autem manifesta, ipse quidem nihil pastoralis officij intermittat, quo peccatoris animum saluet, & nihilominus ad Ordinarium vel Officialem referat, vt ad emendationem suam, & ad exemplum ac terrorem aliorum puniatur.

42. Non minorem curam habeant de his qui frequenter ad mensam Domini accedunt, & non solum diebus Dominicis alijsque festis, sed penè quotidiè, aut alternis diebus communicant, Quod vt non reprehendimus, sed vel maximè fieri volumus ab his, qui sic viuunt, vt quotidiè

tidiè corpus Domini accipere mereantur: ita instigãdos aut vrgẽdos quosdã esse, vt id faciant, nõ approbamus. Putamus enim satis esse cuiuis, non Sacerdoti, etiã insignĩter pio & religioso, semel atq; iterum in septimana hoc cœlesti pane pasci ac recreari: & hos maximeque eos qui crebrius hac sacra mensa frui cupiunt, diu ac diligenter probandos, & in omnem eorum vitam atq; conuersationem inquirendum, num ea talis sit, quæ in omni externa actione alios ædificet, nihilque quod in communicante reprehensibile sit, quotidiè aut crebrò manifestet, & præcipuè an nihil notabilis irreuerentiæ, statim à communione præ se ferant, vnde colligi possit, quod crebrò cõmunicando, nec Christo vita & moribus magis conformẽtur; nec ipsi mũdo nec mundus ipsis magis displiceat; aut quod virtutum nullã accipiant accessionẽ, nullũq; diuini feruoris incremẽtum; sed quod huc ferantur, vel agẽdi cœca quadam consuetudine; vel vana aut superba magnæ existimationis ambitione; vt præ alijs aliquid esse videantur; vel vt hoc pulcherrimo pallio, aliquam turpitudinem suam contegant; vel deniq; aliquo alio reprehensibili motu.

43. Nullus Laicus, præcipuè si indoctus, minimeque Fœmina, ad sacram Communionem accedere permittatur, quin eo ipso die, aut pridiè, vel ad summum tertio antè die, si constantis animi fuerit, se per Sacramentum Confessionis Deo reconciliauerit. *Orig. Homil. 2. in Psal. 88.*

44. Pluries eodem die communicare nemini concedatur, neq; enim Laico plus quam Sacerdoti hîc est concedendum; quem sacri Canones felicem prædicant, si vnam Missam dignè celebrare possit. *Ca. Sufficit. De Cõsecrat. Distinct. Ca. Consuluisti. De celebr. missarũ.*

45. Qui vixerunt in diuturna peccandi consuetudine, vel aliquot peccatum recens cõmiserunt, licet cõtriti & confessi sint; à sacra tamen Cõmunione, pro prudentia & discretione Confessarij aliquãdiu abstineant, tum ad reuerentiam Sacramenti, tum vt constantia eorum, veraq; con-

conuersio hac ratione probetur, & communicandi donum magis æstimetur; vtq; à vinculis, nube, ac hebetudine peccati, magis liberati, actuali deuotione, menteq; ac corde puriore, Deo se magis præsentes exhibeāt, eiusque gratiæ influxus, omnibus animæ viribus vberius percipiant.

Catechismus Roman.

46. Furiosis & amentibus cum furiunt, aut à pietatis sensu alieni sunt, hoc Sacramentum minimè detur. Cū autem lucida habentes interualla, suique facti compotes, ex deuotione & pio animi affectu, illud sumere desiderauerint, quin & in fine vitæ insanientibus, si antequā in insaniam inciderent, præ se tulerunt piam & religiosam animi voluntatem (ex Concilij Carthaginiensis Decreto) Eucharistiam administrare licebit, modo periculum vomitionis, vel alterius indignitatis aut incōmodi, nullum timendum sit.

Concil. Carthagin 4. ca. 76. Cap. Si quis in infirmit 26. quæst. 6.

47. Energumenis, si pia animi præparatione se dignos fecerint, nequaquam sacra Eucharistia negetur; cum, vt eius virtute muniātur ab incursu Dæmonum, quo infestantur, tum vt purgentur.

Conc. Arausic. 1. cap. 14.

48. Nec damnatis ad mortem sacra Eucharistia denegāda est: ne tamen aliquid irreuerentiæ Sacramento videatur irrogari, detur ante supplicij diem.

Cap. Quesitū. 13 quæst. 2. ca. Fures. De furtis.

49. *Sacerdos administraturus sanctissimum hoc Sacramentum stola collum circumdet; ac sumpturus etiā vtrumq; humerum. Et cum venerit ad tabernaculum vel altare, vbi pixis aut calix, cum sacris hostijs, quas administraturus est, seruatur, aut expositus est; ad pedes tabernaculi aut altaris sese in genua proijciat, & Deū supplicitèr adoret. Custos verò seu Clericus qui aderit, det tintinnabulo signum, quo populus admoneatur sese similiter in genua prosternere, & ad suscipiēdam benedictionē se præparare. Hoc facto sacerdos surgat, & ambab' manibus ex altari, aut tabernaculo sacrū caliçē reuerēter acci-

*Concilium Vvormat. can 80. *Ca. Ecclesiastica. Dist. 23.*

accipiat, & stans antè medium altaris, vbi Sacramentum hoc dispensaturus est, versa facie ad populum, per modum crucis, cum sacro calice aut pixide, in qua consecratæ particulæ sunt, populum consignet & dicat: *Benedictio Dei Patris Omnipotentis & Filij & Spiritus sancti, descendat super vos & maneat semper.* Si tabernaculum ex quo accipiendus sit calix, aut pixis, ab altari, ex quo Sacramenti huius futura est dispensatio, alia in templi parte situm fuerit, vt nonnihil à tabernaculo digrediendum foret: & antè tabernaculum, populus qui aderit, eo quo dictum est modo benedicatur, & antè altare vbi Sacramentum hoc dispensandum est. Data benedictione calicem supra altare reponat, rursum genua flectat, Deumq; adoret. Tum surgens & stans ante venerabile Sacramentum, iunctis ante pectus manibus, recitante Custode aut Clerico, audiet Confessionem generalem; qua finita, ad cornu Euangelij se conuertat ad populum, cumque generali absolutione absoluat, dicens: *Misereatur vestri Omnipotens &c. Indulgentiam, &c.* Hoc dicto ante venerabile Sacramentum sese iterum in genua demittat, illudque deuotissima corporis & animæ adoratione honoret. Mox calicem aut pixidem, in qua sunt panes benedictionis, omni cum veneratione, ac pietate aperiens, & sinistra calicem, dextera verò benedictum, ac cõsecratum vnum panem supra calicem attollens, ita vt minor digitus extremitate sua, supra os calicis quiescere aut incũbere videatur, clara ac actioni præsenti congrua voce dicat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & consequenter addat, ac tertiò repetat, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.* Deinde incipiendo dispensationem à cornu epistolæ; dum vnicuique Sacramentum porrigit, faciat cum ipso Sacramento super calicem, ante faciem suscipientis signum crucis, & dicat: *Corpus Domini nostri Iesu Christi, custodiat animam tuam in vitam æternam Amen.*

Cum verò venerabile Sacramentum ori suscipientis impositum fuerit, suscipientem manu sua, qua Sacramentum porrexerat, rursum signo crucis consignet, dicens: *Pax tecum.* Quod dum facit, pollicem indici coniunctum teneat; & reliquo administrationis tempore, dum ab vno ad alium procedit, eosdem digitos coniunctos supra calicem sustineat; ne vel minima particula, si quæ fortè ex contactu sacræ hostiæ digitis adhæreret, casu ex eis decidat & pereat. Cui periculo vt, quoad humana prouidentia fieri poterit, occuratur; panes consecrandi sigillatim à Sacerdote mũdentur, & minimæ particulæ, quæ solutè ac infirmiter adhærent abstergãtur. & Sacerdos Sacramentũ hoc multis administrans, vbi semel in orbem ierit ad altare reuersus, digitos supra calicẽ purificet, eũq; peracta communicatione mundet. Porrò communionis locus ita præparatus sit, vt mũdissimus, & integerrimus pannus lineus communicantium ori substernatur, qui absoluto diuino officio, à Sacerdote aut Diacono inspiciatur, & perlustretur: nimirum vt hinc inde extremitatibus illius à duobus in altum eleuatis, ex lateribus sinuetur, & circa longitudinis medium, instar arcus demittatur, quò ad leuem concussionem, particulæ etiam minimæ, si quę fuerint, in vnum coadunentur, & patena sacra excipiantur.

Origenes Homil. 13. in Exod D. August libro 50 Homiliar. homil. 26 1. Quæst 1. In terog. Stat. Sifrid cap. 7. pag. 39 d.

50. Quod si nihilominus sacra hostia, aut aliqua eius particula in terram ceciderit, reuerẽter attollatur; locus vbi ceciḋit, mundo linteamine, vel aliquo honesto vasculo cõtegatur, & finito diuino officio mundetur, ac aliquantulum abradatur, abrasio ac pulueres in sacrarium proijciantur, atq; Sacerdos, cuius negligentia id accidit, Canonicam faciat pœnitentiam.

Cap. Per negligentiam De consecr. Dist. 2. Stat. Sifrid ca. 7. pag. 40. f.

51. Pro purificatione communicantium eorumq; numero ac multitudine, vno aut pluribus locis consistant viri aut adolescentes Clerici, qui purum ac bonum vinum

nũ cõmnicantibus offerant ex vaſculis, quę ad hunc ſolum vſum ſeruiant, & nec cum ſacris calicibus, neque cum domeſticis menſarum vaſis, formæ habeant affinitatem, aut ſimilitudinem.

52. Contra communem, longinquã, ac piam Catholicę Eccleſiæ conſuetudinem, iuſtiſſimamq; eius legem, ſine Romani Pontificis authoritate, ac Ordinarij cognitione & conſenſu, nemo ſub vtraque Specie ſacram Euchariſtiam alicui adminiſtrare præſumat; etiam ſi renuenti ac recuſanti hoc facere, mortis immineret periculum, & graue, ſed & glorioſum martyrium. Si quis autem Sacerdotum contrauenire huic decreto auſus fuerit, aut Sacerdotem quiſquam ad hoc adigere tentauerit, cum Schiſmaticis ac hæreticis partem habeat, & à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſit abſciſſus.

Concil Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. & 3 & can. 1. 2. & 3 ibid. Concil. prouinc. ſub Herman 5. parte 7 cap. 14. Concil. prouinc. ſub Adolp 3 in cenſuris & Decretis cap. Similiter requirimus. *pag. 445 d. 446 a b & cap.* Accepimus Magiſtratus. *pag 453 b c. Synod. Dioeceſan. Anno 1548. 2. Octob habita in mandato quod incipit.* Volentes tranquillitati. *pag. 417.*

53. Sed nec in extrema quidem neceſsitate, quiſquam ab Hæretico aut Schiſmatico Communionem accipiat, (quamuis Baptiſmum accipere poſsit) niſi eorundem voluerit eſſe ſocius, ac ipſis Sacramentorum ſymbolis cum ijs colligari, ac vnum re ipſa corpus effici, cum quibus in Sacramentis, ac precationibus communicat.

Num 16. D. Cyprian De Simplicitate Prælatorum D. Aug. De Baptiſmo cõtra Donat. c. 2. Vide Euſe. libr. 6. hiſto. Eccleſiaſtic. cap. 2. Baſil. Epiſt. 69. D. Augu. cont. epiſt. fundament. cap. 3.

54. Communicatis omnibus, ſi extra aut poſt Sacrificium facta fuerit communicatio, dicat Sacerdos orationem de venerabili Sacramento, *Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili &c.* cum ſuis verſiculis: claudat pixidem, in qua conſecratæ particulæ ſuperſunt; genua flectat, & Deum in Sacramento adoret; ac vertens ſe ad populum, vnà cum ſacra pixide ei diuinam benedictionem impertiatur. Deindè Sacramentum ſanctè reponat, eoque repoſito, rurſum illud adorando genua flectat. Quem modum in acceſſu & receſſu ad ſanctiſsimum Sacramentũ, eiuſq; adminiſtratione ſemper obſeruet.

Cap. Tribus gradibus De consecrat Dist. 2.

55. Si in templo vbi consecratio & administratio S. Eucharistiæ facta est, corpus Christi reseruari non soleat, pluresque particulæ consecratæ fuerint, quam fuerunt communicantes (quod studiosè caueri volumus) particulam aut particulas consecratas, quæ superfuerunt, Sacerdos antè ablutionem & purificationem suã, innouato deuotionis affectu, reuerenter ipsemet sumat. Quod vt facere possit, statim post sumptionem sacri calicis, antequam vlterius in Missa progrediatur, communicationem incipiat.

DE DEPORTATIONE SACRAMENTI huius ad Infirmos.

Statut Sifrid cap. 7. pag. 40 d.

56. Cum ægrotus Sacramentum corporis Christi ad se deferendum desiderauerit; confessionem suam (quando fieri poterit) fecerit, antequam ad eum Sacramentum perferatur.

Ca. 1 De celebratione Missarum.

57. Si qui in infirmitate sua ad petenda & percipienda salutis suæ Sacramenta tardiores fuerint, aut negligentiores: eos Pastores ad eadem petenda, & percipienda, docendo, hortando, monendo, oportunè, importunè inducant; omnesque infirmos quos habent, etiam non vocati, frequenter visitent; eos consolentur, ad patientiam animent; & vt de rebus suis piè disponendis, tempori cogitent; seque quo se totos Deo commendare atque resignare possint, ab omni distrahente cura liberent; atq; omninò ab omni superstitione, quàm superstitiosi, ad euadendam vel superandam morbi molestiam ac difficultatem suggerere possint, abstineant; moneant, & hortentur. Et cùm anima sit multò pretiosior corpore, etiam medicis in memoriam reuocent: sub pœna anathematis prohibitum eis esse, ne quis eorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.

58. Vt cognoscant Pastores quosnam & quot ægros visitan-

visitandos habeant; omnibus Parochianis suis iniungant, vt de infirmitate coniunctorum, familiarium, ac domesticorum suorum, se certiores faciant; & Medicos omnes admoneant, vt ex præcepto Innocentij tertij, & Pij Quinti, ac solemni iuramento suo, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos antè omnia moneant, vt idoneo Confessori omnia peccata sua, iuxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ confiteantur; neque tertio die vlterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor, ob aliquam rationabilem causam concesserit, & eis, per fidem Confessoris, in scriptis factam, constiterit, quod infirmi, vt præmittitur peccata sua confessi fuerint. Quod si hac ratione ne quidquam ab ægroto obtentum fuerit, rogentur præterea & moneantur coniuncti, ac omnes familiares & domestici infirmi, vt illum ad cõfessionem peccatorum suorum suadeant & inducant.

Concil. Lateranen sub Innocentio 3. cap 22. Cap Cum infirmitas De pœnit & remiss Pius Quintus in in Constitutione, quæ incipit. Supra gregem Dominicũ &c. *Data Romæ ad S. Petrum 8. Martij 1586. Pont: sui Anno 1.*

59. Priusquam Pastor sese componat, vt S. Eucharistiam ad ęgrotum perferat, exploratum habeat: an ęgrotus ieiunius sit; An non ieiuno periculum sit expectare, tanto temporis interuallo, vt ieiunus censeri posset? An non patiatur vomitum? An nihil aliud sit, ob quod, vel cum indignitate, aut scandalo, vel re infecta redeundum esset? Et si qui faciles fuerint, vt per infirmitatem nimiam, aut vomitus alteriuśque incommodi periculum, se à Sacramenti susceptione excusatos haberi voluerint; diligenter inquirat, ac inuestiget, num re vera, vt præ se ferunt, res sese habeat; ne quisquam ob Sacramenti horrorem, huiusmodi prętextũ, ad damnationem suam fingat.

60. Si quando per vomitum, aut traijciendi difficultatem, aut quamuis aliam causam steterit, quo minus ægrotus, corpus Christi Sacramentaliter sumere tutò possit; doceat eum Parochus qua nam ratione illud Spiritualiter sumat, eiusq; fructum & magnam vtilitatem percipiat; nimirum vt fide viua, quæ per dilectionẽ ope-

Conc. Trid. sess. 13. can. 8.

Cap. Quis De consecra. Dist. 2. ratur, incensus, desiderium ac votum habeat, cœlestem illum panẽ comedendi, illiusq; virtute innouari, recreari, ac confortari percupiat. Quò referri potest illud D. Augustini: *Crede, & manducasti*. Caueat tamen Sacerdos ne ægrotus leui de causa, sine reali huius Sacramenti perceptione moriatur.

Ca. Qui 26. quæst. 6. De consecr. Dist. 2. ca. Præsb.

61. Sacerdos augustissimum Sacramentum ad ægrotos perferens, decenter & reuerenter superpelliceo vestitus sit, ac stola circumdatus: & custos superpelliceo indutus, lumen & aquam benedictam, cum aspergillo præferat; ac tintinnabuli sonitu populum sui moneat officij; tum vt ad adorandum Sacramentum concurrat, illudque comitatu suo honoret; tum vt orationibus suis (quemadmodum sibi fieri cuperet) laborantem infirmum iuuet.

62. Tam Sacerdos, qui panem Angelorum, & pretium humani generis manibus gestat; quã custos, alijq; qui comitantur; toto itinere, nisi inclementia cœli, aut corporis infirmitas prohibeat; capite aperto procedant; à fabulis & vaga, & vana oculorum iactatione, & inconstãtia abstineant; suaq; grauitate, pietate, ac reuerentia, alios omnes quotquot obuiam habuerint, ad deuotionẽ permoueant.

Stat. Sifrid. ca. 7. pa. 40. d

63. Sacerdos neminẽ in via agnoscat, aut salutet; sed totus in orationibus sit; & vel psal. pœnitẽtiales, vel hymnos de venerabili Sacramento Hymnum DD. Ambrosij & Augustini: *Te Deum laudamus*. Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini, Domino*: aliasue preces pias, aut clara voce alternatim cum Custode, alijsque comitantibus; aut solus & tacitè, prout ei in Domino videbitur, eundo & redeundo recitet, piaque ac deuota mẽte pertractet.

D. August. in psalm. 88.

64. Qui admirabili sãctissimoq; huic Sacramẽto obuiã venerint; aut quos illud in via offẽderit; mox vbi potuerint oculos in illud figere, ac Sacerdotẽ, aliosq; qui ei honoris, fidei, & deuotionis causa adsũt, intueri; sese ad exaltandum

altandū Deū,& ad adorādum ſcabellum pedum eius humiliēt; & flexis in terram genibus, Chriſtum Dominum ac redemptorem ſuum, toto corde ac corpore adorent. Si equites fuerint,ex equis deſcendere, ac in terram procidere,vnaq; cum Magis, alijsque Chriſtianis Principibus,qui id frequenter feciſſe leguntur; ſumma cum humilitate Chriſtum adorare,non vile, aut ſordidum; ſed pro fidei ſuæ deuotione ac profeſsione, verè glorioſum vereq; Chriſtianum arbitrentur. Si quis autem corā hominibus Chriſtū erubuerit,aut in genua non prociderit, ſeu debito honore non adorauerit;moneant illū qui Sacerdotem deducunt;&ſi ex contemptu id eum facere animaduerterint,ad eum deferant, cui hanc impietatem, ac Catholicæ religionis iniuriam corrigere, ac punire ex officio incumbit; cogaturq; inter alia, ad honorem Sacramenti,quod inhonorauerat,aliquid præſtare.

Mat.2.Chrō. ſoſt.hom.24. in priorē ad Corint.

Ca. Sanc.De celebratione Miſſa: ñ. Statut Sifrid. c. 7 pag.41. b.

65. Cum admodum indecens,indignum,irreligioſum, atq; ſcandaloſum ſit;quod ſolus Sacerdos cum præeunte cuſtode,nullis, aut pauciſsimis alijs comitantibus,ad ægros Sacramentum hoc perferat; ſæpe ex noſtra hac ſanctione populum moneant Parochi, ac Concionatores, vt maiorum ſuorum exemplo, fide & pietate, fidem ac pietatem ſuam in Deum hic exerceant; eumque Chriſto Domino ac redemptori ſuo honorem in Sacramento exhibeant; quem ei in carne ambulanti, exhibere par eſſet,præcipiantque authoritate noſtra, vt quicunque in loco ægritudinis ſuæ, ſanctiſsimum hoc Sacramentū,accepturus eſt;duodecim proximè habitantes Catholicos vicinos,aut quotquot habere poterit,ad proſequendū hoc Sacramentum, amicè & ſeriò inuitari curet.Et vt prēterea alij, quorum Deus corda excitabit, ad honorandum comitatu ſuo hoc Sacramentū,conuenire poſsint;certis certæ campanæ pulſibus ſignum detur, quo fideles ad præſtandū Deo Saluatori ſuo hoc officiū,

vocari,

vocari, atque inuitari se à Deo Patre, atque ab Ecclesia matre cognoscant. Quod vt lubentius faciant, & ad exaltandum, atque honorandum Deum, ad profitendum fidem suam, hæresesque condemnandas, alacrius ac frequentius concurrant: de omnipotentis Dei misericordia confisi, authoritate Apostolica, quam pro Legatione nostra accepimus, omnibus ac singulis Christi fidelibus, qui dictum Sacramentum, dum ad ægrotos defertur, aut aliàs in supplicatione circumfertur, eundo & redeundo piè prosequuntur: centum dies; ijs verò qui præterea lumen præferunt, aut præferri curant, aut qui illos qui irreuerenter sese habent corripiunt aut corripi curant, aliud ue officium, quod vel ad augendum, vel ad defendendum Sacramenti huius honorem quoquo modo facere poterat, præstiterint; alios quinquaginta dies, de iniunctis, seu quomodolibet aliàs debitis pœnitentijs, in Domino misericorditer relaxamus.

66. Vbi ad Ecclesiam reditum fuerit; Sacerdos, antequam sacram pixidem è manibus suis in tabernaculum reponat; stans antè ipsum tabernaculum, aut altare, facie ad populum conuersa; vel si in choro diuinum officium fiat, antè ostium chori; aut si habeatur concio, antè ostium templi, qua parte, templum porticum aut vestibulum habet, vbi, dum pluit, populus sine vllo incommodo in terram procidere poterit, tenens manibus suis sacratissimam pixidem, in qua sit corpus Domini: annũtiet populo, quos indulgentiarum thesauros eundo ac redeunndo promeruerit; atq; ad eiusmodi officia crebrò lubenti animo præstanda eum animet atque confortet. Deinde moneat, vt pro bono infirmi, dicant orationẽ Dominicam, & salutationem Angelicam, eiusq; aliorum infirmorum crebrò in orationibus suis meminerint. Demum alta ac intelligibili voce dicat orationem de venerabili Sacramento, quam finiens, cum Sacra Pixide populum benedicens, benedicat ac in pace dimittat.

67. Ne

67. Ne Sacerdote ad Ecclesiam redeunte, populus aut inanem pixidem adoret; aut si nullam in pixide hostiã reliquam esse intelligat, offendatur; atque à tam pio ac sancto officio præstando abstrahatur: nunquam Sacerdos ad communicãdum ægrotum procedat, quin etiamsi plures eodem tempore essent communicandi, hostia nihilominus sacra supereſſet, quam redeundo pari modo, atque eundo, populus pio comitatu suo, alijsq; pietatis ac religionis, & fidei officijs honorare atque adorare posset. Si tamen prẹter omnẽ expectationẽ, illa quoq; hostia, quæ non distribuenda putabatur, vnà cum alijs distribueretur; Sacerdos posita vacua pixide, populum ante ædes infirmi, eius reditum præstolantem, consueto more admoneat, manuque signum crucis faciens, ei benedicat, eumque dimittat. Ipse deindè se stola ac superpelliceo exuat, sacram thecam abscondat, & sine tintinnabuli pulsu ac lumine, nisi tenebræ sint, vnà cum Custode ad Ecclesiam reuertatur, ac sacram thecam in sacrarium reponat. Eadem ratio Sacerdotem permoueat, ne ad ægrotum corpus Christi perferens, illius tabernaculum quod in templo est; sine sacra hostia, quam fideles ibidem adorare possint, vacuum relinquat.

68. Cum procul per aspera loca ac periculosa progrediendum erit, quò pauciſſimi aut nulli comitari solent; Sacerdos non plures secum capiat hostias, quam cõmunicandis sufficiant. Et quò sacram pixidem tutius, cõmodius, ac honestius ferat, eam in eleganti, pretioso, ac benè consuto sacculo, firmis funiculis, ex collo appendat.

69. Quoniam ad maiestatem Sacramenti huius, eiusque dignitatem pertinet; vt & ipsa sacra pixis, & Sacerdos qui illam defert, ab omni aëris iniuria, omni tempore defendatur: huius populus & æditui admoneantur; curentq; & ipsi, & eis cunctantibus, Ecclesiarum Prælati; & Pastores, alijque quorum hæc cura esse debet; vt

ob hanc causam vmbella fiat, quæ procedente Pastore cum sacra Eucharistia ad infirmum, ipsum perpetuò cõtegat, & ab omni aëris iniuria defendat. Cæteraque quæ ad maiestatem, dignitatem ac honorem, sanctissimi huius Sacramenti faciunt, omnibus modis & præstent, & tueantur, atq; conseruent.

CONSTITVTIO S.D.N. PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE V. PER MEDICOS OBSERVANDA.

PIVS PAPA V. AD *perpetuam rei memoriam.*

SVper gregem Dominicum nostræ vigilantiæ diuinitus creditum, vigilis speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium; ad ea, per quæ animarum saluti cum diuini nominis gloria consuli valeat libenter intendimus; vt Christi fideles post Baptismum in peccata lapsi, per Sacramentũ Pœnitentiæ, Deo reconciliẽtur.

Sanè, cum infirmitas corporalis, nõnunquam ex peccatis proueniat, dicente Domino languido, quem sanauerat: Vade, noli amplius peccare; ne quid deterius tibi contingat; *ac propterea prouidè felic. recordat. Innocentius III. prædecessor noster Medicis præceperit; vt cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, vt animarum medicos vocent; ne cum eis hoc in extrema ægritudine constitutis suadetur; in desperationis articulum incidant: Nos igitur volentes hoc tam salutare præceptum, nullatemporis præscriptione aboleri, sed semper obseruari; constitutionem præfatam, authoritate Apostolica, tenore præsentiũ innouamus & hac nostra in perpetuũ valitura constitutione statuimus & decernimus, quod omnes Medici,*

dici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos antè omnia moneant, vt idoneo Confessori omnia peccata sua iuxta ritum S. R. E. confiteantur ne q; tertio die vlterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor, ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit: & eis per fidem Confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi vt præmittitur, peccata sua confessi fuerint.

Coniunctos verò ac omnes familiares, & domesticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, vt de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam Parochus, quam coniuncti, et familiares præfati, infirmum ad confessionem peccatorum suadeant, & inducant.

Quod si qui Medicorum præmissa nõ obseruauerint, vltra pœnas in dicta Constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò sint infames, & gradu medicinæ quo insigniti erant omninò priuentur, & à Collegio seu vniuersitate Medicorum eÿciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorũ, vbi deliquerint mulctentur.

Et vt hæc omnia inuiolabiliter obseruentur, volumus & cadẽ authoritate præcipimus et mandamus, vt nullus post hac vbiq; locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medẽdi facultas, à quouis Collegio et Vniuersitate, cõcedatur, nisi omnia in præsenti Constitutione nostra contenta, medio eorum iuramento, coram Notario publico et testibus obseruare in eorum manibus vel Ordinarÿ iurauerint, et de huiusmodi iuramento in priuilegio seu licentia medendi specialis mentio fiat.

Quod si Collegia et vniuersitates præfatæ nõ recepto à promouendis iuramento huiusmodi, eosdem ad gradum prædictũ promouerint, aut eisdem medendi licentiam præstiterint, pœnam priuationis facultatis, alios vlterius doctorandi incurrant.

Mandantes in virtute S. obedientiæ, omnibus & singulis, venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus & Diœcesibus propriis, præsentes nostras litteras publicari faciant, ac iuramentum præscriptum, à Medicis iam promotis, seu licentiam medendi habẽ-

tibus, omnibus Iuris remedÿs exigãt, neq; aliquos ad medendũ in Ciuitatibus, & Diœcesibus prædictis admittãt, nisi eis cõstiterit, eosdẽ Iuramentũ huiusmodi præstitisse; & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiusmodi iam præstitum exhibere recusantes, gradu medicinæ, & omnibus priuilegÿs eisdem medicis, tam coniunctim q̃ diuisim eis, & eorũ cuilibet cõcessis, per quos uis etiã Rõ. Pont. priuẽt, ac ab ingressu Eccl. arceãt, donec resipuerint.

Non obstantibus præmissis, priuilegÿs, indultis literis Apostolicis quibusuis personis, Collegio & Vniuersitati, sub quibusũ verborum formis & tenoribus concessis; Quæ omnia quoad effectum validitatis constitutionis nostræ, tantum reuocamus, cassamus, & annullamus. Et omnes Principes sæculares, ac alios Dominos & Magistratus tẽporales rogamus, requirimus; & obsecramus, per uiscera misericordiæ Iesu Christi, eisdem in remissionẽ peccatorum nihilominus iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistant, & suum fauorem & auxilium præstent, ac contrafacientes, pœnis etiã temporalibus afficiant. Volumus autem quod præsentes literæ, in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, et inter Constitutiones extrauagantes perpetuò ualituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæq; loca deferri; volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiã impressis, manu alicuius Notario subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides ubicunq; adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ uel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris Die 8. Mart. 1566. Pontificatus nostri Anno 1.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini 1566. Indict. 9. die uerò 11. mensis Martÿ, Pont. Sanctiss. in Christo Patris & D.N.D. Pÿ diuina prouidẽtia P P. V. anno 1. retroscriptæ literæ seu breue, affixæ seu publicatæ fuerunt in Valuis Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ, per me Camillum Cherubinum Apostolicum Curs.

Scipio de Octauianis
Magist. Curs.

DE SA-

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

SAcramentum Pœnitentiæ, quod lapsis post Baptis- 1.
mum ad salutem necessarium est, vt nondum renatis ipse Baptismus; & ceu fundamentum, ianua, virtus ac robur est omnis Ecclesiasticæ reformationis, ac puritatis: eo magis omni studio, contentione, ac diligentia, tractãdum & excolendum censemus; quod eius negligentia, ac imperita tractatione, videre est peccata inter Christianos latè regnare, eorumq; permultos, post susceptam pœnitentiam, non solum magna facilitate ac leuitate (perindè ac si nulla pœnitentiæ Sacramẽti virtus ac fructus esset) ad pristinam iniquitatem relabi; sed & in magnam impœnitentis cordis caliginem incidere: vt qui Sacramentum hoc, nudæ alicuius cæremoniæ loco habere videntur, & non tam laborare, vt tacti dolore cordis intrinsecus, toto corde ad Deum cõuertantur; quàm pro more ac consuetudine populi Christiani, hoc feciſſe dumtaxat videri velle. Pro legationis itaq; nostrę mune re, ac Ecclesiasticæ reformationis necessitate, ad legitimam Sacramenti huius administrationem, ad Sanctam ac salutarem eius frequentationem; hæc quæ sequuntur inuiolabiliter seruanda omnibus proponimus, & vsu ac obseruatione perpetua, confirmanda sancimus. *Concil. Trid. sess 14. cap. 2.*

2. Cum absolutio Sacerdotis actus sit iurisdictionis, quo ab ipso, velut legitimo iudice, remissionis aut retentionis peccatorum sententia pronunciatur; & satisfactio ac fructus pœnitentia digni præscribuntur; ideoq; excepto mortis articulo, qui omnib. Sacerdotibus quoslibet pœnitentes, à quibus suis peccatis & censuris absoluendi iurisdictionem tribuit, nullius momenti sit absolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem Ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem: præ- *Ibid. cap 7.* *Ibid. sess. 23. cap. 15. Conc. prouinc. sub Nicol. Cusa. §. 15. p. 250.*

Conc. prouin. sub Adolp 3. in censuris et Decretis. Ca. Exploratũ pa 455. b. Vide de hac re supra titulo De religiosis cap. De his quæ ad cultum Dei. articulũ Quod in Cõcilio & aliquot sequentes. pa 97. 98.

cipimus vt nullus etiam regularis, quantumuis exemptus, nec tempore quidem lubilæi, nec aliàs per ratihabitionem quasi per tacitam licentiam & approbationem, seu quouis alio prætextu, cõfessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire presumat (excepto duntaxat mortis articulo) nisi aut parochiale habeat beneficium, aut ab Ordinario per examen, si ei videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicatus fuerit, & approbationem (quæ gratis detur) in scriptis obtinuerit, priuilegijs & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus.

Conc. Cabil 2. ca. 34. cap. Sacerdos. 26. quæst. 7.

3. Ordinarij & alij quibuscunq; hæc examinandi, admittendi, & approbandi Sacerdotes, cura incumbit, non alios ad exercendam in foro conscientiæ iudiciariam hãc Christi potestatem admittant; quàm qui ad præsentandam Christi personam, digni habentur, ac præter clauem potestatis & scientiæ, cor rectum habent, clauis amoris ac timoris Domini, zeloque salutis animarum, veritati ac iustitiæ tam firmè confixum; vt nec per inutilem verecundiam, nec per vanum timorem, aliumue prauum affectum silẽtio premãt quæ vel ad correptionem prudenter insinuanda, vel ad medicinam & emendationem salubriter præscribenda, vel ad competentem satisfactionem, cum Discretione iniungenda fuissent: & qui illis præterea virtutibus prædíti sint, quas in huiusmodi animarum iudicibus, Pastoribus, ac Medicis Concilium prouinciale sub Hermanno Quinto habitum, parte 7. cap. 33. requirit. Alioqui, si prouehant eos, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident; qui cõsuunt puluillos, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis; qui viuificant animas quæ non viuunt, & liniunt absq; temperatura; qui vulnera non circumligant, nec curant medicamine, neque fouent oleo: non minus se quàm illos peccare cognoscant, & hoc grauius, quo altiori præ illis

Ezechie. 13. Esaiæ 1.

illis loco cõsistunt, & ad resistendum iniquitati, authoritatem maiorem acceperunt.

Vide Dist. 83. per totum Greg. hom 9. in Euang.

4. †Quicunq; legitimè admissus, & approbatus Ordinariam vel subdelegatam audiendi confessiones acceperit potestatem; non alios audiat, quàm quos nouerit, ordinariæ aut subdelegatæ iurisdictioni suæ esse subiectos; nec hos ab alijs vel peccatis vel censuris, absoluat, quàm à quibus pro accepta facultate, absoluere eos poterit: quæ si à parocho committente vices suas data fuerit, hoc tãtum subdelegatum esse intelligatur quod ille potest ex ordinaria sua potestate, non autem ex speciali permissione.

†Conc. Trid. sess. 14. ca. 7.

Cap. Si Epis. De pœnit. & remiss.

5. Quicunq; regularis seu secularis à Romano Pontifice, vel à quocunq; alio, quam ab Ordinario suo acceperit potestatem exercendæ iurisdictionis, in foro conscientię, vel à casibus reseruatis absoluẽdi; aut ea maiorem; eandem ne exerceat, antequam Ordinario, in cuius Diœcesi illa exercenda est, huiusce permissionis authenticas litteras exhibuerit, & eius super hoc obtinuerit consensum. & si quis alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa peccata sua confiteri, licentiam prius postulet & obtineat, à proprio Sacerdote. Saluis semper Apostolicis Indultis.

Concil. 2. Latera. ca. 21. c. Omnis vtriusq; De pœnit. & remiss. Statut. Sifrid cap 2. pag 44. a.

6. Quia ferè contingit vt propter imminentis mortis periculum; aut vim morbi, ægrotus magis peccata sua ponderet, eaq; melius & exactius confiteatur, quàm vnquam in vita sua fecerat: adeò vt subindè quidam peccata quædam tunc prodant, quæ ex humana verecundia, in multis præcedentibus confessionibus, scienter reticuerant, vel non benè confessi erant: vigilantissimi ac diligentissimi in audiendis ægrotorum cõfessionibus sint sacerdotes, & studiosè ac amicè inquirant, num quid sit quod confiteri non ausint, vel in prioribus confessionibus confiteri scienter prætermiserint, aut non benè confessi fuerint; & si tale quid acciderit, propter quod

vna

vna vel plures repetendæ erunt confessiones, si valetudo permittat, detur pœnitenti tempus recogitandi ea tempora in amaritudine animæ suæ; & peccata mortalia etiam occultissima, & sola cogitatione perpetrata, quę post legitimum conscientiæ examen, ab vltima benè facta confessione occurrerint, distinctè & sigillatim confiteatur. Sin verò mortis periculum, aut aliud malum, temporis nullam patiatur dilationem; iuuet eum Sacerdos ex tempore, prout in Domino faciendum esse iudicabit, & peccata quæ eũ fecisse arbitrabitur, sigillatim percurrendo, tardam ac impeditam eius confessionem expediat, eumq; amicissimè moneat; vt si superuixerit, aut malum quod timebatur non superuenerit, ad exactiorem confessionem se componat; ad quod eum crebra visitatione sua magis magisque animet, & si quid ei post vltimam confessionem in memoriam venerit, quod cõscientiam eius grauet, ab eo, si mortis, aut destitutionis linguæ, vel simile alterius mali perseueret periculum, eum mox liberet, & nihilominus si Deus ei vitam dederit, pleniorem confessionem expectet.

7. Sacerdos cum vocatus ad ægrotum, inuenerit illũ iam parum mente ũalentem, sequatur Consilium à P. Ioanne Polanco, cap. 15. methodi adiuuandi eos, qui moriuntur, propositum; & si illud malum ex vulnere, percussione, vel ex alia accepta iniuria acciderit, antè omnia instet, vt hanc & omnem aliam illatam sibi iniuriã, eius authoribus ex animo condonet.

Ca Eos. De sent. excom. lib 6. Vide ca 32. Statut. VVilhelm pa 183. b. & supra titul. De Sacramentorũ admiss. ar-

8. Quandocunque pœnitens vel ob imminentis mortis periculum, vel aliud legitimum impedimentum, recurrere ad illum non potest, cui absoluendi potestas reseruata est, & idcircò ab eo à peccatis vel censuris tunc absoluitur, qui eum absoluere aliàs non valebat: moneatur, vt cessante periculo, aut impedimento, quàm cito commodè poterit, se ei præsentet, cui de iure talis absolutio competebat, aut eo nomine ad eum idoneum

Procu-

Procuratorem mittat. Et si satisfacere canoni aut homini teneatur, nec ante absolutionem, quod iura omnia iubent satisfacere possit, det sufficientem cautionem cum pignore vel fideiussore, aut si neutram dare possit, det eam quam potest, saltem iuratoriam. tic. Nulli absque pag. 440. Ca. Nuper. De sent. excom.

9. Extra articulum mortis, Sacerdotes cum nihil possint in casibus reseruatis, quemadmodum nec simplex Sacerdos, in ipso mortis articulo in peccatis mortalibus, quæ reseruata non sunt, quando Parochi vel alterius Sacerdotis Confessarij, ab Ordinario approbati copia est: id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos Iudices, pro beneficio absolutionis accedant, vel ipsi ab ijsdem impetrent absoluendi facultatem. Conc. Trid. sess. 4. cap 7.

10. Casus Episcopales sunt hi. Homicidium; sacrilegium; incendium ex deliberata voluntate procuratum; Sodomia; stuprum; raptus Virginum; incestus cum consanguineis, aut sanctimonialibus; iniectio manuum violenta, deliberato proposito cùm læsione in parentes facta; sortilegium; periurium factum in iudicio; violatio voti castitatis per contractum matrimonij; adulterium notorium; indigna Sacramentorum, ac rerum sacrarum tractatio, cui sacrilegium, aut similis iniuria, aut contumelia coniuncta est; hæresis; apostasia; & omnia crimina præscriptis grauiora, quæque vel excommunicationem maiorem, ab homine aut canone latam annexam habent; vel publica pœnitentia castiganda sunt. In his tamen quæ occulta sunt locum habeat, moderatio capitis trigesimi septimi, partis septimæ, Concilij Prouincialis sub Hermanno quinto habiti. Et vt facilior pateat omnibus ad veniam aditus, nullusque in adeundo eo, à quo absoluendus est causam prętexere possit difficultatis, pręter Reueren. Archiepiscopi Coloniēsis Vicarium in Pontificalibus, & eiusdem Vicarium in spiritualibus, aliosque eius pœnitentiarios Statut. Sifrid. ca 8. pa. 42. c Pa 384. c d.

tiarios, quibus, quod attinet ad absolutionem casuum reseruatorum, vices suas commisit: in primis Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienſis presbyteri Canonici Theologi, deindè omnes intranei & extranei Collegiorum, & ruraliū Pastorū Decani, 4. quoq; primarum parochialiū Ecclesiarum ciuitatis Colonienſis Pastores, scilicet S. Martini, Columbæ, Laurentij, & Albani, nec non & Priores Ordinum mendicantium, ex permissione Concilij Prouincialis, sub Adolpho tertio habiti, facultatem habeant omnes sibi confessos, ab omnibus casibus Ordinario reseruatis, in foro conscientiæ absoluendi.

Concil prouinc sub Adolp. 3. habit. in cēsuris & decretis. ca. Insuper vt conscientijs &c. pa. 455.

11. In recipiendis & absoluendis apostatis, illud ab omnibus obseruetur, vt nisi sincerè & ex animo promittāt, se statim vel ad claustrū proprij Ordinis redituros, vel ad alium Ordinem æqualis vel arctioris obseruantiæ transituros, vt perpetuam ibi vitam agant, absolutionis beneficium non consequantur.

Pius 4. in bulla reformat. S. Pœnitentiariæ Data Romæ apud S. Petrū 1562 4. non Maij. Pont. anno 3.

12. Casus Papales in primis illi sunt, quos Bulla cœnæ Domini complectitur, quam vt & cæteros casus Romano Pontifici reseruatos, cùm ex alijs authoribus, quide casibus conscientiæ scripserunt, tum ex Enchiridio Cōfessariorum, & pœnitentium Martini ab Azpilcueta, Doctoris Nauarri omnes Confessarij cognoscant, eosq; sæpè legant, expendant & ruminent, vt ne aliquando terminos iurisdictionis suæ transgrediendo, contra disciplinam Ecclesiæ faciant, quod ratum haberi nulla ratio permittat, alioſq; decipiant, & seipsos perdant. & Cōcionatores, processus in dicta Bulla contentos populo Christiano, pro concionibus suis, lingua vulgari, clarè ac distinctè publicent, nec non pœnarum ac censurarum, quæ transgressoribus infliguntur, vnumquemque sedulò præmoneant, quemadmodum Hermannus quartus, quotannis quater (circa ferias nimirum quatuor temporum) fieri voluit, ac omnibus Pastoribus mandauit.

Calixt. epi. 1. D. Cyprian. li. 3. ep. 14. 15. & 16. Stat. VVilhel. ca. 11. pag. 63 c d.

Stat. Herm. 4 §. 25. pag. 274. d.

13. Qui

13. Qui habent potestatem recipiendi & absoluendi hæreticos, non eos recipiant vel absoluant, nisi prius schisma, hæreses & errores suos publicè vel priuatim detestati fuerint, anathematizauerint, & abiurauerint, ac iureiurãdo promiserint, de cœtero ab huiusmodi Schismate, hæresi & erroribus, alijsque excessibus, penitus abstinere, fideique Catholicæ ad formulam, à Pio Papa Quarto præscriptam fecerint professionem; moneantque eos, si sacris Ordinibus initiati fuerint, ne eorum officijs ac ministerijs sese ingerant, priusquam irregularitate sublata, executioni Ordinum atque officiorum fuerint restituti.

ca Conuenientibus. *ca.* Quoties. *ca.* Saluberrimum 1. *quæst.* 7. *ca.* Cum aliquis. 11 *qu.* 1. *ca.* Ego Berengarius. *De cons. dist.* 2. *ca.* Vt officium *De hæret. in* 6. *Conc. proui. sub Adol.* 2 *in cens. & Decr ca.* Caueant autem *pa.* 446. *c. cap.* Ventũ. 1. *qu.* 1. *cap.* Si qui. *cap.* Qui in qualibet 1 *quæst.* 7 *cap.* Ad abolendam *tit. de hæret cap.* Quicunque *De hæretic. in* 6.

14. Vt Christi fideles saluberrimum pœnitentiæ medicamentum, non solum post lapsum suum diu non differant, sed pro fragilitatis suæ ratione, in frequenti adeoq; perpetuò vsu habeant, non tantum canonem. *Omnes vtriusq; sexus*, & quę pro eius obseruatione, in prouincialibus ac Synodalibus Constitutionibus sancita & decreta sunt, Pastores ac Concionatores quotannis, statis temporibus publicent, verum etiam quæ de vtilitate ac necessitate huius Sacramenti, in Catechismo Concilij Tridentini explicata sunt, frequenter & accuratè pro Concione populo exponant, eiquetum ex eodem Catechismo, tum ex Directorio Polanci, & libello Sodalitatis Francisci Costeri, alijsq; similibus perfectam & facilem confitendi methodum tradant; præcipuè autem illa & in confessionibus, & in concionibus, ac aliàs populo Christiano inculcent, sine quibus peccatorum remissio obtineri, aut esse perfecta pœnitentia non potest; nec cœtera negligant, aut perfunctoriè prætereant, quæ ab ijsdem authoribus, ad honorem & reuerentiam Sacramenti, & congruam ac debitam corporis constitu-

Vide supra tit. De Pasto. ca. De munere prædicat. artic. Ac initio pa. 288. *Vide Statut. Sifrid. ca.* 8. *pag.* 41. *b.* 43. *d. Syno Diœces. anno* 1330. *sub Henrico habita. cap.* 1. *pag* 400. *d.*

tionem tam ad instructionem Confessariorum quàm pœnitentium proponuntur.

15. Quod titulo de Sacramentorum administratione præcepimus, vt ne Sacramenta alibi quam loco sacro administrentur: pro huius Sacramenti honore ac reuerentia, & confitentium atq; Confessariorum admonitione, hoc loco ex Statutis Sifridi, & VVilhelmi, sigillatim repetendum statuimus; mandantes omnibus & singulis Confessarijs, vt nunquam in priuatis ædibus, nisi ægritudinis causa Confessiones audiant, sed tantum in Ecclesia loco aperto, omniumque oculis expositio, & vel solis, vel candelarum lumine illustri; nec fœminæ Confessionem audiant, nisi aliquibus alijs ceu testibus præsentibus.

Stat. Sifr. ca. 8 pa 41 d. 42 a. Stat. VVil ca 30. pa. 182. d.

16. Præcipimus quoque vt ne Confessarius (nisi necessitas cogat) fœminæ illius Cõfessionem audiat, cum qua incontinentiæ peccatum commisit, nec socij vel fautoris peccati sui; sed talem ad alium idoneum Cõfessarium remittat. Si quis contra facere ausus fuerit, in eum Ordinarius, Ecclesiasticæ disciplinæ exempla edat.

Stat. Sifr. ca. 8. pa. 4. b.

17. Locus aut sedes Confessionis ita facta sit, vt inter Confitentem & alios, qui mox post eum confiteri cupiunt; aliquid interpositum sit, quod prohibeat, ne vox cõfitentis, aut Confessarij, multo minus verba ad illos deferri possint.

18. Ab omni Confitente maximè ignoto, inquirant omnes Confessarij, an excommunicatus sit; an iniustè aliquid possideat; an habeat debita occulta; an sit votis aut peregrinationibus obnoxius; & si in fundamentis religionis Christianæ rudis appareat, explorent præterea, an orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, ac Ecclesiæ teneat; & vnumquemque ad ea quæ facere tenetur, & rationibus, aliisq; modis & absolutionis suspensione (si opus fuerit) cogant.

Stat. Sifr. ibi. pa 43. a.

19. Vota

19. Vota castitatis, obedientiæ, aut paupertatis à confitentibus, absque Ordinarij consilio, Confessarij siue sæculares, siue regulares, quantumuis exempti, & priuilegiati, nec exigant, nec admittant, neque vnquam Confitentes obligent, vt perpetuò sibi, nunquam alteri confiteãtur. Quin verò etiam proprius Sacerdos, cui omnes & singuli de Iure quotannis confiteri tenentur, haud difficilis sit, vt alteri, quam sibi confiteri cupienti id permittat. *Cap. Omnis vtriusq; De pœnit. & remiss.*

20. Si qui vel sponte sua, vel à Confessarijs inducti, voto aut promissione obstricti sunt, vel alio modo obligati, quod nunquam alteri confitebuntur præterquam ei, quem aut ipsi elegerant, aut qui hoc ab ipsis obtinuerat, eos ab eiusmodi votis, obligationibus, ac conscientiarum laqueis liberamus, illaq́ue ceu impedimenta internæ puritatis, ac trãquillitatis, hoc Decreto nostro irrita facimus.

21. Vota quæ quandoq; occasione Iubilæi, aut Indulgentiarum, Confessariorum Iudicio commutanda permittuntur: vel in maiora pietatis opera, quæq́; Deo gratiora futura sint; vel saltem in æq; pia Deoq́; grata commutent: habeantq́ue in facienda commutatione rationem laborum & sumptuum, quos pœnitens in persolutione voti subire aut ferre debuisset, atq; omninò caueãt, ne quid fiat in cuiusquam alterius prejudicium.

22. Per bullas & condonationes Romanorum Pontificum, etiam si clausulam habeant dispensandi super quibuslibet votis, & absoluendi à quibuslibet censuris & pœnis, non intelligant Confessarij, datam esse facultatem dispensandi, super irregularite, nisi expressa illius in bullis facta fuerit mentio.

23. Pro iniungendis legitimis satisfactionibus meminerint Sacerdotes à Synodo Tridẽtina se esse admonitos, & instructos, vt quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentiũ facultate (vbi *Conc. Laterane. 2 ca 21. Concil. Trid. sess 14 cap. 8. Cap. Consideret De pœ*

nit. Dist. 5. Innocent. 1. epi. 1 ca. 7. D Aug. in Enchirid. ca. 65. ca. Tempora. ca. De his ca. Pro qualitate. ca. Aliqant. 26. qu. 7. & cap. In actione. dist. 1. de pœnit. Synod. Remens. ca. 12. Synod. VVormat. ca. 7. Synod. Cabilon. tempore Caroli magni. ca. 35. cap. Falsas. & ca. Fratres. De pœnit. Dist. 5. Stat. Sifr. ca. 8. pa. 41. d. 42. d. 43 a. b. 44. a Cap. Si quis de pœnit di. 2.

† D. Aug. Enchir. ca. 78. et seq.

* Ca. Ab infirmis. 26. quæst. 7.

contritionis habenda ratio & loca ac tempora regionis consideranda) salutares & conuenientes satisfactiones iniungant; ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera, pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur, habeantq; præ oculis, vt (sicut ab eadem Synodo præcipitur) satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitę custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.

24. Qua in re ne facilè errent, docente† D. Aug. discant, peccata quæ sint leuia, quæq; grauia, non humano sed diuino pensandum esse iudicio: & in præscribenda satisfactione ad praxim veteris Ecclesię, sanctorūq; patrum institutiones, ac facta, quantum fieri potest, proximè accedere contendant.

25. Aegris in periculo mortis positis, sciant pœnitentiæ quantitatē non esse indicendā sed indicandā, & amicorū orationib. ac Eleëmosynis pōdus pœnitētię subleuandū si fortè migrauerint; sin autē conualuerint, pœnitentiæ modū à Sacerdote sibi impositum diligenter obseruent.

26.* Audita Pœnitentium confessione, & data absolutione, non mox omnem sollicitudinem, & iuuandi Pœnitentes animum Sacerdotes deponant; sed, vt veris Pastoribus ac animarum medicis congruit, orationibus, sacrificijs, alijsq; Pœnitentiæ & pietatis operibus eis opem ferre studeant; atq; non solùm à peccatis, & peccatorum pœnis eos liberare, sed exercitio bonorum operum, ac contrariarum maximè peccatis quæ confessi erant, virtutum actionibus, ad summam virtutis perfectionem, pro cuiusq; capacitate & conditione, singulos prouehere contendant. Ad quod eos in primis vehementer iuuabit, frequens bonæ voluntatis innouatio: nimirum vt ad minimum manè, cum primū surrexerint, & vesperi antequam cubitum eant; diligenti conscientiæ examine in seip-

seipsos inquirant, & videant quantum à postrema volũtatis suæ innouatione, vel profecerint, vel defecerint. Magna enim facilitatis recidẽdi in peccata, causa est, infirmitas & inconstantia voluntatis, quæ ex impœnitentia, & emendationis negligentia plurimũ proficit. Ad excitandã autẽ promouendã & confirmãdam hanc bonæ voluntatis innouationem, proderit frequens & ardens oratio, viua fides præsentiæ Dei & S. Angeli, peccatorum confessio, S. Eucharistiæ deuota ac desiderata susceptio, piorum librorum lectio, ac intenta eorum quæ lecta sunt meditatio; potissimum meditatio causæ ac finis creationis nostræ, quatuor nouissimorũ, vitę Christi ac Sanctorum; qualitatum & effectuum, virtutum & vitiorum; infirmitatis tentantis Diaboli, carnis & mundi; & contra, fortitudinis adiuuantis gratię Christi; nec non & aliorum mediorum consideratio, quibus se quisq; in pietate profeciſſe, & profectui suo adijcere animaduertit. De his omnibus quisq; Confessarius pœnitentes suos diligenter instruat, & pios libros vnde Spiritum bonum concipiant, singulis pro captu suo commendet: cuiusmodi aliàs esse censuimus libellum sodalitatis P. Franciſci Costeri, eiq; nunc addimus aureum de imitatione Christi libellum *Qui sequitur me*, vulgò nuncupatum. Neq; verò Confessarij tantum ista commendent; sed & cuiusq; studium ac diligentiam in hisce præstandis cognoscant, tardiores sępè excitent; diligentes rectè dirigãt, & si quos ad certum aliquod vitæ genus amplexandum animum adijcere animaduertãt, vel de ineundo vitæ genere deliberet, eis in primis scopũ, inquem colli mare, debent, diligentissimè considerandum proponant, vt non alij vitæ generi se tradant, quàm per quod certius & facilius saluandos se sperant.

27. Ad hęc & alia Confessariorũ munia pręstanda, quique Pastores officiũ audiendarũ Confessionũ, nullo maioris aut vtilioris studij vel occupationis prætextu, ita in

Sacel-

Sacellanos, & cooperarios reijciant, vt ipsi nunquam, aut rarissimè, ad audiendas subditorum suorum Confessiones, compareant; sed alios in auxilium oneris suiita admittant, vt se veros ouium suarum Pastores esse demõstrent, & quæuis potius alia alijs, quam hanc animarum cura credant, de quibus ipsi districtam Deo reddere debebunt rationem; qui de manibus eorum non tantum animas perditas, sed & vsuras in singulis neglectas requiret. Quare ab omni re alia quæ ad Pastorale officium nõ pertinet sese prorsus expediant, & hisce animarum lucris maxima sollicitudine, ac deuotione inhæreant.

Ezech 34. D. Benedict. in regula ca. 2. D Bernar. lib. 4 De considerat.

28. Sedulò curent, dentque operam quam possunt Pastores, vt parochiæ suæ pueri à teneris annis de modo cõfitendi exactissimè informentur, & in eo diligentissimè exerceantur; atque ab optima horum institutione ac directione, omnium vitiorum monstra, à parochia sua tã procul exulare faciant, vt illis adolescentibus, ac ad virilem ætatem peruenientibus, illa inter illos ne nominentur quidem.

29. Quoniam Sacerdotes peccata eorumq; circunstantias, quæ per confessionem dumtaxat cognouerunt, non solum humano sed diuino quoq; iure, perpetuò tenentur cælare; nec eis, licet vllo casu, verbo, signo, vel quouis alio modo, directè, vel indirectè citra permissionẽ cõfessi, prodere peccatorẽ; ne illum quidẽ, qui deliberatã retinens peccati alicuius voluntatẽ sine absolutione dimissus est: religioso silentij sigillo perpetuò cõsignata teneant, quæcunq; per confessionẽ dũtaxat cognouerunt; ita quidem vt si iuramento astringantur ad cognitã per confessionem veritatem aperiendam, absq; vlla periurij crimine liberè respondeant, ea omnia (quæcunq; hac tantũ via cognouerunt) sibi incognita esse, nec vllo vel proposito præmio, vel supplicio intentato inducantur, vt sacrũ Confessionis sigillum, vel ex parte vnquam violare præsumant. Si quis id fecerit, ab audiendis Cõfessionibus in per-

Ca. Sacerdos. De pœniten. dist. 6. cap. Omnis. De pœnit. & remiss. Stat Sifr. ca. 8 pa. 43. c.

in perpetuum suspendatur,& prout iuris est grauiter puniatur. Quod si quis super confessis consilio aliquando indiguerit,illud ita requirat, vt peccati authorem nullo modo manifestationis periculo exponat.

30. Cætera quæ ad Confessarij ac confitentis munus rectè obeundum pertinent, cognoscant Confessarij, cũ ex libris quos eis in præcedentibus commendauimus, tum ex libro Pastorali Ecclesiæ Cathedralis, & ex cap.8. Statutorum D.Sifridi,& parte septima Concilij Prouincialis sub Hermanno 5. habiti, nec non ex opusculis & tractatibus D.Thomæ Aquinatis; De modo confitendi & puritate conscientiæ; De officio Sacerdotis ac Sacramentis, quos Concilium Prouinciale sub Nicolao de Cusa,perpetuò in eorum manibus esse voluit.

Supra eodem artic.14.

Conc.prouin. sub Hermanno 5. parte 7. ca. 30. 31. 32. &c.

Conc.prouin. sub Nicolao De Cusa.§.3. pa.247.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

VT nullum tempus est,quo aduersarius noster ad perdendos nos,& à fiducia etiam diuinæ misericordiæ si possit deturbandos, omnes versutiæ suæ neruos vehementius intendat,quàm cum impendere nobis vitæ exitum prospicit, animique & corporis vires deficere: ita Pastorum & Concionatorum sedula charitas, magnoperè debet esse sollicita, vt Christianus quisq; in extremo illo agone, contra omnes Sathanæ insultus benè armatus sit, & in spem diuinæ misericordiæ eò magis erectus,quo humanæ infirmitatis virtus magis lãguescit, & vnusquisq; moriens,ad ingrediẽdas ignotas sibi futuri sęculi vias, ob peccatorum suorũ conscientiã,& abyssum iudiciorum Dei, magis timet magisque horret. Quare cum clementissimus Dominus ac redemptor noster, in extremę vnctionis Sacramento,Passionis suæ virtutem, infirmissimum exeuntium præsidium,plenissimamque consolationem reliquerit;nihil officij,studij, ac diligentiæ,vel à Concionatoribus & Catechistis, in Concioni-

1.

bus & Catechismis, vel à Pastoribus pro huius sacramẽti administratione prætermittẽdum erit, quin & omnes intelligant Sacramenti huius virtutes, atque vtilitates, multipliciq; eius gratia perfrui, auidissimè cupiant, & nulli in extrema infirmitate constituti, Pastorum negligentia aut incuria eo destituantur. Quò eis seruiẽt tum illa quæ in Catechismo Concilij Tridentini hac de re digesta sunt, & in Concilijs Prouincialibus, Synodalibusq; Constitutionibus sancita: tum in his quæ sequuntur, ad maiorem Pastorum omnium institutionem, vtque omnibus magis obuia sint, sunt expressa

2. In primis ex ipsius Sacramenti institutione & virtute, hanc impressionem omnibus eximant, qua malè persuasum aliquibus est, eius perceptionem ad certam mortis facere accelerationem, ideoq; illam magna cum fidei ac spei iactura, differendam eousq; iudicant, donec iam mori incipiant; ita vt, (quod alioquin ad vberiorem Sacramenti huius gratiam factum oportebat) nullam aut exiguam fidem, & religiosam animi voluntatem in Sacramenti huius perceptione adferre possint.

Concil. prouinc. sub Adolp. 3 ca Relatum nobis. est pag. 456. a.

3. Quia verò tanti Sacramenti contemptus, absq; ingenti scelere, & ipsius Sacramenti iniuria esse nõ potest: si quis illud cõtempserit, vel in extremis constitutus cõpos mentis impendi sibi noluerit, ex constitutione Cõcilij Prouincialis sub Adolpho tertio habiti Ecclesiastica careat sepultura.

4. Aetas idonea, ad hoc Sacramentum suscipiendum, eadem est, quæ ad sacram Dominici corporis mensam admittendorum.

5. Vt singulari quodam animi ac pietatis vigore, nouaque deuotione Sacramentum hoc, & administretur, & suscipiatur, vimq; suam ac proprios effectus vberius exercere possit; non quidem, vt ferè fieri solet, vno eodemque temporis momento, vna cum sacra Eucharistia administretur; sed nisi necessitas aliud postulet, facta aliqua

qua temporis dilatione, & innouata rursum per reconciliationis Sacramentum (si fuerit necessarium) conscientiæ puritate.

6. Pro reuerentia huius Sacramẽti, ac Sacerdotali dignitate, & Sacerdotis ab omni iniuria defensione, sẽper adsint Sacerdoti viri aliquot graues, ex ægroti vicinis aut amicis, qui illum sacrum infirmorum oleum portantem, ab Ecclesia ad infirmum deducant, & illuc cum honore reducant. Quinimò cum impendendum alicui erit extremum vnctionis Sacramentum, distincto campanæ maioris sono, omnibus parochianis id significetur, vt dato hoc signo ad Ecclesiam conueniant, & Sacerdoti sese iungant, vnà cum ipso pro salute ægri, Deum Patrem per Filium in Spiritu sancto deprecaturi, quotquot ad præstandum hoc charitatis opus non impedientur; & ad promerendas pares indulgentias, quales, ad honerandam sacrosanctam Eucharistiam, Sacerdotem prosequentibus, donauimus, Deo operante excitabuntur. Ad prouocandam enim hanc populi ad honoranda Sacramenta pietatem, & fraternam in se inuicem charitatem, alios centum dies, de pœnis peccatis eorum debitis, in Domino eadem benignitate ac misericordia relaxamus, his qui pietatem hanc exercuerint, & nihilominus sese hoc beneficio & desiderijs, & Sacramentis dignos fecerint. Alij verò quibus non vacat Sacerdoti, & animo & corpore adesse, animis saltem adsint, & pro inungendi salute breuem saltem orationem in cœlum magno cum affectu emittant, eiusq; instantem agonẽm & anxietatem; perindè ac si in se sentirent, ceu viua eiusdem corporis membra, cordi capiant.

7. Cum Sacerdos sacrum infirmorum oleum ad infirmum perfert, superpelliceo quidem & stola indutus sit, ac ei lumen præferatur, amulaq; aquæ benedictæ, cum aspergillo ac cruce sine hastili, quæ veteri atq; perpetua Ecclesię consuetudine, ad lectum decũbentis, ex aduerso

eius figẽda est, quo ille, durante ægritudine sua, causam, mysteria, virtutem, ac triumphos crucis Christi, redẽptoris ac Ducis sui, nunquam non memori mente, viua fide, firma spe, ac fiducia, ardentissimaq; charitate tenẽda esse moneatur: at non aperto vel nudo capite (quod in delatione S. Eucharistiæ faciendum esse iussimus) sed capite cooperto incedat, nec tintinnabulum moueatur, neq; cum pixide S. olei quam gestat, populo in plateis benedicat, ne honorem latriæ rudis populus perindè ac S. Eucharistiæ, ad conspectum huius pixidis exhibeat; sed vel hoc discrimine intelligat, honorem diuersum deferendum hîc esse; nempe quæ rei sacræ, vel materiæ sacramentali conueniat, non autem quæ Deo deferenda est.

Concil. pro nunc. sub Hermanno 5 parte 7. cap. 50.

8. Vbi Sacerdos ad ægrotum peruenerit, præmissa suaui ac pia salutatione, dulci, graui, ac ægri sensibus & mẽti accommodata oratione, res & effectus huius Sacramẽti exponat, eũq; consoletur ac cõfirmet, & à curis atq; amore huius sęculi, ad spẽ & desideriũ vitę ęternę erigat. Nequaquam verò (quod imprudentes faciunt, ignorantes officium sacerdotum ad populum, aut scire nolentes) vana longioris vitæ pollicitatione illum fallat, omneque animi eius robur soluat: sed contra potius ad contemnendam vitam & mortem, eamque parato, magnoque animo excipiendam ita componat, vt nihil præter Deum sapiat, nihil præter illum esuriat, & sitiat, ille solus in corde, solus in ore eius versetur; propter illum dissolui cupiat; ab illius beatifica visione diutius abesse suam miseriam ducat; sic viuere Christianum esse, sic mori Christiano maximè necessarium persuadeat.

Supra eod. titul. § 5.

9. Quamuis, vt præscriptum est, ita instructos oporteat esse Christianos omnes vt pœnitentiæ, & sacræ Eucharistiæ Sacramentum pia sollicitudine præmiserint, antequam inungendos se curent, illudq; religiosè præsti-

terint.

teri nt: roget tamē Sacerdos infirmū, antequam ſacram Vnctionem impendere ei incipiat, an aliquem adhuc conſcientiæ remorſum aut ſingultum ſentiat; & ſi opus reconciliatione fuerit, eius confeſſionem audiat, eumq; abſoluat.

10. Etſi ordinariè inungenda ſint ſingula ſingulorum ſenſuum loca: nec vnquam niſi grauiſſima neceſſitas cogat aliter faciendum ſit, conſtabit tamen ſacræ Vnctionis Sacramentum, & in inungendo cōtagioſo morbo, aut peſte laborante, ad euitandum contagionis periculum ſuffecerit, ſi inungatur ſenſus organum, ad Vnctionem magis expoſitum & detectum, dicendo: *Per iſtam Sanctam Vnctionem, & ſuam pīſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum.* Atque hoc caſu preces, quæ præmittendæ & ſubiungendæ erant, deuotè in Eccleſia coram venerabili Sacramento legantur, nec vnquam prætermittantur aut negligantur, niſi Sacerdos videret ægrotum deficere: tum enim eadem cautela vti licebit vel incipere ab ipſis vnctionibus: quibus collatis ſi infirmus ſuperuixerit, alia omnia more ſolito exequenda ſunt: ſin autem moriatur, prætermiſſis illis, quæ legenda reſtabant, ſtatim fiat animæ commendatio. Porrò in inungendis leproſis, vel alia contagione infectis, hac vtatur Sacerdos cautela: ſpatula munda oleum pollici admoueat, vngatque ægrotum, ac ſpatulam cum ſtuppa, qua pollicem & inuncta loca terſit, cremendam curet.

11. Si pede, manu, aliue inungendo membro infirmus careat; pars illi propinquior, eius loco inungatur. Sacerdotibus verò & Epiſcopis nō obſtante præuia ſacri ordinis ſui vnctione, æquè ac Laicis manus vngantur.

12. Sacræ Vnctionis actionem inchoaturus Sacerdos, hortetur præſentes omnes, vt ſua ſancta comprecatio

Adolph. 3 in hac quæ à Decanis & Pa-

Qui hæc inquirenda sunt § 29. pag. 486. d

ne, vberrimam Sacramenti huius gratiam infirmo obtineant; ac sacra Vnctione absoluta, vbi ad templum peruentum fuerit, conuenienti adhortatione, pro temporis ac personarum ratione, proposita mortis necessitate, ac incertitudine, ad vitam sanctius ac prudentius, pro Christiani hominis vocatione transigendam, omnes excitet; & ad omnia pietatis & misericordiæ officia, infirmo impendenda permoueat. Demùm hoc misericordiæ & pietatis officio, quod præstiterunt, promeritas eis indulgentias annuntiet, eosque cum benedictione dimittat.

13. His ita peractis, verus Pastor, minimè arbitretur se nunc omnes, quæ sui erant muneris partes, abundè præstitisse: sed pietatem quam ab alijs exegit, ipse in primis pro Pastorali dignitate, charitatisque suæ eminentia, re ipsa commonstret, & ouem suam in hac, quam cum crudelissima bestia habitura est lucta, non deserat; crebraque visitatione, ac omni sollitudine, salutis eius causam gerat; nec vllis parcat laboribus, ne de manibus suis rapiatur, aut in æternæ damnationis veniat periculum. Quare vt non perpetuò adesse possit ægrotanti, morienti tamen, & vltima iaculanti suspiria adsit, animāq; exeuntem in fide & spe confirmet, atq; orationibus, admonitionibus omnibusq; modis iuuet. Egressa verò de corpore anima, statim eius commendationem faciat, dicendo. *Subuenite sancti Dei &c.* Sin autem hæc ipse per se aliquando non possit; minimè tamen negligat, quin per alios idoneos fiant, & toto ęgritudinis tempore non desint, qui ægrum pia exhortatione, institutione, piorumque librorum, maximè Dominicæ Passionis, Psalmorum pœnitentialium, orationis Dominicæ, symboli Apostolorum, Litaniarum, aliarumque Sanctarum orationum suaui recitatione reficiant, animent, suaq; pietate, & ardenti charitate, ad ingrediendam viam vniuersæ carnis omnimodis expeditam faciant.

DE

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CVM Ordinis Sacramentum ad purgandum, illuminandum, & perficiēdum hominum animos, atq; ad regendam vniuersam Ecclesiam à Christo Domino fuerit institutum; vt qui eo initiantur pro authoritate & excellētia gradus, atq; Ordinis sui, Ecclesiæ vtilitatem, sanctitatem, & pulchritudinem quærant, & promoueant, omniaq; quæ his aduersantur, ab ea excludant, & procul abigant: ad stabilem atq; diuturnam Ecclesiastici Ordinis, adeoq; totius Reipu. Christianæ reformationem necessarium est vt maxima in hoc Sacramēto cautio adhibeatur, nec alij ad sacros Ordines admittantur, quàm qui singulari vitæ probitate, ac sufficienti eruditione, nomini ac vocationi suæ satisfacere, Ecclesiæq; sanctitatem & pulchritudinem, lumine suo illustriorem facere, & velint, & possint. Quamobrem maximè sollicitos & vigiles esse volumus Episcopos, & eorum Archidiaconos atque Officiales, aliosq; Ecclesiarum Prælatos & Pastores; vt quæ de hoc Sacramento ad populi, & ordinandorum institutionem, in Catechismo Romano tradita sunt, populo tradant; quęq; in sacris Concilijs, ac Canonicis sanctionibus, de eo sunt præcepta, ea & ipsi religiosissimè custodiant, & ab alijs omnib. religiosè custodiri faciant; præcipuè hæc, quæ partim ex Concilio Tridentino; partim ex Prouincialibus & Synodalibus Prouincię ac Diœcesis Colonien. Constitutionibus recensemus, & omnibus seruanda publicamus.

D. Dionysius Areopagita De Ecclesiastic. Hier. ca. 5. part. 1. Dionysius PP. 1. ad Seuerū Episcopum. ep. 2. Bonifacius PP. 2. epist. 2. ad Eulalium. Concil. prouin. sub Hermanno 5. parte 1. cap. 27. D. Leo epi. 87. Conci. Trid. sess. 14. in proœmio De reformat.

2. Quoniam plerumque pro meritò populi disponitur Ordinandorum electio; semper Dominico die sacram Ordinationem proximè præcedente, vniuersus populus à singulis Concionatoribus commoneatur; vt ieiunijs, quæ ex vetustissimo Ecclesiæ more ante ordinationem præmittuntur, & pijs sanctisq; precationibus, toto corde ad Deum conuertatur, suaq; humiliatione, & con-

Actor. 13. & 14.

& conuersione ab eo impetret, vt Episcopi eorumque assessores, & coopitulatores, in examinandis deligendis, & ordinandis Ecclesiæ ministris, suo rectè perfungantur officio; talesque producendos in messem suam operarios submini-stret, qui ei secundum cor suum & animam suam, in omni sanctitate & iustitia, omnibus diebus vitæ suæ, in munere suo seruiant.

Con. Tri sess. 23. c. 4. ca. Final de temp. Ordinand. in 6 Stat Sifri. cap. 5 pa. 38. d Conc. prou. sub. Herm. 5 par. 1. ca. 72.

3. Prima tonsura non initientur illegitimo toro nati, & qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, ac de quibus probabilis coniectura sit, eos non secularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

4. Quoniam prima tonsura præparatio quædam est, ad Ordines accipiendos, & ostium ad Beneficia Ecclesiastica; diligenter instruendi & admonendi illi sunt, qui Clericali corona insigniri cupiunt, quid Clerici profiteantur, & facturos sese recipiunt: nihilque minus quàm Clericos esse illos, qui beneficijs Ecclesiasticis ex pauperibus diuites fieri volunt, vel ex diuitibus ditiores; & lucra quæ in sæculo habere non poterant, in militia Christi quærunt; cum Clericorum sit, solo victu & amictu contentum viuere, nihil extra Dominum possidere, nihil extra illum quærere, & crucem nudam nudum sequi.

D Hieron. in epist. ad Nepotianum. Quæ... à me. *D. Prosper. De vita contemplat. libr. 2. cap. 9 10 & aliquot. sequent D. Bernard. epist. 2. quæ est ad Fulconem Lingonensem Archidiac & Serm. 23. super Cantica, item sermone De verbis Euangelij* Dixit Simon Petrus ad Iesum Ecce nos reliquimus omnia.

Conci Tride. sess. 23 De reform ca 5 Conci. prou. sub Herm. 5. parte 1. ca. 19 27. Conc. prouinc. sub Adolpho 3. Medio secundo

5. Ad primam tonsuram & minores Ordines promouendi, à Parocho ac Magistro scholæ, ab ijs quoque, apud quos potiorem vitæ partem transegerunt, ac diuersati sunt, de doctrina, vita, moribus, ingenio, ac indole bonum testimonium habeant, eorumque commendatione, se ea voluntate ingenio ac indole præditos doceat, vt non suæ commoditatis gratia, sed Dei tantum causa, ad ca-

ad capeſcendos ordines aſpirare credantur, vitaque ac exemplo ſuo alios ad pietatem & cultum Dei eſſe pertracturos ſperetur.

6. Qui ad ſingulos Ordines maiores erunt aſſumendi, p mẽſem ante Ordinationem Decanum ruralem, cui ſubiacent, adeant, qui parocho cuius parochiam inhabitant, aut alteri in cuius parochia magis noti ſunt (prout ei magis expedire videbitur) committat, vt nominibus ac deſiderio eorum, trina denunciatione, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales, clauſas & conſignatas, ipſam inquiſitionem factam cõtinentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimum tranſmittat, vel Ordinandis ad eum perferendas tradat.

7. Vt hæc denunciatio, ſeu inquiſitio fructu ſuo non careat, Paſtor vel Sacerdos denunciationem & inquiſitionem faciens, eodem tempore populo exponat, quinam ſint, qui de iure ad ſacram Ordinationem promoueri non poſſint, vt ſunt.

A.

1. Minores natu.

B.

2. Illegitimè nati.

C. *D.*

3. Bigami; aut qui viduam habuerit vxorem.

E.

4. Rudes & ignari.

F.

5. Corpore vitiati, inſigniter deformes.

G.

6. Serui, qui in aliena ſunt poteſtate.

H.

7. Curiæ aut ratiocinijs obligati.

ca.1.& 5 pa. 432.c. Synod. Diœceſ. An.1551. ſub Adol.3. habit. cap.2. pa.523 b.c.d. Concil. Trid. ſeſſ 23.cap.5. Conc.prouin. ſub Adolph. 3.Medio 2. ca. Quoniã non oportet pa. 432. b.c.

A. Ca. In ſingulis *Diſt. 77.cap.* Nullus *de temp. ord.in 6.Concil. Trid ſeſſ. 23.cap 12.*

B. Ca 1.De filijs Presbyt. in anti. & in 6.Sixtus V. in conſtit. contra illegitimos, ad aliquam religionẽ tranſire volentes, cuius initium eſt. Cũ de omnibus. *Data apud S. Petrum 1587. 6.Kal Decem. Pont. Anno 3. Vide ſupra pag.118. &c.*

C. Diſt. 26.& 34. Titul. De Bigam.

D. Diſt. 34.

E. Cap. Nullus *de temp. ord in 6.Con Trid.ſeſſ.23. ca.4.& 11.diſt 34.ca.* Præcipimus. *cap.* Sacerdos; *Diſt.49.ca.*Illiteratos. *Diſt.36 F. Ca.*Si Euangel. *Diſt 55 vide tit. De corpore vitiatũ. G. Diſt.54 per totam. H. Ca.*Præcipimus. *Diſt.34. Diſt.51.ca.1.2.& 3.ca.*Legẽ *Diſt.53.*

I.

I. *Cap.* Maritum. *Dist* 33. 8. *& seq. Conc. Tole.* 11. *ca.* 13. Amentes, morbo caduco laborantes, Energumeni.

K.

K. *Ca* Quoniam *Dist.* 48. 9. Neophyti.

L.

L. *Conc. Elibert. ca. si In nocent. PP.* 1 *ep.* 22 *ca.* 4. 10. Olim hæretici aut schismatici.

M.

M. *Ca.* Maritum. *Dist* 33. 11. *ca.* Ex pœnitent. *Dist.* 50. Solemniter pœnitentes.

N.

N. *Ca.* Innotuit. *De eo qui furt. ordi susc. Concil. Trid sess.* 23. *ca.* 14. 12. Furtim per saltum promoti.

O.

O. *Dist.* 50 *ca* 1. *&* 2. *&c.* 13. Lapsi post ordinem susceptum.

P.

P. *Cap.* Quoniam. *Dist.* 48. *ca.* Episcopus aut Presbyter. *Dist.* 34 *Tim.* 3 14. Ebrietati, Gulę, aut impudicitię dediti

Q.

Q. *Dist* 34 *per totam.* 15. Qui Vxorem adulteram retinuerint cognouerintq; siue scienter siue ignoranter.

R.

R. *Conc. Elibert ca.* 30. 16. Qui in adolescẽtia mœchati fuerint.

S.

S. *Ca. Maritum Dist.* 13. 17. Vsurarij.

T.

T. *Conc. Trid sess.* 14. *ca.* 7. *cap.* Mitor *&c. Dist.* 50. *&c.* 18. Qui culpa sua hominem occiderint, aut mutilauerint;

V.

V. *Ca.* Aliquos. *Dist.* 51 19. Imò quisquis per iustitiam, seu iusto iudicio cooperans id fecerit.

X.

X. *Ca.* Ex tenore. *ca* Ad aures de temp. ordi. 20. Alijque criminosi, infames, irregulares, aut quouis alio modo, suspensi, interdicti, aut excommunicati.

Conc. Tride. sess. 23. *ca.* 12. *Conc. prouin. sub Herm.* 5. *part.* 1. *ca.* 25. 8. Sine huiusmodi commendatitijs litteris, probitatis & eruditionis, à Magistro scholæ ac à proprio Parocho da

cho datis,& testimonio de prȩmissis proclamationibus, iuxta ordinationem Concilij Tridētini,& Concilij Prouincialis sub Adolpho 3. habiti, nullus ad sacros Ordines admittatur;& quantumuis quis à viris probatissimis valdè commendatus fuerit, etiamsi regularis sit vel sæcularis, Canonicus, Vicarius, aut Clericus, & in monasterio suo à suis Superiorib. vel in Collegio à Decano vel Scholastico Collegij sui, prævio examine ad sacros Ordines iudicatus idoneus, nihilominus ab Episcopo, & Examinatoribus quos sibi adiunget, diligētissimè examinetur, & aliorum testimonio Episcopi & examinatorum ab eo assumptorum plus valeat iudicium.

9. Quoniam Apostolo præcipiente, manus citò nemini imponenda est, & ab ordinandorum examine, ordinandorum prorsus pendet electio; cordi illa debent esse Episcopis & Vicarijs, in Pontificalibus, quę ad examen hoc ritè instituendum, & ad principia sua reuocandum, in Concilijs Prouincialibus sub Hermanno 5. & Adolpho 3. sancita & decreta sunt. Quare, lectione ita illa cognoscant, vt vsu & obseruatione probent.

1 Timoth 5. D. Leo Epist. 87. vide Gregor magnum ca. 3. li. 6. comment. in 1 Reg. Cōcil. prouinc. sub Hermā. 5. parte 1. ca. 17. Concil. prouinc. sub Adolp. 3 Medio 2. cap. 2. pa. 431.

10. Examinatores ne à recto deuient, atq; fauore vel munere corrupti peccent, ad sancta Dei Euangelia iurēt, se munus suum quacunq; affectione sepositā, fideliter executoros, caueantq; * ne quidquam occasione huius examinis, nec ante nec post accipiant, alioquin Simoniæ vitium, tam ipsi quam dantes incurrant.

Ca. Quando Dist. 34.

11. Quæ ex antiquis & nouis Patrum sanctionibus de tempore præsentationis & examinis in Concilio Prouinciali sub Adolpho tertio Ordinandis prescripta sunt; Episcopi ac Vicarij in Pontificalibus, alijque examinatores studiosè, magnaque cum diligentia in vsum ac consuetudinem ducant, & non frustra (perindè ac si ista cura ad eos non pertineret) hæc præscripta & toties repetita esse patiantur.

Conc. prouin. sub Adolp. 3. Medio. 2. ca. Mandam⁹ vt pag 432. c. ca. Quando Dist. 24. Conc prouin. sub Herman. 5. part. 1. cap. 22. & 24. Conc Trid. sess. 24 ca 7.

12. Ad examen nulli pateat aditus, quin honesta Cleri-

cali veſte fuerit indutus, & conuenienti, pro Ordinis ſui ratione corona inſignitus.

Arg. Statut. VVlrami cap. 20. pag. 130. b.

13. *In examine omnia diligenter inueſtigentur & examinentur, quæ Concilium Tridentinum & Concilia Prouincialia, aliæque Diœceſanæ Conſtitutiones, diligenter inueſtiganda & examinanda mãdauerunt cuiuſmodi ſunt: Ordinandorum genus, perſona, ætas, voluntas, intentio, ſcopus, fides, ingenium, indoles, inſtitutio, mores, doctrina, titulus ſiue cẽſus, vel Eccleſiaſticus vel Laicalis. Et ne quid examinatores eorum fugiat, quæ in examinãdis & admittendis hiſce, qui ad aliquem Eccleſiaſticum gradũ, aut Ordinem promoueri cupiunt, conſideranda & expendenda ſunt; ſinguli Examinatores inſtante die Examinis, hæc decreta, & quęcunq; à Concilio Tridentino, tota ſeſſione vigeſima tertia, & à Concilio Prouinciali, ſub Hermanno quinto habito, nec non à Concilio Prouinciali, ſub Adolpho tertio *Medio ſecundo*, primis quinq; Capitibus, atq; in Catechiſmo Romano de ſacro Ordine decreta, tradita, & expoſita ſunt; ad renouandam memoriam, ſtudioſiſſimè domi ſuæ perlegant, eoſdemq; libros ipſo examinis tempore ante ſe apertos habeant, ac præcipua examinis capita ſubindè inſpiciant.*

Syno. Diœceſ. anno 1551. ſub Ado. 3. habit. ca. 2. pa 523. b. c. d.

Conc. prouin. ſub Herman. 5. parte 1. ca. 18. Cõc. Trid. ſeſſ. 23. De reform. cap 12.

14. Circa Ordinandorum ætatem ſeruetur decretum Concilij Tridentini, quod Prouinciale Concilium ſub Hermanno quinto habitum, cum hac de re ageret, ſeruandum eſſe decreuit; nimirum vt nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecũdum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad †Preſbyteratus ante 25. ætatis ſuæ annum promoueatur. Sciant tamen Epiſcopi & Examinatores, non ſingulos in ea ætate conſtitutos, debere ad hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit. *a* Regulares quoq; nec in minori ętate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine, quemadmodum præſcriptum eſt, ordinentur:

† Conc. proui. ſub Henrico ca. 8. pa. 80.

a Supra eod art. 8.

priui

priuilegijs quibuscunq; quo ad hoc penitus excluſis, Si quis autem vel regularis vel ſęcularis, abſq; ſpeciali diſpenſatione Canonica, aut legitima licentia, antè huiuſmodi ætatē, ad aliquē ex ſacris Ordinibus ſe fecerit promoueri, à ſuorum Ordinum executione ipſo iure ſit ſuſpenſus; & ſi ea ſuſpenſione durante, in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerit; eo ipſo irregularitatem incurrat, pręterq; alias pœnas, in tales generaliter à iure inflictas, Beneficijs Eccleſiaſticis, quę obtinent poſſint iure priuari. Quæ omnia & ſingula ex conſtitutione Pij P P. ſecundi, etiam in eis locum habere volumus, qui extra tempora, à iure ſtatuta, vel abſq; litteris dimiſſorijs ſacris ordinibus ſe ingerunt.

15. * Ne quis ſtatim à ſtiua ad ſacros Ordines prouehatur, & qui paulò ante adhuc totus ſęcularis erat, cum ſcandalo ac offenſione populi breui poſt temporis interuallo, antequam ſatis probatus ſit, Sacerdos ordinetur; ea quæ in ſacro Concilio Tridentino ſeſſione 23. cap. 11. 13. & 14. de Ordinibus per temporum interſtitia conferendis, & ordinatis in vnoquoq; ordine exercendis ac probandis ſancita ſunt, eo religioſius & ſtudioſius, Epiſcopi & Examinatores obſeruent, quo neglecta plus damni faciunt, offenſioneſq; maiores in Eccleſiam inducunt. Eo porro delectu, ſcientiæq; experimento, ac vitæ merito, alios ad minores Ordines, alios ad Subdiaconatum, Diaconatum, aliosq; ad Sacerdotium admittāt, vt à Regulis, iiſdem capitibus, à Concilio præſcriptis, in alicuius perſonæ gratiam nequaquam declinēt, nec vnquam, aut regulari aut ſęculari, ad Ordines ſuſcipiēdos, ſpe aut pollicitatione maioris eruditionis, vel pietatis, aditum aperiant, quem in examine nondum idoneum inuenerunt, aut in his quæ Concilium requirit non ſatis inſtructum. Nunquam enim in admittendis & prouehendis his, qui ad Ordines aſpirant, præcipites eſſe debent examinatores: quia etſi plures fortè inuenient, qui ad ſuſci-

Pius PP. 2 in cōſt. quæ incipit Cū ex ſacrorū. Data Romæ apud S. Petrū. An. 1461. 15 Kal. Dec. Pontif. ſui Anno 4. q̄ innouata eſt. per reg. Cāc. Innocent. 8. PP. & Alexand. 6. vt videre eſt apud Felicianū Epiſc. Scalēſ. in Enchi. Decēſ. ca. 14. De ſuſpenſ. Huic conſti. conforme ac cōſonum eſt. Stat. D. Hēr. anno 1327. poſtridie D. Remigij edit. pa. 98. d. Et ca 2. Stat. D. Valr. pa. 110. b.

* Vide Hor. PP. ep ad Epiſc. Hiſp. Innocēt. PP. 1. in ep 4. ca. 5. Cæleſti. PP. ep. 1. ca. 2. 3. Conc. Roma. ſub Nicolao PP. 1 Nullum laicum &c. D. Leo. epiſt. 87 Syric. PP ep. 1 ca. 9. & 10. Zozim. PP. ep. ad Heſichium.

piendos Ordines non sunt idonei, qui tamen dignè eos suscipere queant, eis deesse non possunt, prestatq; paucos habere Ecclesiæ ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus graue adducãt Examinatoribus, ordinatori, & Ecclesiæ.

1. Timoth. 5. D. Greg. cap. 3. li. 6 in primum Regũ. Cap. Tales. Dist. 23. ca. 30 & 35. Concil. prouinc. sub Her. 5. par. 1.

16. Quoniam crebrò compertum est, nonnullos ad sacros ordines, tanquam ad rem prophanam, aut externam dumtaxat cæremoniam, sine vlla religione aut pietate, illotis quod dici solet manibus accedere nouoq; ac maximo scelere, quo sese peccati alicuius mortiferi conscij obstringunt, vniuersam Ecclesiam perturbare: Statutum D. Sifridi (quod omnes Clericos sacris initiandos, Pœnitentiæ Sacramento conscientiam suam purgare voluit, & ieiunos ad sacros Ordines suscipiendos accedere) innouantes statuimus; vt ordinandi tam regulares quam sæculares, præter alia testimonia, quę Examinatoribus exhibenda præscripsimus, ab aliquo Confessario approbato, testimonium obsignatum adferant, quo probent se intra proximos quatuordecim dies confessos esse, & beneficium absolutionis obtinuisse. Confessarijs autem omnibus iniungimus, ac in virtute obedientiæ præcipimus, vt nemini sacris Ordinibus initiando huiusmodi testimonium dent, nisi eius conscientiam bene perspexerint, & quem non solum à Superioribus, parẽtibus, amicis, aut alio aliquo, ad suscipiendos Ordines non coactum, aut alias non inuitum, aut non renitentem: sed tota voluntate sinceroq; affectu, sacram hanc promotionem, vehementer desiderare cognouerint, eamq; magna cum ædificatione, ac vtilitate Ecclesiæ iudicauerint eum posse exercere. Quod vt legitimè fiat, nihilq; prodatur, quod ad sigillum confessionis pertinet, hæc testificationis huius forma erit. *Anno 1594. 20. Martij Ego A. intemplo B. audiui confitentem peccata sua, & sacramentaliter absolui, C. ad sacrum, D. Ordinem aspirantem, eumq; in illis quæ capite 22. & 23. Concilij Prouincialis sub Herman. 5. habiti, atq; in his quæ*

Stat. Sifridi, ca. 9. pa 44. b Conc. prou. sub Herm. 5. par. 1. cap 26. D. Greg. par. 1. pastorali ca. 11.

his quæ articulo (Quoniam crebrò) titulo de Sacramento Ordinis in Directorio Ecclesiasticæ Disciplinæ, Ecclesiæ præsertim Colonienſi accommodato, præscribuntur, examinaui, eiq; ex sanctione eiusdem articuli, sine vllo conscientiæ meæ grauamine, hoc testimonium dare posse iudicaui. Loco A. ponat Cõfessarius nomen & cognomen suum, nec non titulum officij aut dignitatis suæ, atq; nomen Ecclesiæ cui inseruit, Loco B. scribat Ecclesiæ nomen, in qua audita est Confessio. Loco. C. nomen atque cognomen ordinandi, quẽ audiuit; Loco verò D. Ordinem ad quem aspirat.

17. Tituli quoq; ordinandorum, prout cap. 30 Concilij Prouincialis sub Hermanno Quinto habiti præcipitur diligenter discutiantur, nec quis deinceps Clericus sęcularis quamuis aliàs sit idoneus, moribus, scientia & ætate, ad sacros ordines promoueatur, nisi prius legitimè constet eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficij titulum sit promotus, neq; ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde viuere commodè possit: & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò, vel pensionem obtinẽtes, ordinari post hac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicauerit assumendos, pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum: eo quoq; prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem, verè ab eis obtineri, taliaq; esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atq; illa deinceps sine licẽtia Episcopi, alienari aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliũdè habeãt, vnde viuere possint; antiquorum Canonum pœnis super his innouatis.

Concil. prouinc. sub Hermanno 5. parte 1 cap. 2. Statut. VValrami, cap. 1. pa. 110 Conc. Trid. sess. 21. ca. 2. De reformat. Statut. VValrami cap. 20. pa. 129. d. 130. a. b.

18. Tituli igitur Patrimoniales & beneficiales sint in posterũ viginti vt minimũ florenorum aureorũ Rhenẽsium, onerib⁹ deductis, nẽc vllus eorũ, nisi visis litteris, in debita forma expeditis admittatur, & qui huiusmodi titulo

titulo ad Ordines promouebuntur, hoc præstent iuramentum. *Ego N. iuro quod in acquisitione bonorum meorum patrimonialium, ad quorum titulum sum promouendus ad sacros Ordines, nulla fraus, aut dolus intercesserit, quodque illa verè possideo, neque in posterum directè aut indirectè alienabo, nisi fuerit mihi de Beneficio Ecclesiastico æquè sufficienti prouisum: quo casu idipsum non faciam sine consensu mei Episcopi, in litteris ipsius alienationis specialiter exprimendo, Beneficium autem, quod in dicti tituli mei locum successerit, sine simili consensu non resignabo. Ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

19. Cum de titulo Ecclesiastico diuitibus ferè melius solet esse prospectum, quàm pauperibus, & contra inter pauperes frequenter aliqui inueniantur scientia & moribus, ad Ordines suscipiendos magis idonei, quàm plerique diuites: nullus admittatur ad suscipiendos sacros Ordines, qui pręter Beneficium, quod ad eius vitam honestè sustentandam sufficit, aliud quodcunque Beneficium Ecclesiasticum habet, aut qui, si vnum illi, ad vitã honestè sustentandam non sufficiat, aliud præterea incompatibilè, sine legitima dispensatione Beneficium obtinet. Quod si verò quisquam, illud se legitima dispẽsatione obtinere dicat, eandem ostendere cogatur.

Ca. 121 Conc. Aquisgran. sub Ludoic. Imp.

Conc. prouin. sub Herm. 5. par. 1. ca. 29. Conc. prouin. sub Adolp. 3. Medio 2. ca. 3. & 9. Cõcil. Trid. sess. 23. cap 8. Ca 11 sess 7. Cõ. Trid. in Synod. Diœcesana anno 1551. sub Ad. 3 public. pag. 512. b. et Cõc. Trid. sess. 14. ca. 2 & 3.

20. Vnusquisq; à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus, permittatur, nisi primum à suo Episcopo probetur, & examinetur, & illius testimonio, examinati & probati probitas ac mores commendentur; si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quam diu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus, & facultates de promouendo à quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à proprijs Episcopis ordinari non possint, in litte-

litteris expreſſam: & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidẽte, & diligẽti præuio examine.

21. Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum, ordinare non poſſit, niſi per triẽnium ſecum fuerit commoratus; & Beneficium quacunq; fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat, conſuetudine quacunq; etiam immemorabili, in contrarium non obſtante. *Conc Tride. ſeſſ. 23 de reform. ca. 9.*

22. Abbatibus, ac alijs quibuſcũq;, quantumuis exemtis non liceat in poſterum, intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſubditus non ſit, tonſuram vel minores Ordines conferre, nec ipſi Abbates & alij exempti, aut Collegia vel Capitula quęcunq; etiam Eccleſiarum Catdedralium, litteras dimiſſorias, aliquibus Clericis ſęcularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant; ſed horum omnium ordinatio, ſeruatis omnibus, quæ in Decretis ſacroſanctæ Tridentinæ ſynodi cõtinentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtant, pertineat: non obſtantibus quibuſuis priuilegijs, præſcriptionibus aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. *Ibid. cap. 10.*

23. Pœnam impoſitam ijs, qui contra eiuſdem ſanctæ Synodi, ſub Paulo 3. Decretum, à Capitulo Epiſcopali, ſede vacante, litteras dimiſſorias impetrant; ad illos, qui eaſdem litteras non à Capitulo, ſed ab alijs quibuſuis, in iurisdictione Epiſcopi loco Capituli, Sede vacante, ſuccedentibus obtinerent, ab eadem Synodo, publicamus eſſe extenſam. Concedentes autem dimiſſorias, contra formã decreti, ab officio & Beneficio per annum ſint ipſo iure ſuſpenſi. *Seſſ. 7. De reform ca. 10.*

24. Omnes qui ordinantur, quocunq; titulo ordinandi ſunt, alicui Eccleſiæ ſtatim aſſcribantur, vbi ſuis fungantur muneribus, nec incertis vagentur ſedibus, & in proximi Ordinis ſuſceptione, examinentur ſinguli, nũ in ijs Eccleſijs quib⁹ aſcripti fuerint, ſuas fũctiones obierint. *Conci. Tride. ſeſſ. 23. ca 16. De reforma. Concil Chalcedon. ca. 6.*

25. Pridiè eius diei quo Ordines conferendi erunt, ordinator, vel eius nomine ac iussu, alius quisquam Sacerdos doctus ac grauis, ordinandos omnes ac singulos, simul congregatos, eorum admoneat, de quibus, illos Cõcil. prou. sub Herm. 5. habitũ ca. 26. * & synodus Diœcesana A° 1551. sub Adol. 3. acta ca. 2. diligenter commonẽdos esse voluit, præcepit, ac mãdauit; planissimeq; exponat, omnes eos qui sacris Ordinibus initiandi sunt, solemne perpetuæ castitatis votum facere, ac Sacerdotes corporali iuramento se obstringere, quod Episcopo, ad cuius Parochiam ordinandi erunt, secundum iustitiam ac ministeriũ suum, obedientes ac consentientes esse velint; ideoq; se ipsos diligen ter explorent, & excutiant, neq; ad susscipiendos Ordines reuertantur, quin sentiãt & sperent, atq; adeò coram Deo certissimè constituant, se Deo adiutore, perpetuò continere posse & velle, atq; obediẽtiã, quã iureiurando Episcopo suo promittent, se per gratiã Dei, omni mũdano timore postposito, præstituros & exhibituros, omniaq; mala forti cõstãtiq; animo (prout Sacerdotes Dei altissimi decet) potius esse passuros, quã malo cõsensuros, & Spiritui sancto mẽtituros, confidãt.

† 26. Et ne quis incaut⁹ peccet, ac cẽsurarũ Ecclesiasticarũ vinculis, per Ordinis susceptionem se imprudens inuoluat, impedimẽta, quę à sacri Ordinis susceptione ordinãdos, sacra præceptione prohibẽt, eis recẽseat, ac præsertim ipso iure, sine vlla exceptione suspẽsos esse declaret, quicũq; vel regularis, vel sęcularis absq; speciali dispẽsatione Canonica antè legitimã ętatẽ, vel absq; litteris dimissorijs sui ordinarij (si qui fortè alterius fuerint Diœcesis) vel per saltũ ad aliquẽ ex sacris Ordinibus se fecerint promoueri; & si ea suspẽsione durãte, sacris ministerijs se ingesserint, eo ipso irregulares factos esse.

27. Denũcient præterea omnibus, nullũ fori priuilegio gaudere posse, nisi habitum & tonsurã deferat Clericalẽ.

28. Deniq; cum sub pœna suspensionis & excõmunicationis

* Parte 1. Pag 346. Synod. Diœcesan. sub Adol. 3. an. 1551 habita cap. pag. 523. b. d 524. a. b.

Ca. vnico De voto & voti redempt. in 6.

Vide Concil. Tolet. 4. ca. 26. & Conc. Iple. 11. ca. 10.

† Vide supra tit. eod. artic. 14. Cõc. Trid. sess. 23 de reform. ca. 24. Stat. Sifr. ca. 9. pa. 44 b. Conc. Tride. ib. ca. 6 Bonifacius viij. in 6. De Clericis coniug. ca. Clerici qui vnicis. cap. Quoniam de vita & honestat. Cler. lib. 3. in Clem.

tionis à Sifrido præceptum sit, ne quis ad sacrum Ordinē præficiendus Ordine suo suscepto recedere audeat, priusquam sacro Missæ officio absoluto, dataq; vltima benedictione, abeundi licentia facta sit: illudq; præceptum in omni ordinatione publicetur: huius etiam rei pridiè ordinationis, ordinandos omnes prǽmonitos esse volumus, atq; ipso ordinationis die, facto silentio publicationem hanc, tam clara ac intelligibili voce fieri; vt nullus inexcusabilis esse queat. *Stat. Sifr. ca. 9 pa. 44.*

29. Ipso autem ordinationis tempore, breui ac congrua oratione Episcopus singulos officij ac vocationis suę, rursum grauiter admoneat, & ad exequenda illa, quę sese facturos & præstituros, solemni professione ac Sacramento receperunt, quæq; à sacris Canonibus ipsis præcipiuntur, atq; ex disciplina Ecclesiastica facere singuli tenētur, eos animet, atq; confortet, vt memores eius quod scriptum est: *Sancti estote quoniam ego sanctus sum:* in quocunq; Ordine fuerint, conuersatione, sermone, & scientia, commisso sibi Dei populo præeant; & iuxta Apostoli vocem, nemini dent vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se, sicut ministros Dei; ne illud prophetę dictum impleatur. *Sacerdotes Dei contaminant sancta, & reprobant legem.* *Synod. Dioces. sub Ado. 3. an. 1551. ha. ca 2. pag. 523. d.* *Leuit. 11.* *2. Cor. 6.* *Conc. Tride. sess. 14 in pro œmio De reform.* *Ezech. 22.*

30. Illos quibus de Ecclesiasticis Beneficijs prouisum est, omnesq; Subdiaconos, Diaconos, ac Sacerdotes moneat, ad persoluendum pensum precum horarum Canonicarum, astrictos esse; & si id sine iusto ac legitimo impedimento neglexerint, præter peccatum mortale quod faciunt, Beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis officij & temporis, se suos non facere. ijsdem porrò mandet, vt in precandi ritu, Ecclesiæ Cathedrali cui subiacent, sese conforment, doceatq; eos non satisfacere, qui alium ab illo legendi ritum seruant, his dumtaxat exceptis, qui sequuntur Breuiarium Romanum, iuxta ea quæ titulo de diuinis officijs, cap. De vniformitate *Vide supra tit. De Canonicis art. Ad horas pagina 210. 211.*

mitate officij à nobis decreta sunt, & si quid præterea Spiritus sanctus suggesserit, corrigendum, admonendũ, vel docendum, hoc eo diligentius & lubentius tum faciant, quo auditorum animi, professionis & sacri Ordinis nouitate, ad intelligendam & adimplendam voluntatem Dei sunt paratiores.

31. Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis à iure tẽporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis præsentibusq; ad id Ecclesiæ Canonicis, publicè celebrentur; si autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior quantum fieri poterit Ecclesia semper adeatur.

Conc. Trid. sess. 23. cap. 8. De reform.

32.* Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ; nec pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunq; de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alij Ordinum collatores, aut eorum ministri quouis prætextu accipiant. Notarij verò seu scribæ in Diœcesi Colonensi, ex decreto Concilij Prouincialis sub Hermanno Quinto habiti, vnum dumtaxat album accipiant, in alijs verò eiusdem Prouinciæ locis, sicubi non viget laudabilis consuetudo, nihil accipiendi, decimam tantum vnius aurei Rhenensis partem accipere possint.

**Conc. Trid. sess. 21. ca. 1. Causa 1. qu. per totam*

Concil. prou. sub Herm. 5. par. 1. ca. 28.

33. Ne quis fingat se esse in aliquo ordine, in quo non sit; singuli tam regulares quam sæculares Ordinis, quo initiati sunt, litteras, quæ formatæ vulgò dicuntur, ab Ordinatore suo accipiant, aliàs vt in superioribus statuimus, ab ignotis non admittantur.

Stat. Henri. Anno 1330. edita. cap. 9. pa. 102. d. Supra tit. De Decani ruralibus art. Ne quis vagus. pa. 195.

DE

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

ETSI pro necessaria reformatione, de Sacramento Matrimonij aliàs in Synodo Diœcesana, & in peculiari† quadam Cõstitutione, præcipua quædam capita ex Conc. Trid. publicauerimus; nihilominus cùm sãcta res sit Matrimonium, ac sanctè tractandum, eadem nimis frequenter repeti non possunt, quàm diu religiosa obseruatione, firmè non tenentur. Quare pro exactiori obseruatione, & executione eorum, quæ aliàs, vel à Synodo Tridentino sancita, & à nobis publicata, vel in Prouincialibus & Synodalibus constitutionibus statuta sunt, quædam ex illis repetenda, & quædam illis adijcienda iudicauimus. 1. *Synod. Diœcef. An. 1589. in vere habita.* † *In mandato quod an. 159⁰. Dominic. 6. post Trinit. quæ fuit. 21. Iulij publicatũ est. quod incipit.* Quia parũ esset *et Datũ Colo. 11. Iulij Anno 1591.*

2. Sponsalia, quæ futurarum nuptiarum promissio sunt, & Matrimonij Sacramentum, iustas ob causas, ex Ecclesiæ consuetudine, semper præcedere debent; nunquam contrahantur, nisi coram proprio Parocho, vel eius Vicario, & duobus vt minimum consanguineis, seu contrahentium amicis, aut saltem alijs honestis, & fide dignis testibus, non noctu aut in priuatis ædibus (multò minus in œnopolijs, aut tabernis potorijs) sed interdiu, & in loco sacro, ac non nisi à sobrijs animoque benè deliberato.

3. Priusquam sponsalia contrahantur, separatim à Pastore examinetur desponsandus, & separatim desponsanda, an sint Catholici? an nouerint rudimenta fidei? an sint confirmati? an nullius sibi conscij sint impedimenti, quod contrahendum Matrimonium impedire posset? nullumque se scire iurent. Nullusque posthac ad contrahendum Matrimonium admittatur, qui ignorat orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & quinque præcepta Ecclesiæ, neque ille qui confirmatus nondum est. Et quia coa-

ctę nuptiæ luctuosum plerumq; habent exitum, diligenter ab ijs inquirat, an sponte & animo lubenti, soluto ac libero, nō vi aut metu parentū, amicorum aut aliorum coacti ad Matrimonium procedant. Quod si inuenerit alterutrum ad cōtrahendum coactum esse, nullo modo ad contrahenda sponsalia procedat, neque alteri vices suas committat, sub pœna suspensionis ab officio & Beneficio. Eos verò qui quouis modo directè vel indirectè, subditos suos vel quoscunq; alios cogunt, quo minus liberè Matrimonia cōtrahant, ipso facto anathemati subiacere volumus.

Conc. Tride. sess. 24. ca. 10.

4. Laborent Parochi vt sponsalia clarè contrahantur, seruata forma in Pastorali Cathedralis Ecclesię suæ præscriptam, ac vigilanter caueant, ne eiusmodi verba à desponsandis proferantur, quibus Matrimonium inter se contrahant: nimirum, vt quisq; non quidem asserat per verba de præsenti, se alteri fidem suam dare, eumq; vel eam in coniugem suam vel suum accipere; sed promittat dumtaxat, se alteri fidem suam daturum esse, & si non obstiterit aliquod Canonicum impedimentum, in coniugem esse acceptum.

† *Synod. Diœces. ann. 1330 sub Henr. habit. ca. 8 pag. 102. b. c Statut. Fride. ca. 12. pag. 193. d 194. a. Concil. prou. sub Ad. 3. in cēs. et de er ca. Fit sępè pa. 454 d. Conc. Tride. sess. 24. De reform matri. ca. 1. * Conc. prou. sub Adolp 3. in cens et de er. ca. Fit sæpè. pa 454 d.*

5. † Antequā Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentiū Parocho, tribus discontinuis diebus festiuis in Ecclesia, inter Missarū solemnia publicè denūcietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur, iuxta formam in Pastorali cuiusq; Ecclesiæ Cathedralis præscriptam.

6. * Si desponsi diuersarum sint Parochiarum, tunc Pastor sponsæ, corā quo sponsalia iniri consueuerunt, scribat Pastori alterius Parochiæ, huiusmodi sponsalia à se celebrata esse, eumq; requirat, vt vnà secū proclamationes desponsorū legitimè faciat: quib. sic hinc indè factis, Parochus ille, qui Matrimonium non celebrabit, scribet alteri

alteri Parocho; se proclamationes requisitas fecisse, ac si nullū impedimētum sit insinuatum, aut à se cognitum, hoc ipsum etiam testabitur. Nec non & illud, quod spōsus sit Catholicus, qui facta Cōfessione peccatorū suorū, ac sacra Communione susceptā, ad Matrimonij gratiam se præparauerit, aut quàm primum se præparare velit. Si verò desponsi diuersorum sint Episcopatuum aut Decanatuum, corroborandæ erunt litteræ Parochi illius, qui Matrimoniū nō solemnizabit, Episcopi aut Decani ruralis testimonio, nec antè desponsi ad Matrimonij solēnitatem admittātur, q̄ tota res hoc modo peracta fuerit.

7. Vt Parochi scire possint, & desponsis indicare, quo in loco vel locis, eorū denuntiationes fieri debeant, & quibus attestationibus indigeant, vt ad Matrimonij solemnizationem procedere possint: antequam desponsentur, diligenter ab eis quęrant nomina, cognomina, parentes, & patriam vtriusq;, & sub qua parochia pro maiori vitæ parte, maximè post pubertatis annos, si adolescētes, sint; si verò aliquādo coniugati fuerint, post mortē cōiugum habitauerint, & veritate rei probè intellecta, denūciationes fieri in istis locis curēt, in quibus 7. vltimis annis habitarūt. Quod si fortè quatuor annis, vel circiter in vnà, & trib. vel circiter, annis in alia parochia habitauerint: eo casu illorū denunciationes in vtraq; parochia fiant.

8. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes; tunc permittente Episcopo, vel eius Vicario aut Officiali, vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus, Matrimoniū celebretur, deindè ante illius consummationem, denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimēta, facilius detegātur; nisi Ordinarius ipse iudicauerit expedire: vt prædictæ denunciationes remittantur. *Conci. Trid. sess. 24. ca. 1. De reform. Matrim.*

9. Parochus qui trinas, trib. diebus Dominicis, aut festis discon-

Stat. Sifr. suspendunt eũ ab officio & beneficio. ca. 12. pa. 194. a.

discontinuis proclamationes non fecerit, antequam Matrimonio iungat coniuges, nisi remissionem earundem viderit, per Episcopum vel eius Vicarium, aut Officialem in scriptis factam, grauiter Ordinarij arbitrio puniatur, non obstante quacunque per eum prætensa, in cæteris exemptione.

Stat. Sifr. ca. 10. pa. 45 d. Stat. Herm. 4. §. 7. & 8. pa. 272. facie 2 b. c.

10. Si futuro Matrimonio se quispiam opponat, aut aliquod Canonicum desuper impedimentum denunciet, vel si ambiguum fuerit, an Matrimonium de iure subsistere possit: non prius Parochi, ad alias denunciationes, aut Matrimonij solemnizationem progrediantur, quàm ad Ordinarium, aut eius Officialem delata, quid de ea fuerit ordinatum, authenticis litteris cognouerint; etiamsi post oppositionem semel interiectam, partes inter se conuenire, & impedimenti denunciatorem, in denunciationes, quæ desiderabantur, aut Matrimonij celebrationem consentire contingat.

Stat. Sifr. ca. 10. pag. 45. a.

11. Si quis certo sciat, vel verisimili coniectura credat, inter eos quorum nomina publicè sunt recitata, impedimentum esse, quo Matrimonium reddatur illegitimum, idque fauore, odio, negligentia, vel quia sua putet non interesse, aut alia quacunque ex causa celauerit, criminis denuncietur particeps, & graui pœna mulctetur.

12. Vt impedimenta Matrimonij, omnibus magis obuia sint, magisque innotescant, ne ex eorum ignorantia deinceps facilè peccetur, qua quàm plurimos grauibus censuris Ecclesiasticis diu irretitos fuisse deprehendimus; & vt in primis eos non lateant, qui ea maximè scire tenentur, & per quos alij ea cognoscere debent: præcipimus omnibus Parochis, eorumque Vicarijs, ac in vniuersum omnibus Confessarijs, vt studiosè legant, & obseruent, ac Concionatoribus, vt data & accepta occasione publicent, populoq; exponant, quę de impedimentis, Matrimonium vel contractum dirimentibus, vel contrahen-

trahendum impedientibus,à Concilio Tridenti.sess.24. de reformat. Matrimonij sancita & decreta sunt, & quæ Doctor Martinus Nauarrus ab Azpilqueta in Enchiridio Confessariorum & pœnitentium, cap. 22.vbi de Sacramento Matrimonij, eiusque impedimentis agit, ad Confessariorum ac pœnitentium instructionem, ex sacris Canonibus congessit. Quod si verò aliqui Parochi,aut Parochorum Vicarij tam rudes fuerint, vt quæ de impedimentis sancita, decreta, ac constituta sunt, intelligere ac discernere non norint, peritiores consulant: alioqui si scienter in gradibus prohibitis, alijsue Canonicis impedimẽtis aliquos coniunxerint, ad annũ suspendantur,aut alia arbitraria pœna puniantur.

13. Quoniam coniuges in fide dissentientes, indiuiduam vitæ societatem concorditer agere, & proles ad Dei cultum educare nequeunt: ac præterea multa ac magna coniugibus fidelibus, ab hæreticis seductionis, aliaque salutis animarum pericula imminent: innouandam esse duximus antiquorum Canonum authoritatem, qua inter impedimenta contrahendum Matrimonium impedientia recensetur hæresis, ac fideles cum hæreticis nuptias contrahere prohibentur. Quare Pastores in cognoscendis impedimentis, & faciendis proclamationibus, non minorem huius inquisitionis habeant rationem, quam aliorum impedimentorum: & si alterum coniungendorum hæresi infectum, aut non temerè suspectum inueniant,eos non coniungant, nisi parati sint hæresin abiurare, & fidei professionem facere.

Concil.Elibertin.cap.16.cap. Cauc *& sequent.28.quæst.1.cap.* Decreuit. *titul.De hæret. in 6.Tertulli libr.1.ad vxorem, circa principium explicans illud.* 1 *Corint.7.* Tantum in Domino. *Cyprian.libr.* 3 *ad Quirinum, cap.* 22. *Hieron.lib.1.contra Iouinianum Theophilact.& Ambro in comment.eiusd loci.& Ambr.lib.8 in Lucam.*

14. Ex decreto Concilij Tridentini aliàs à nobis publicato, irritus & nullus ab omnibus habeatur contractus, irritumque ac nullum Matrimonium quod con- *Conc. Trid. sess.24.De reformat. Matrim.cã.1.*

trahitur, aliter quàm præsente proprio Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus.

15. Quare irrita ac nulla habeantur omnia Matrimonia, ab ijs contracta, qui sunt oriundi ex aliquo loco, vbi prædictum decretum sessionis vigesimæ quartæ Concilij Tridentini de reformatione Matrimonij publicatum est, nisi contracta sint coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote, ad hoc specialem potestatem habente, & ijs non obstantibus, decernimus & declaramus, si induci non possint, ad dicta Matrimonia ratificandum, & in facie Ecclesiæ de nouo celebrandum, conuolare eos posse, ad alias veras nuptias, etiam adhuc viuentibus, quas sic contra Canones duxerint, coniugibus, & sic sæpè populum doceri, vt in posterum ab huiusmodi Matrimonijs omninò abstineant, hortamur & præcipimus.

16. Etsi per hanc sanctionem irrita sint clandestina Matrimonia, minimè tamen per illam sponsalia clandestina irrita esse intelligantur. Quare, pro maiori securitate & corrigenda desponsatorum facilitate ac inconstantia, non facilè consentiant Parochi, vt illi, qui in ætate legitima constituti sponsalia contraxerunt, se mutuò ab eiusmodi promissione futurarum nuptiarum propria voluntate absoluant; sed illos spiritualis curiæ promotori seu Fiscali denuncient, vt causa per Episcopum aut eius Officialem discussa, si ea secundum iuris dispositionem legitima sit, ab eiusmodi promissione absoluantur.

Conc. Trid ibid. Stat. Sifrid. cap. 10. pag. 44. d. Concil prou. sub. Henric. cap. 22. pag. 82. d.

17. Ordinarij iudicio, graui, ac cõpetenti pœna puniatur Parochus, vel alius Sacerdos, qui Parochi nomine, cùm minore quàm præscriptũ est, testiũ numero; & testes qui sine Parocho vel legitimo Sacerdote, huiusmodi contractui interfuerint, nec non & ipsi contrahentes.

18. Quando ob periculum persecutionis, alius magis idoneus

idoneus testis haberi non poterit: coram duabus fœminis, aut impuberibus, doli capacibus testibus, & proprio Parocho, vel alio Sacerdote ad hoc potestatem habente, contractum Matrimonium ratum habeatur: quoniam non rei arduæ, aut difficilis, sed luculenter manifestæ, quam obseruare etiam fœminæ, ac impuberes doli capaces, æquè ac viri possunt, testes requiruntur.

19. Parochus vel alius Sacerdos, siue Regularis siue secularis, qui alterius Parochię sponsos, sine illorum Parochi aut Ordinarij licentia in scriptis, & de proclamationibus in loco fixæ eorum residentiæ attestatione, coniungere aut benedicere ausus fuerit: ipso iure ab Officio tam diu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Benedictio autem à proprio Parocho fieri debet, nec à quoquam nisi ab ipso Parocho, vel ab ipso Ordinario licentia ad prędictam benedictionem faciendam concedi potest, quacunq; consuetudine vel priuilegio non obstante.

Conc. prouin. sub Adolp. 3. in cens. & de cret. cap. Fit sæpè pagina 454. d. Conci. Trid. sess. 24. ca. 1. De reforma. Matrim.

20. Matrimonijs eorum qui alterius regni aut regionis sunt, vel qui vagantur, & incertas habent sedes, præcipimus Parochis ne interfint; nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi in scriptis obtinuerint.

Conci prouì. sub Herm 5. par. 7. ca. 45. Conc. Trid. sess. 24. ca. 7. De reform.

21. Ne dubium esse possit, quis habendus sit proprius Parochus; declaramus eum esse proprium Parochum, qui contrahendis aut benedicendis Matrimonijs adesse debet, in cuius parochia vir aut fœmina, quæ Matrimonium contrahere cupit, animo ibidem residendi, non autem statim ad propria redeundi, vel aliò commigrandi sedem fixerit, ita vt studiosi qui in vniuersitate, vel alibi studijs dant operam, & alij similes, sedem fixam non habentes, non censeantur illius esse Parochiæ vel Diœcesis, quo ad dictum effectum Matrimonij contrahendi.

Cõgreg. Cõci. Trid. sub Pio V. et sub Gre. 13.

22. Doceantur omnes Christi fideles, qui Matrimonio iungi affectant, qua fide, qua religione, quibus de causis id faciendum sit & quę viri, quę vxoris sint officia: atq; admoneantur: vt antequam contrahant vel saltem triduò ante Matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, atque ad sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, piè accedant. Grauiter enim illi peccare censendi sunt, qui Sacramenti huius sanctitatem, per conscientiam peccati mortalis violare præsumunt, cuius criminis Pastores aliosque Sacerdotes iudicamus esse participes, qui peccatis manifestis obnoxios, sine præuia confessione ad celebrandum hoc Sacramentum admittunt, scriptum † est enim: *Nolite sanctum dare canibus.*

† Matth. 8.

Adolph. 3 in his quæ à Decanis & Pastorib. inquirenda sunt. §. 40. pag 486 c. Concil. prouin. sub Herman. 5. part. 7 cap. 40 41. Concil Trid. sess. 24. De reformat. Matrimon cap 1. Catechis Concil. Trident. Magister sententiarum li. 4. Dist. 30 §. D. Dist. 32. per totam D. August. cap 9. De S. Virginit. & lib. 1 De nupt. & concupiscen. cap. 13. 15 & 16. D Hieron. in c. 18. Ezech. August. quæst 64 super Leuit Ioan Hessel. ca. 135. in Decalog.

23. Fornicationis adeoque etiam stupri reos fore desponsos moneat Parochus; si antequam legitimè celebratum sit Matrimonium carnali copula commisceantur. Quare in eadem domo ne cohabitent, aut pernoctẽt; & si cohabitabant; donec sacerdotalem benedictionem in templo susceperint, separentur.

Conc. Tride. sess. 24. cap. De reforma Matri. ca 10.

24. A Dominica prima aduentus, vsq; in diem Epiphaniæ; & à feria quarta cinerum, vsque in octauam Paschæ, inclusiuè, antiquæ solemnium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus obseruentur.

Conc. proui. sub Adolp 3. in cens. & decret. cap. Superbã pag. 454 d. Concil prouinc. sub Hermã.

25. Eum, qui alio tempore, quàm iura permittunt, vel alibi quam in Ecclesia, publicè intra Missarum vt hic moris est solemnia, sine Ordinarij, eiusue Vicarij aut Officialis licentia, in scriptis obtenta (quam non nisi grauissimis de causis, & vrgente magna necessitate, concedi volumus) iungendos Matrimonio copulauerit, pœnam

suspen-

suspensionis ab officio, à Concilio prouinciali sub Adolpho tertio, in huiusmodi præuaricatores latam, incurrisse declaramus. 5. parte 7. ca. 44.

26. Quibus temporibus Ecclesia prohibet nuptias, ijsdem multò magis prohibet publicas choreas, & solēnitates nuptialium conuiuiorum, ac sponsarum publicas traductiones: Ideoq; si quid horum dictis temporibus factum fuerit, sponsus & sponsa incurāt pœnam viginti aureorum Rhenensium, burse communi pauperum suę parochiæ, iudicio Pastores & ædituorum parochialis Ecclesiæ, applicandam cui ex nunc prout ex tunc ius acquisitum declaramus.

27. A sponsarum traductione, ac nuptiarum benedictione absit omnis leuitas, nihilq; in his fiat, quod Sacramenti sanctitatē dedeceat, aut quod his qui calumniandi Ecclesiam occasionē quærunt, ridendi aut subsannādi causam præbeat.

Concil prouinc. sub Hermanno quinto, parte 7. cap. 47. Concil. prouinc. sub Adolp 3. in censuris & decretis. cap. sępius experti. pag. 454 c. & in his quæ à Decanis & Pastoribus inquirenda sunt. §. 47. pag. 487. a.

28. Ad nuptialia conuiuia, iuxta cōstitutionē Synodi Diœcesanæ Anno 1550. feria quinta post Remigij sub Adolpho tertio habitæ, ciues in opppidis non vltra tres mensas instruant, seu ne plures inuitent, quam duabus mensis accumbere possint, quæ ita instructæ sint, vt magis Christianam modestiam, piamq; ac prudentem animi moderationem præ se ferant, quàm vanam diuitiarum aliquam iactantiam, aut superbam facultatum ostētationem. Et qui inuitati fuerint, ab immoderatis donarijs, & à superba æmulatione, qua alter alterum, doni magnitudine supra vires suas superare contendit, sese modestè contineant. *Synod. Diœcesan. 1550 feria 5. post Remigij. sub Adolp 3 habita. in mandato Cuius initium est. Quum inter omnia. pag 517. a. b.*

29. In nuptijs eorum qui illegitimè ex Clericis procreati sunt vitetur omnis Pompa, ac solemnitas nuptialis.

Concil prouinc. sub Conrado Archiepiscopo. cap. 1. pag. 10. b.

30. Ne falsa Matrimonij specie aliqui decipiantur, & in certo damnationis statu securi diutius viuant, ac Ecclesiæ tranquillitatem suo scelere perturbent: mandamus omnibus Parochis, vt si quem in suis Parochijs habeant, qui mulierem vxoris loco foueat, vtrumque ad Matrimonij contractum, aut si Canonicum subsit impedimentum, cur matrimonio iungi non possint, ad separationem seriò hortētur: & si sic moniti matrimonium non contraxerint, aut sese à mutua cohabitatione, & cōsuetudine non separauerint, eos ab Ecclesiasticis sacramentis prorsus arceāt, & Ordinario vel eius Officiali denuntient, iuxta sacros Canones & sanctum Concilium Tridentinum puniendos. Religiosos verò & Moniales, religionem aliquam solemni voto professos, Clericos quoq; omnes, aliquo sacro Ordine initiatos, qui matrimonialiter contrahere præsumpserunt, nec non & eos, qui scienter cum consanguineis, vel affinibus, in gradibus Canonica constitutione interdictis, aut cū monialibus matrimonialiter sese iunxerunt, similiter Ordinario aut eius Officiali prodant, & eos tanquam excommunicatos ab omnibus tam diu esse habendos publicè nūtient, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab inuicem, & absolutionis beneficium obtinere mereantur.

Concil. prouinc. sub Herman. 5 parte 7. cap. 43. Concil. prouinc. sub Adol. 3. in censuris & decretis cap. Sepius experti *pag. 494. b. c. statut. Herman 5 in mandato cuius initium est.* Querelam grauem. *pag. 322. 323. Concil. Trid. sess. 24. De reform. Matrim. cap. 8. & sess. 25. cap. 14 reformat. Cap. vnico De consanguinit. & affinit. in Clement. Synod. Dioeces. anno 1548. in Octob. sub Adolp. 3. habita in mandato cuius initium est.* Volentes tranquillitati. *pag. 416. c. d. Concil. prouinc. sub Adolp. 3. in censuris & Decretis cap. 2. pag. 444. a. b. Synod. Diœcesa sub eodem Adolp. anno 1550. in vere habita. pag. 465. d.*

Conci. Tride. sess. 24. ca. 8.

31. Quamuis iustas ob causas inter legitimos coniuges fieri aliquando possit diuortium: ne tamen id temerè fiat, ac matrimonij Sacramento, quo indissolubili vinculo, per mutuam fidem sibi astricti sunt coniuges aliqua imprudentia (Christianæ religionis ac pietatis inimico operante) magna iniuria fiat, prohibemus ne ali-

Capi. Porro Extra de Diuortijs.

ne aliqui priuata authoritate non intercedente Ecclesię aut Ordinarij iudicio se separent, aut se muturò epudiēt. Qui secus fecerint, à sacra Communione repellantur, quamdiu in peccatis suis manserint, aut huic decreto nō satisfecerint, ac pro facultatibus suis Ordinarij iudicio pecunia mulctentur, pauperum congregationibus donanda.

Synod. Diœces. sub Ado. 3 an. 1550. in vere hab. pa. 465. d. 466. a.

32. Quoniam cognoscere de Matrimonij causis, solius Ecclesiasticæ est potestatis & iurisdictionis; latam esse denunciamus excommunicationis sententiam in Magistratus ac Iudices sæculares, qui in matrimonialibus causis, inter subditos suos, aut alienos iudicant, vel dispensandi, aut transigendi potestatem in matrimonio, ac gradibus prohibitis sibi vsurpant.

Conc. prou. sub Adol 3. Medio 5. cap. vlt pa. 443. a.b.

DE FESTORVM DIERVM CVLTV.

VT dies festi à Christi fidelibus, ad honorem, gloriam, & celebrationem nominis Dei, religiosè sanctificentur, & ad fidei ac religionis, spei & charitatis prouectionem, in debita reconciliatione, ac gratiarum actione (ad quod præcipuè seruiunt) sanctè ab omnibus traducantur; quò & populus fidelis, cognitione, amore, atq; desiderio Domini Dei, creatoris ac redemptoris sui, eiusque beneficiorum grata recordatione, alijsq; Christiani hominis sacrificijs & officijs istis diebus magis magisq; Deo appropinquet, & Deus Opt. Max. in benedictionibus multis dulcedinis, abundantius populum suum prę- *Conci. Trident. sess. 25 de delectu ciborū ieiunijs & diebus festis.*

1.

ueniat: omnem operam ac diligentiam, Pastores ac Cōcionatores omnes, in eo ponere debent; vt populus Christianus festorum dierum causas cognoscat, & à quibus actionibus abstinere hisce diebus debeat, quibusque contra, toto animo & corpore incumbere; qua facilitate, fructu, ac vtilitate, Ecclesiæ, naturæ, ac Dei lex, in hisce præstandis seruetur; qua contra temeritate, quo

Concil. prou. sub Hermā. 5. parte 9. ca. 9.

Synod. Diœc. ſub Adol. tertio an. 1550. fer. 5 poſt Remi. habit in mandato cuius initium eſt. Quum inter omnia. pa. 516 a. Vide etiam Ioannem Heſſelium in Decalogum.

quo ſcandalo, totiusque Reipub. Chriſtianæ detrimento, qua deniq; pœnarum, ac ſuppliciorum obligatione, ſe Chriſtianæ religionis, ſanctarum legum, ac Dei hoſtes eſſe declarent, qui ea præſtare omninò negligunt, clarè intelligat planeq; perſpiciat. Quæ vt facilius præſtent, documẽta, & inſtructiones Catechiſmi Romani, de tertio Decalogi præcepto, ſtudiosè perlegant, & ſequantur, eademque & hæc noſtra decreta, non ſolum verbi prædicatione, ſed & factis ipſis, ac vitæ actionibus, quod eſt perpetuum quoddam prædicandi genus, populo perſuadeant, ac in vſum & conſuetudinem perpetuam ducant.

Cõci. Tribu. can. 35. conci prouinc. ſub Mic Cuſano art. 8. pa. 248 a. Conc prou. ſub Herm 5. par. 9. ca. 10. Syno. Diœc. ſub Adol. 3 an. 1550. fer. 5 poſt Remi. hab. in mãdato cuius initium eſt. Cum inter omnia. pa. 516 a. b. c. d. & in his q̃ à Decanis & Paſtoribus inquirenda ſunt § 83. pa. 488. d. ca. 1. et 3. tit. de feri. Cõc. Arelian. 3. can. 21. Cõcil. Toleta. 3 can. 22. D. Aug. in epiſt. 64. D. Chry

2. Prohibita diebus feſtis habeantur hæc: mercatus; placitum; ſententia in cauſa criminis; ſacramentum; bellum, profectio, agrorum cultus; aut meſſis; fabrorum, aurigarum, nautarum, molitorum, coctorum cereuiſiæ, lanionum, piſtorum, ſartorum, ſutorum, aliorumq; mechanicorum operæ; ac in vniuerſum manualia, & ſæcularia quæcunq; niſi ob notabilem neceſſitatem, cuius cognitio ad Decanum Ruralem, aut Archidiaconatum vel Officialẽ, aut ijs nimis procul degẽtibus, ad Paſtorẽ loci ſpectabit. Pari religione ceſſare debẽt his diebus comeſationes, potationes, luſus publici, ſpectacula ludicra, tripudia, choreæ, etiam nuptiales, aliaq; prophana opera, & actiones plenę inſanijs; multoq; magis ebrietates, cantilenæ turpes, cubilia, impudicitiæ, blaſphemiæ, omnis ſuperbia, ac cætera omnia Sabbatiſmi Chriſtiani impedimenta, ac tranſgreſſionis præcepti huius occaſiones, & incentiua. Quæ, vt quantum in nobis eſt, tollamus, omnemq; violãdi diem feſtum occaſionem præſcindamus: precipimus aromatarijs, bibliopolis, lanarijs, linarijs, veſtiarijs, alijſq; qui merces aliquas venales habent, ne Dominicis alijſq; feſtis diebus, antè fores, vel in feneſtris domorum ſuarum, vel alibi venales exponant; & cœnopolis ac tabernarijs, ne ijſdem diebus, maximè tempore diuini

uini officij Missæ, Vesperarum, ac Concionis, Oenopolia aut tabernas aperiant. Magistratum porrò sęcularem monemus & hortamur, moneri quoq; & hortari à Pastoribus suis volumus, vt in ijs, quę ad hunc cultum Dei retinendum atq; augendum pertinent, Ecclesiæ Prędides authoritate sua iuuent, iubeantq; populum huiusmodi præceptis obtemperare. Inter alia autem, cum pro authoritate sua aduigilare cupimus, vt spectacula ludicra, per quæ populus Christianus, astu & consilio Diaboli, à templorum visitatione, ab officio vesperarum, & ab audienda Concione, quotidiè magis magisq; auocatur, ac Christo suus honos perit, atq; intercidit; diebus festis fieri nulla patiantur: & circulatoribus, vel alijs, nullam vsquam hisce diebus permittant exercere actionem, per quam populum à templis, vel à sanctificatione diei festi, detinere possent: atq; forum & nundinas cum incidunt in aliquem ex celebrioribus festis, eas seruari curent, vel antè vel post festum. In quibus præstandis eo magis Magistratus Catholici desideramus officium, quod ad magnam Catholicorum confusionem quid in his, à vigilāti Magistratu seruari possit, odijs ac inimicitijs incensa æmulatione, ostendant, vbi rerum potiuntur hæretici.

Sosto. Hom. 1. De Lazaro & Epulone.

3. Qui autem sint dies festi, quibus populus Christianus ab opere seruili cessare debeat, standum est statutis ac consuetudini cuiusq; Diœcesis, ac in Diœcesi quidem Colonienſi, ex declaratione ac mandato Syno. Diœcesſ. sub Adolpho 3. Anno 1549. secunda Octobris habitæ, hi dies solemniter ac concorditer obseruandi ac celebrandi sunt, & in omnibus Calendarijs, ad populi admonitionem inserendi. Præter dies Dominicos, Festum circūsionis Domini, Epiphaniæ, Agnetis virginis & martyris, Conuersionis S. Pauli, Purificationis B. Marię virginis, Cathedræ Sancti, Petri Apostoli, Sancti Matthiæ Apostoli, Anuntiationis Beatæ Mariæ virginis, Festum

Pag. 460. d. &c.

Paschæ, cum feria secunda & tertia sequentibus: Sancti Georgij Martyris; Sanctorum Philippi & Iacobi Apostolorum; Inuentionis Sanctę Crucis; Festum Ascensionis Domini; Festum Pentecostes cum feria secunda & tertia sequentibus; Venerabilis Sacramenti, Festum sanctissimæ Trinitatis in Dominica post octauas Pentecostes; Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli Apostolorum; Visitationis Beatæ Mariæ Virginis: B. Mariæ Magdalenę: Translationis trium Regum in ciuitate Colonienſi tantum; Sancti Iacobi Apostoli; Sancti Panthaleonis, in ciuitate Coloniēſi; Sancti Petri ad vincula; S. Laurentij Martyris; Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis; S. Bartholomæi Apostoli; Decollationis S. Ioannis Baptistæ: Natiuitatis B. Mariæ Virginis; Exaltationis S. Crucis; Sancti Matthæi Apostoli & Euāgelistæ; Dedicationis maioris Ecclesiæ Colonienſis, in die SS. Cosmæ & Damiani, in ciuitate Colonienſi celebrandæ; S. Michaëlis Archangeli; S. Gereonis; SS. vndecim millium Virginum; S. Seuerini in ciuitate Colonienſi; SS. Simonis & Iudæ Apostolorum; Omnium Sanctorum; Commemorationis animarum antè meridiem; Sancti Martini Episcopi; Sancti Cuniberti in ciuitate Colonienſi: Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis; Beatæ Cæciliæ in ciuitate Colonienſi; Beatæ Catharinæ virginis; S. Andreæ Apostoli; S. Nicolai Episcopi; Conceptionis B. Mariæ Virrginis; S. Thomæ Apostoli; Natiuitatis Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi; S. Stephani Protomartyris; Sancti Iohannis Apostoli & Euangelistæ; SS. Innocentium; denique festum Patroni in singulis Ecclesijs, vt par est solēniter celebretur.

4. Moneri ac incitari populum volumus, vt prædictos dies omnes ac singulos eo religiosius colat, quod præsētiū temporū calamitas, ac maiorum exempla, nō modo ex eis aliquos antiquandos, & obscurandos esse non permittant, sed nouos potius, noua pietate ad placandam iram

iram Dei, veteribus adiungendos postulent. Nam si ad extirpādas hæreses, ad schismata aliasq; calamitates tollendas, maiores nostri, certos dies instituerint, quibus ad prouocandam Dei erga se misericordiam, animo ac corpore vacarent: meritò sanè hac cogitatione, & consideratione, singuli excitandi nunc sunt, vt sublatis omnibus abusibus, dies institutos, quos praua transgressionis consuetudo, ac beneficiorum Dei obliuio, nec non & Prælatorum negligentia pœnè aboleuerat; tanto colant sanctius, quo tot ac tantis hæresibus, schismatis, ac calamitatibus, vndequaq; Diœcesin ac prouinciam hāc prementibus, & tantum non opprimentibus, & salus magis desperata est, & ad obseruationem plurimum dierum festorum, qui ad promerendam Dei gratiam, maiorum exēplo institui deberēt, difficilius induci populus possit.

Ad extirpationē hæresis Hussitarū institutū fuit in Cōc. prou sub Theodor. ann. 1423 fest. Cōpaß B. Virg. Mariæ fer. 6. post Dominic. Iubiliate quotānis celebrandū. De qua re vide ca. 11. eiusdē Cōc pa. 236 Ad tollēdū diuturnum schisma, ab Vrban. 6. institutū, & à Bonif. 9. confirmatum est festum Visitationis B. Mariæ Virginis. &c.

5. Quoniā domū Dei decet omnis grauitas atq; sanctitudo; abolitū prorsus esse volumus (si vel ex parte aliqua, alicubi in vsu adhuc sit) festū Hypodiaconorū, q̄ stultorū vocāt, omnesq; stultitias, leuitates, & abusus, qui hoc nomine in Ecclesiam irrepserunt sublatos. Et licet longo vsu plerisq; locis receptū sit, vt pueri à die S. Nicolai, vsq; ad festum SS. Innocentium personatum Episcopū suum habeant, eam quoq; consuetudinem, quod puerilibus dissolutionibus, & petulātijs plena esse cœpit, multumq̄ue grauitatis ac decoris diuinis officijs detrahat. antiquatum iri vehementer optamus. Præcipuè verò in desuetudinem duci præcipimus, ac in virtute obedientiæ mandamus, quod Clerus sese pueris, in die SS. Innocentum submittat, ac puerorū locum & officia in diuinis officijs subeat, ac contra personatus Episcopus aliquas benedictiones faciat, alijq̄ue pueri in cantandis horarijs precibus ac collectis Sacerdotū, Dia-

conorum, aut Subdiaconorum, quædam officia vsurpent; quod puerilis iste Episcopus, in die electionis suæ, ad ostentandũ se, & in die suę defunctionis, ad colligẽdã aliquam pecuniã in Symbolum, mitra & vestibus Episcopalibus, more Episcopi indutus, cum baculo Episcopali, & personatis aliquot militibus, per plateas obequitet; quod alibi quoq; Canonici & Vicarij, ex Collegarum suorum numero, aliquem ex ordine Episcopum designent, qui reliquos omnes nõ sine magno sumptu & grauamine, alijsq; incommodis, liberali mensa excipiat. Ab his enim cum magis carnem sapiant quam spiritum, sponsam Christi Ecclesiam volumus esse liberam, & quo id sine murmure, aut contradictione fiat, Præceptoribus aut Ludimagistris, qui alioquin forsan obstrepent, potius aliquid pecuniæ ex communi Ecclesiæ ærario donandum censemus, quam vt diutius illo personati Episcopi lusu, non sine Episcopalis dignitatis ac honoris diminutione & contemptu, emendicando, pecuniam in Symbolum corradere.

DE IEIVNIIS.

1. DE ieiunijs seruentur quæ à Cõcilio Prouinciali sub Herman. 5. parte nona constituta sunt. Et vt singuli vberrimos ieiunij fructus consequantur, exactè doceantur, quis sit ieiunandi modus, & in quo ieiunium à temperantia differat. Est enim temperantiæ, à superfluis in cibo & potu abstinere; ieiunij autem Ecclesiastici est, etiam à conuenientibus alimentis, iuxta certum Ecclesiæ morem aliquid detrahere; atqui modus hic est à carnibus abstinere, & vnica cibi refectione, in die, hora conuenienti, frugalius refici. Quam quidem horam serius quàm alio die ordinari decet, vt ex dilatione refectionis corpus affligatur. Non tamen vt Diuus * Leo sapientissimè monet, in sola abstinentia cibi

* Serm. 4. De Quadrag. sime qui legitur in vsu Romano nocturno: Dominic. 1. Quadragesimæ.

tia cibi ſtat noſtra ratio ieiunij: haud enim fructuosè corporiesca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate reuocetur. Quare in gratia eſſe ſtudeant, quicunque vberrimos ieiunij fructus percipere volunt.

2. Vigiliæ ſingulis annis per totam Prouinciam Colonienſem, ab vniuerſis ætatem habentibus, nec legitimè excuſatis, ſub periculo peccati mortalis ieiunandæ, præter quadrageſimam, & quatuor anni tempora, ſunt Vigilia Pentecoſtes, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, S Laurentij Martyris, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, S. Matthæi Apoſtoli, SS. Simonis & Iudæ; Omnium Sanctorum, S. Andreæ, S. Thomæ Apoſtoli, & Natiuitatis Domini. Quæ ſi in diem Dominicum, aut feriam ſecundam inciderint, Sabbathis præcedentibus ieiunentur. Inſuper in Litania maiori, quæ cadit in diem S. Marci, & in diebus rogationum, abſtineatur per totam diem à carnibus, & ieiunetur ad minus vſque ad prandium. Singulis præterea hebdomadibus, maiorum conſuetudine, feria ſexta & Sabbatho (quos dies, maiores, in honorem Dominicæ Paſſionis, & Beatiſſimæ Virginis, ieiunio conſecratos habuerunt) carnium vſus prorſus habeatur interdictus, niſi in alterum horum incidat Natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti: Et vbi vel plura vel ſtrictius obſeruata fuerint, pia conſuetudine obſeruentur, atque non ſolum hac ratione, ſed & alijs præterea ieiunijs, ex deuotione aſſumptis, quiſque demonſtret, ſe ieiuniorum exercitia ſuſcipere, non coactione legis, ſed virtutis delectatione, & vero Dei amore.

Stat. Henri. an. 1307. edi. c. 3. pag. 67. c.

Conc. prouin. ſub Henrico an. 1307. hab. pa. 64. Vide S. Ignat. ep. 5. quæ eſt ad Philipp. Conc. Eliber. can. 26. Inno. cēt. PP 1. ep. 1. ca 4. D. Auguſti. epi. 86. 118. & 119.

3. Vt Paſtoribus, Concionatoribus, Confeſſarijs omnibuſque Chriſtianis augendæ pietatis demus occaſionem: præter voluntaria conſueta ieiunia, ad omnem diem Feſtum Beatiſſimæ genetricis Dei Marię à pijs omnibus recepta, proponimus, non imponimus, virtutum ſtudioſis, ad exercendam virtutem ſuam, & maiorem

Dei gratiam obtinẽdam, hæc infra ſcripta ieiunia, pridiè cuiuſq; diei cui inſcribuntur, ab his quorum Deus corda excitabit obſeruanda, cũ certo ieiuniorum ſcopo in quem collimare poſſint.

1. Ieiunium Epiphaniæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt quisq; vocem Domini, ad meliora, & ad ſe vocãtis, atq; ſtellam ſeu ductũ diuinæ inſpirationis cognoſcere poſſit, & in ea vocatione qua vocatus eſt, tota volũtate Deo ſeruire.

2. Conuerſionis S. Pauli, vt inimici crucis Chriſti humilientur, omnesq; peccatores ſpiritum bonum accipiant, & Cõcionatoribus omnibus, ea gratia, virtus & efficacia verbi, vitæ, conuerſationis, & prudentis zeli tribuatur, quæ in D. Paulo poſt conuerſionẽ viguit.

3. S. Heriberti, hoc eſt à S. Heriberto, contra ſubitaneam mortem aliaſque calamitates, quæ Diœceſin Colonienſem tunc premebant, inſtitutum feria ſecũda, quarta, & Sabbatho, poſt Dominicam Miſericordia, inſtar dierum rogationum, antè prandium, in abſtinentia ab eſu carnium ſeruandum. Quod hoc tempore, ad extirpationẽ hęreſiũ, aliorumq; malorum, quæ Diœceſin hanc apprehenderunt, vtiliter reſumetur.

Vide Statut. Her. an. 1307 edit. cap. 3. pag. 67.

4. Aſcenſionis & transfigurationis Dominicæ, vt omnes qui Chriſtum fide cognouerunt, quæ Chriſti & quæ ſurſum ſunt ſapiant, non quæ carnis, & quę ſuper terram.

5. Sãctiſſimi corporis Chriſti: vt Sacramenta Eccleſię, ab omnibus in debito honore habeantur, & digna præparatione, deſiderio, & gratiarũ actione ab omnibus ſuſcipiantur.

6. S. Mariæ Magdalenæ, vt amatores mundi, & vanitatum huius ſæculi, ab ea veræ pœnitentiæ exemplum ſumant, & confidentiæ bonæ in Deum.

7. Sancti Michaelis, & omnium Angelorum, vt ab his vita noſtra, ſine intermiſſione muniatur, & ad omne bonum dirigatur.

8. Sancti Materni, S. Vrſulæ, S. Gereonis, S. Seuerini, S. Cuniberti: Translationis trium Regum, aliorumq́ue Ciuitatis, Diœceſis, & Prouinciæ Colonienſis Patronorum, vt fidem quam hìc Sanguine vel prædicatione ſua plantauerunt, vel excoluerunt, & confirmauerunt, ſuis meritis ac interceſsionibus, intemeratã ſemper hic & vbiq; tueantur; hancq; Prouinciam vbi ſua corpora, ac pretioſæ reliquiæ ſeruantur, ab omni malo ſemper ſeruent, Deo gratam faciant, ſuarumq; reliquiarum, fideliſsimam, deuotiſsimamq; cuſtodẽ. Quæ quidem ieiunia, & ſi quæ ſint alia, quæ cuiusq; pietas ſuggeret, quæq; vel ob dictas, vel ob ſimiles cauſas, aut in honorem & gratiam alicuius patroni, alteriuſue ſancti ſuſcipientur, cùm primum fuerint confeſsi, qui ea ſuſceperint, & abſolutionis beneficium perceperint, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Sãctorum meritis cõfiſi, quadraginta dies Apoſtolica authoritate, de iniunctis eis, vel iniungẽdis pœnitentijs pro qualibet die relaxamus. Eandemq; gratiam his facimus, qui

qui in nuptijs,in Martinalibus,in Regalibus,alijsq; diebus,quib. mũdus insanire solet,& se super cibum & potum effundere,ac in nuptijs etiam superbo vestium cultu, alijsq; modis à recta ratione discedere, modestiæ & temperantiæ Christianæ seruauerint modum, multoq; magis his,qui ex eo quod circa se fuerint abstinentiores, circa pauperes sunt effusiores, & vel conuiuia sua pauperibus communia faciunt,vel his,inde partes mittunt.

4. Quæ in hæc vsq; tempora religiosè ab omnibus obseruata fuit consuetudo, vt in quadragesima abstineretur ab omnibus quæ sementiuam carnis trahunt originem, à lacte nimirum,butiro,caseo, & ouis,non passim sine causa intermittatur; aut si propter olei caritatem,eorumq; qui illo non vesũctur multitudinem, difficilis à butiro abstinentia foret;à caseo tamen & lacte,maximeque ab ouis,abstinendi religio restituatur; & in capite ieiunij,vsq; ad primam quadragesimæ Dominicam, ac tota maiori hebdomada, præsertim feria quarta,quinta,sexta,& sabbato sancto,antiquus ieiunij rigor Cõcionatorum diligentia, multoque magis vigilanti Pastorum studio, reuiresçat. His tamen atq; alijs animæ curatoribus, pro vniuscuiusq; subditi sui necessitate, iudicare liceat, quando ieiunium, vel ieiunij rigor,alicui remittendus erit,& decernere, quid vel in orationibus, vel in Eleemosynis,alijsue pietatis operibus, pro cuiusque facultate, ieiunij loco iniungendum erit. Est enim fidelis & prudentis serui, quem constituit Dominus super familiam suam,ibi tantum vsurpare dispensationem,vnde bonam possit habere compensationem.

Conci. Tolet. 8.can 9. Ado. 3 in his quæ ab hæret. insimulatis inquir.sunt §. 44 pa.504.c. d.D.Bern de præcept.& dispens.ca.3.

5. Quoniam vno eodemq; Ecclesiæ præcepto & diei cinerum,& diei Parasceues,ac reliquorum Quadradesimæ dierum ieiunium fidelibus iniunctum est;monendi sunt omnes, primis perindè ac medijs & vltimis Quadragesimæ diebus pari deuotione, & obseruantia esse ieiunandum; & * feria quinta maioris hebdomadæ *Mandatum*,quod vocant, debere sobrium ac religiosum esse, ac potius abstinendum tuncà prandio, quàm vt illius *Mandati* occasione pluribus quàm vna refectione, vtantur, seu vt pransi, cœnando soluendi ieiunij periculum adeãt. Quia qui vnius diei ieiunium soluit totam Quadragesimam inhonorat.

** Cõc. Laod. ca.49 De cõsec. Di.3.cap. Nõ liceat & ca Non oportet &c.*

6. † His qui sacrum quadragĩta dierum ieiuniũ,carnium esu violare non timent,Canon nonus Concilij Toletani octaui sæpè inculcetur, qui ita habet: *Quisquis absque ineuitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare; non solum reus exit resur-*

† Conc.prouinc. sub Herm 5. par.9.ca.6.

resurrectionis Dominicæ: verùm etiam alienus ab eiusdem diei sancta Communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore, ab omni esu carnium abstineat gulam; qui sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Quæ quidem non solum pro Concionibus, aut in Confessionibus proponantur, sed & à Pastoribus, alijsque animarum curatoribus, ducantur in vsum, & tanquam indigni qui ad sacram Communionem admittantur, probẽtur aliquamdiu, & non nisi peracta, quæ Sacerdotis arbitrio iniungenda erit pœnitentia, Communionem corporis Christi accipiant.

7. Vt sacro quadragesimæ tempore carnes manducandi, nulli detur occasio; magistratus sæcularis sui nouerit esse officij, vt macella omnia clausa teneat, & nulli eas vendendi hoc tempore licentiam permittat, curetque vt caupones diebus prohibitis viatoribus carnes non proponant.

8. Ieiunium quatuor temporum magna deuotione ab omnibus suscipiendum doceatur, cùm ob rationes & causas à D. Leone Magno in sermonibus de hisce ieiunijs recensitas; tum quia istis temporibus sacræ ordinationes fiunt. Meritò enim ob hoc, ieiunio, oratione, & Eleemosynis in vnum propositum pia plebis corda adducenda sunt, vt omnes vno spiritu, sacratiori virtute Dominum exorent, vt eligendorum sortes, ad Ecclesiæ suæ vtilitatem dirigat, operarios idoneos in messem suam mittat, eosque septiformi spiritu suo, in omni bono confirmet. Ieiunium verò quatuor temporum, ac Vigiliæ Sancti Matthiæ, quod in quadragessimam incidit, solemnius ac religiosius, quam reliquis diebus colendum declaretur, quia duobus nominibus suscipiendum.

In ep decret. ad vniuers scripta.

9. Quod à Thelesphoro Papa olim decretum fuit, vt Clerici aliquot dies ieiunando Laicos excederent; vt sicut discreta debet esse vita Clericorum, à congregatione Lai-

ne Laicorum, ita & in Clericorum ieiunio esset à Laicis discretio: hoc ad excitandos omnes Clericos, maximè autem Prelatos & Pastores recensemus, eosq; per Sanctissimum Domini nostri Iesu Christi atq; Saluatoris aduẽtum obtestamur, vt religiosæ vitæ exemplo, quoscunq; fideles ad obseruantiam sacrorum Canonum, & præceptorum Ecclesiæ inducant, omniq́ue diligentia vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus & ieiunia, omniaque quæ faciunt ad pietatem augendam, & certam faciendam vocationem suam, toto corde sectentur.

Conc. Trid. sess. 25. De delectu ciborum &c.

DE SANCTORVM RELIQVIIS ET SACRIS IMAGINIBVS.

DE pretiosis Sanctorum Reliquijs, deuotè colendis, ac religiosè conseruandis, titulo de Pastoribus & Custodibus quædam inserta sunt; hoc loco illud decernimus: vt nouæ aut ignotæ Sanctorum reliquiæ non recipiantur, nisi ab Episcopo fuerint approbatæ; & antiquę nequaquam extra capsam ostendantur. In ostendendis autem ijs ea adsit grauitas, reuerentia, & pietas, quæ fidem & religionem Christianam præ se ferat, & intuentium animos, omni pietatis deuotione commoueat. Porrò in dilargiendis illis hæc seruetur ratio, vt nemini vnquam donentur, nisi vt loco sacro reponantur; maiori, aut non minori saltẽ pietatis studio, & prouectione ibidem seruandæ, quàm vbi antea seruabantur, ac notabiles reliquiarum partes, nullus Prælatus aut Ecclesiæ rector dare transferendas alicui possit, sine Ordinarij & Capituli Ecclesiæ suæ, seu aliorum Ecclesię prouisorum consensu; quibus id permittentibus, donationis huius authenticæ, vnà cum reliquijs, donentur, litteræ & in in-

I. Ca. Placuit De consec. Dist. 1. Ca. 2. De reliquijs & vener. Sanct. Conc. Trid. sess. 25. De inuocat. vener. & reliquijs Sanctor. & sacr. imag.

liquiarum Eccleſiæ, eadem donatio, cum ſufficienti reliquiarum donatarum, nec non perſonæ dantis & accipientis, ac temporis expreſſione annotetur.

2. Nulla quoque inſolita imago, vel in Eccleſia, vel alio loco quomodolibet exempto ponatur, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo.

3. In exprimendis Sanctorum imaginibus, ſtudioſè ac diligenter curetur, vt prototypis quæ repreſentant, iuxta hiſtoriæ veritatem, & receptam ac probatam Eccleſiæ traditionem, ſimillima ſint; nec quod religioſum quidam putant, pro cuiuſque voluntate, ad repreſentandam viuentis alicuius hominis effigiem, genuina earum forma adulteretur.

Adolph 3. in in his quæ in Cathed. & Collegat. Eccleſ. inquirē ſunt § 54. pag. 481 c.

4. In forma, in cultu, & ornatu ſacrarum imaginum, abſtineatur ab omni procaci venuſtate, & obſcœna pudendaúe nuditate æquè ac deformitate; magis enim illa ſacras imagines deformant, quam exornant.

5. Imagines, ſculpturæ, aulæa, quæ vel obſcœnitate, vel gentilium fabularum exhibitione, aut quacunq; alia offenſione, intuentium animos à pietatis ſenſu quoquo modo poſſunt auertere: nec ad ornatum templorum; nec ad platearum cultum, quando per eas ſacræ habendæ ſunt ſupplicationes, vllum occupent locum: & à domibus ac hortis Eccleſiaſticorum, picturæ & ſimulacra omnia exulent, quæ laſciuia, procacitate, aliaúe quauis indecentia, à profeſſione pietatis, modeſtiæ aut grauitatis, hominis Eccleſiaſtici aliqua ratione diſſentiunt.

6. Sacræ imagines & ſculpturæ, quæ vel vetuſtate, vel ſitu, aut quauis alia iniuria factæ ſunt deformes; ſi fieri poteſt, quàm primum priſtinæ integritati atq; decori reſtituantur. Sin autem, tollantur de locis ſuis, & vnà cùm imaginibus, quæ periculoſi erroris occaſionem rudibus præbere poſſent, quiq; apocriphas hiſtorias, vel aliquid ſuperſtitionis, aut falſi dogmatis præ ſe ferunt, incinerē tur, ac cineres in ſacrario ſepeliantur.

Conc prouin præſidente Nicol. Cuſa. artic 17 pag. 250. b. Conc. Trid loco citat.

7. Nec

7. Nec in pauimento Sanctorum imagines pingantur, nec eo loco, vbi aliquando clauis tranfigi poterunt, vel pluuia aut vligine deleri; & licet in muro ex viuo & polito lapide constructo, sacræ historiæ, nisi aliud obsit, depingi aliquando poterunt; in muro tamen aut pariete, qui argilla aut calce incrustatus est, cum eiusmodi incrustatura facilè decidat, nunquam pingantur, sed paries aut murus huiusmodi, tela linea, aut tabulis politis, artificioseque compactis, picturæ excipiendæ causa vestiatur.

DE REPRÆSENTATIONIBVS.

1. REpresentationes trium Mariarum, visitantium Dominicum sepulchrum, quæ nocte resurrectionis Dominicæ in quibusdam Ecclesijs fiunt; cum potius in ijs inueniamus, quod mouere risum possit, & deuotionis intentionem deprimere, quàm pietatis aliquē affectum excitare, prorsus intermitti volumus.

2. In sacris supplicationibus nullæ similiter sanctorum, aut sacrarum historiarum, ne ipsius quidem Christi saluatoris, à personatis adolescentibus, aut alijs, representationes fiant, vel quidquam quod possit intuentium animos, ab eo, quod in supplicatione potissimum spectandum est, ad se rapere.

Conc prou. sub Adolph. 3. in cens. & decretis cap. Nihil propè tam sanctum pa. 451. 452.

DE INDVLGENTIIS.

1. QVia clauium potestas à Deo in ędificationem fidelium tradita est, non in destructionem: nequaquam per falsas, indiscretas, ac superfluas indulgentias, fideles decipiendi sunt, ac pœnitentialis satisfactio eneruenda. Quare in virtute sanctæ obedientiæ, omnibus ac singulis Ecclesiarum quarumcunque, tam regularium quam sęcularium Pręlatis ac Rectoribus mandamus, vt indulgē-

tiarum Ecclesiæ suæ faciant indicem, & quibus pietatis operibus, quas indulgentias concessas habeant, & à quibus eas habeant accuratè annotent, ac in proxima Episcopali Synodo, vel per se, vel per superiores suos examinandas tradant; vt si quæ falsæ aut fictæ reperiantur, reijciantur, omnisq; abusus, si quis irrepserit, tollatur, & quę legitimæ inuenientur, Romano Pontifici, confirmandæ, atq; innouandæ exhibeantur, ac ad maiorem fidelium certitudinem, atq; excitationem, in quibusq; Ecclesijs authentico scripto, publico loco, ac conuenienti, ad aspectum omnium proponantur.

Cætera de indulgẽtijs vide tit. De Pastoribus.

2. Falsæ, vanæ, & ad impostũram excogitatæ habeantur, immodicæ & plus æquo exorbitantes indulgentiæ, quæ ex leuibus causis incertisq; reuelationibus, sine legitima vlla authoritate, scriptis quibusdam & impressis libellis insertæ sunt, ac in tabellis, quas alicubi videre est, nonnullis orationibus adiunctæ: præsertim si promissiones cõtineant certorum effectuum, periculorum scilicet euitationem, à gladijs, à tormentis, ab aquis, à peste, aut liberationem certam à Purgatorio.

DE SEPVLTVRA ECCLESIASTICA.

81. SEpultura careant Ecclesiastica omnes hæretici, schismatici, Venefici, Sortilegi, Religiosi proprietarij, publici Simoniaci, Vsurarij, & illi qui sibi manus violentas intulerunt, aut in duello mortui sunt; omnes excõmunicati; quiq; præcepto Ecclesiæ; *Omnis * vtriusq; sexus*, satisfacere contempserint; ac postea subita morte præuenti fuerint: nec non & illi, qui contempserint sacram vnctionem; qui cum antea fuerint de hæresi suspecti, Pastorem ad se in morbo aduocare neglexerint; licet ipsis iam rationis vsu & officio priuatis, à Parentibus aut amicis Pastor aduocetur; nisi eodem Pastore præsente, aliquod

nota-

notabile dederint pœnitentiæ signum. Qui autem eos loco sacro sepeliuerint, aut sepeliri curauerint, pœnis iure constitutis, alijsq; arbitrarijs puniantur.

Cap.8.titu.De hæretic cap.7.tit.De consecr.Ecclesiæ.cap.12.tit.De sepultura.cap.3.Titu.De vsuris in 6. & ca.2.Ibidem titul. De hæretic. cap.2. Concil. Bracaren.1.cap.34.cap. Placuit vt hi qui.23 quæst.5.Conc.prou.sub Adol.3.in censuris ca.vlt.pa.456.a.Stat.Sifr.ca.14.pag. 47.b.c.Synod.Diœcesan.1551.habit.pa.530.a. Cap.Omnis vtriusque sexus. *De pœnit. & remissio.*

2. Infantes quoq; qui antè susceptum Baptismum fuerint mortui, loco prophano, ad hoc deputato aut deputando, extra cœmiterium sepeliantur.

Stat.Sifr.cap.4.pag.38.b.Syn. Diœcesan.anno 1551.habit.artic.6. pag.530. Concil. Bracaren.1. cap.35.

3. Ne sepulta defunctorum corpora aêrem queant inficere, aut grauem per templa aut cœmiteria offundere odorem; tam profundè sepeliantur, vt duos pedes supra loculum terra congeri possit; ac in templis quidem lapidibus, in cœmiterijs verò vetustissimo Christianorum more, tumulo sepulcra muniantur. Quæ porrò de sepulturis & exequijs in prouincialibus Concilijs, & Synodalibus Constitutionibus, ac à nobis titulo, *De diuinis officijs*, decreta & sancita sunt, omni sedulitate ac deuotione, ab omnibus in actum ducantur.

Conc.prou.sub Herm.5.par.7.cap.28.29.Conc.prou.sub Adol.3 in cens & decretis, ca Cũ mortuus sit Christus *pag.451.c.d.Synod. Diœcesan.an 1550. feria 3 post. S. Matth. habit. pag 467.Conc proninc.sub Conrad.Archiepiscopo ca.26.pa.17.d. Statut. Sifr. ca.2.pa.36.d. Stat.Vilhelm.cap.17.pag.169.a.b.c.*

DE SVPERSTITIONE.

CVM variæ sint superstitionum species, quarum nulla est, quæ non vel tacitè vel explicitè cum Dæmone aliquam includit societatem, debitumúe Dei honorem ad creaturas transferat, vel ad minus in falsi protestatione consistat; aut à vero religionis cultu, ad nugatoriam & noxiam Dæmonis pelliceat vanitatem: grauiter illi peccare doceantur; & ab erroribus conuenientibus modis reducantur, qui aliũdè quam Dei reuelatione, fortui- 1.

Deut.18. Leuit.20. Esaiæ 47. 1. Corint.10 26. quæst. 1. 2.3.4 5 Extit. de sortil.

tarum rerum, actionumq; humanarum præscientiam prædictionemq; firmam sibi arrogant; vel qui rebus aut signis, ad effectum aliquem producendum vtuntur, ad quem nec naturæ ordine, nec diuina virtute, neq; Ecclesiastica institutione valere intelliguntur. Tales sunt, qui per nigromanciam aut Phytonis consultationem apertè cum Dæmone paciscuntur: qui ex garritu aut volatu auium, extorum inspectione prędicunt futura: qui ex die natali, aut sydere cōceptionis, manuum ac faciei lineamentis, ex somnijs quoq;, mortuorum apparitionibus, ex galea quam vocant natiuitatis, alijsq; id genus obseruationibus, certo de futuris hominū moribus, fortuna, aut exitu, pronunciant, & ex constellationibus euenta, atq; hominum opera prædicunt; eaq;, & propensiones ad bonum aut malum, astris subijciūt; aut ex sortibus, citra singularem Dei reuelationem vel inspirationem, occulta dijudicant: qui ad hominum pecorumque valetudinem conducere arbitrantur ligaturas quasdam, phylacteria, quosdam characteres, seu imagines astrologicas, precationes ad certum & determinatum verborum numerum restrictas, verba sacra, sanctorumque reliquias de collo suspensas; & his similia millia inanium obseruationum, vim quandam occultam his characteribus, aut idiomati scripto attribuentes, aut alias vanas conditiones, tanquam necessarias addentes.

26. qu. 7. Cap. Si quis. Capi. nō obseruetis & ca. Qui ex istimaret.

Adhæc qui certis horis, diebus, mensibus, vel annis, volunt, aut nolunt aliquid inchoare, tempora quædam fausta aut infausta statuentes, nec non & ij, qui herbas certo die, hora, aut ritu decerptas, ad certas quasdam iniurias ac pericula propulsanda valere confingunt. His porrò annumerandi sunt magi atq; malefici, qui maleficijs corpora, non præstigio solum sed veraciter miris modis immutant; homines dementant; bestias occidūt; matrimonij consummationē impediūt; valetudinem

tudinem lædunt; sterilitatem terræ inducunt, omniaq; nocendi genera exercent, non ex syderum aut maleficorum vi, sed Dæmonum auxilio.

2. Neque verò hi solum, qui prædictis superstitionibus & maleficijs dant operam, grauissimè peccare censendi sunt: sed & illi qui in eiusmodi rebus, talium hominum auxilium implorant, sollicitant, pecunia redimunt, eosque super amissis rebus, aut occulta veritate cognoscenda, vel soluendis maleficijs cõsulunt. *Leuit. 9. 4. Reg. 1. Cap. Admonent fideles. 26. qu. 7. ca. Extuarũ tit. De sortil. Grego PP. 3. ca. 12. Concil. Rom. Conc. Tolet. 4. ca. 28. ca. Si per sortiarias. 33 quæst. 2.*

3. Contra quæ ab Ordinarijs inquisitoribus, Pastoribus, Concionatoribus, atq; sęculari magistratu, pro vniuscuiusq; officio, tanto diligentius & vigilantius nunc agendum est, quod maleficorum numerus & nocendi libido, multarũ animarũ iactura, partim ex impunitate, partim ex errore, deceptione, & infidelitate, indies magis magisq; in hac prouincia crescere videatur: ac omni cura docendus populus, vt ad depellenda maleficia, eorumq; vim hebetandam ijs vtatur remedijs, quæ aduersus nequitias, & illusiones Dæmonum Ecclesiastica sanxit authoritas, vsusq; confirmauit: vt sunt signum crucis, solemnes exorcismi, aqua benedicta, benedictarum campanarum pulsus, cerei, herbæ consecratæ: in primis verò sincera ad Deum conuersio, frequens Sacramentorum vsus, ieiunium, eleêmosina, oratio, & Missæ sacrificium.

4. Vt detestabili huic superstitionum, & illicitarum diuinationum, artiumque magicarum, studio certius occurratur: prohibemus omnes & singulos libros, opera & tractatus astrologiæ iudiciariæ, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisue casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid affirmare audent, permissis duntaxat iudicijs, & naturalibus obseruationibus, quæ naui- *vide regul. 9. indicũ librorum prohibitorum. Concil. Trid.*

nauigationis, agriculturæ, siue medicę artis iuuãdæ gratia conscripta sunt. Ad hęc libros omnes & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aëromantię, Pyromantiæ, Onomantię, Chyromantię, Necromantię, siue in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones, & artes magicæ continentur: ac sub pœna excõmunicationis, à qua non nisi Episcopus absoluere valeat, à quibuscũq; Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri vetamus; sed illos Episcopis & Ordinarijs locorum, vel inquisitoribus præsentari, & cõsignari volumus, & nihilominus vigore Constitutionis S. D. N. D. Sixti PP. V. contra exercentes Astrologiæ iudiciariæ artem, aliaque diuinationum genera editæ: statuimus & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunq; dictæ Astrologiæ iudiciariæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam, in posterum exercentes, aut facientes iudicia & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid futurum affirmare audent (etiã si id se non certo affirmare asserant, aut protestẽtur) quàm contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, siue scientias exercẽt, profitentur, & docent, aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incãtationes, ac præmissa detestanda scelera faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittũt, vel libros prædictos scienter legunt aut retinent, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, cuiuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant: tam Episcopi & Prælati superiores, ac alij Ordinarij locorum, quàm inquisitores hæreticę prauitatis, deputati, aut deputandi, etiam si in plerisq; his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, ac inquirere & pro-

Constitut. huius initiũ est. Cæli & terræ creator *Dat.* Romæ *apud S. Petrum. Anno* 1585. *nonis Iannua. Põtificatus anno* 1.

& procedere liberè & licitè possint, atque in eos seuerius Canonicis pœnis, & alijs, eorum arbitrio animaduertant.

5. Vt autem hæc omnibus innotescant, vniuersis Ordinarijs, Archidiaconis, & Archipresbyteris, in virtute S. obedientię mandamus, vt ea cum primum receperint, in Ecclesijs sui districtus, dū in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, deindè verò semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

DE BLASPHEMIIS ET PERIVRIIS.

VT *a* blasphemādi, temerè iurādi, *b* ac periurandi cōsuetudo, & facilitas, à finibus populi Christiani exterminetur, species horum peccatorū grauitas & enormitas, à Pastoribus & Concionatoribus ei diligenter exponantur, & pœnæ quibus hæc crimina, ex Patrum sanctionibus punienda & vindicanda sunt, declarentur, atque ab his, quibus ea iuncta potestas est, ducantur in executionis vsum. I.

a *Matt. 12. ca. Statuimus, De maledicis. Conc. Lateran. vlt sess. 9. §. Ad abolendam. b Leuit. 5. & 24. Zach. 5. Malach. 3. Eccles. 23. 2. Regum 21. Ezech. 17 Eutichian. PP. 1. citat eum Burch. lib. 5. ca 9 Conc. Aurelian 3. ca. 5. Pius PP. 1. Conc. Matis. 1. ca. 11. causa 22. qu. 4. & 5. ca Querelam. ca Tua nos de iureiurando.*

DE VSVRIS.

AD compescendam & infrenandam, insatiabilem vsuræ crudelitatem, quæ quod in consuetudinem venerit plurimorum, aut nullum aut paruum creditur esse peccatum, adeò vt inter negociatores non solū pauci nunc sint, qui pecuniam suam non dent ad vsuram; sed pauciſſimi planè, qui lucro illo sint contenti, quod leges ciuiles ad vsurā recipi permittunt, hęc decernimus, I.

& ad declinationem atq; cautionem huius peccati, omnibus annuncianda ſancimus.

2. Vſura non ſolum diuina lege, tam antiqua quam noua, ſed etiam lege naturæ prohibita eſt: vt quæ natura ſua, iuſtitiæ commutatiuæ aduerſetur, & ex ſuo genere peccatum mortale ſit, nullo q; tempore alicui, ne ludæis quidem permiſſa. Quod autem leges ciuiles eam non puniant, & alicubi pro centum ad annū mutuo datis, duodecim ſupra ſortem recipi permittatur, vſurarios à peccato non excuſat, quemadmodum nec meretrices id circo à peccatis excuſantur, quod ob vitanda grauiora peccata in populo tolerentur.

Exodi 22. Deut. 23. Pſal. 14. Ezechiel. 18. & ibid. Hieron. Matth. 5. Luc. 6. Epheſ. 5. D. Ambroſ. in lib. De bono mortis Concil. Nicæn. 1. ca. 18. Concil. Eliberi in. ca. 20. Concil. Arelat. 1 ca. 12 cauſa 14 quæſt. 3 & 4. Extr. lib. 5. tit. 19. & in ſexto lib. 5 tit. 5. Stat. Sifrid. cap 34. pag. 208. c d. & alibi.

3. Vſurarius eſt, quicunq; pro mutuo id vltra ſortem paciſcitur, quod eſt vel pecunia, vel pecunia æſtimabile.

4. Talis eſt qui ob pactam in longius tempus pretij ſolutionem, carius iuſto rem vendit, & qui ob illam acceleratam vilius emit.

Statut. VVilhelm. ca. 14. pag. 167. b. & cap. 21. pag. 172. b. Statut. Frid. cap. 10 pag. 192. b. c. d. &c.

5. Qui rem aliquam vendens, vult vt acceſſio pretij, quæ prorogatæ ſolutionis tempore forſitan fiet, lucrum ſuum ſit, & vt nihilominus indemnis habeatur, ſi contra, rei venditæ pretium interim minueretur.

6. Qui vinum, oleum, aut rem quācunque aliam ſummo pretio vendit, vt emens eandem, venditori, gratioſo planè pretio, mox reuendat.

7. Qui exigit ſolutionem redditus re perdita, ſuper quā redditus, fuerat conſignatus; niſi illius, qui ſoluere deberet, dolo vel culpa perierit.

8. Qui emens redditum obligat vendētem, ad illum, vel certo

certo tempore, vel cum emptori, vel illi pro quo emit, placuerit, redimendum.

9. Qui licet tutor vel curator, aut magistratus sit pupillorum, aut pupillarum; patrimonij eorum augendi causa, seu quouis alio prætextu, pecunias illorum, sub certo lucro singulis annis vltra sortem recipiendo, dat mutuas, retenta facultate repetendæ sortis, vbi ad maiorem ætatem pupilli vel pupillæ peruenerint, aut matrimonium contraxerint, vel aliâs ipse tutor, curator, aut magistratus voluerit.

10. Qui societatem init cum pacto, vt pecuniæ, quam confert, periculum sit penes accipientem, sortemq; sibi integram restitui cupit.

11. Qui mutuum dat, vt assecurentur merces suæ, quæ mari vehuntur. *Ca. Nauigāti. De vsuris.*

12. Qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius sibi vel alijs remutuet; agrum suum aut aliorum, iusta licet mercede colat; in mola sua molat; merces suas emat; officinā aut tabernam, aut scholam suam frequentet; pro se aut alijs fideiubeat.

13. Qui Principibus vel Reipub. ea lege mutuat, vt sibi temporale aliquod præstent beneficium, vel vt tributa, vectigalia, aliaúe distributa iusta onera, à se non exigant.

14. Qui accipit pignus fructificans, ea conditione, vt fructus quos deductis expensis inde accipiet, non computet in sortem.

15. Qui dat frumentum, oleum, vinum, vel quidquam aliud istius generis, vt aliud melius restituatur.

16. Qui eo pacto mutuat, vt reddatur alio loco vel tẽpore, vbi vel quando res mutuata pluris valebit.

17. Qui licet mutuantes nullum pactum faciant, eo tamen proposito ac intentione mutuant, vt amplius accipiant quam mutuarunt.

18. Ex his alij vsurarij contractus deprehendi & dijudicarij poterunt, & quam multos teneat vsurarum auaritia captiuos, cognosci: à qua neminem absolui posse declaramus, nisi restituatur quidquid per vsuram etiam mentalem acceptum fuerit, & res quidem fructiferæ vnà cum fructibus acceptis restituantur, vsu verò consumptibiles, in specie reddantur cum damno, si quod alter interea passus est.

19. Declaramus porrò ad hanc restitututionem obligari non solum hæredes, qui in defuncti vsuarij bonis succedunt, sed etiam omnes vsurarij cooperatores, licet nullum indè accipiant cõmodum, adeò vt nec hi Eleëmosynarum largitione à restitutione excusentur, nec ab eadem exonerentur illi, etiamsi nihil rerum vsura comparatarum superst, si alia bona ab vsurario relicta sint, vnde fieri possit restitutio; nec licitè ab vsurario donum vel stipendium pro seruitio accipitur, quem constat, nihil præter id quod vsura corrasum est, habere: neque venditionis aut emptionis in bonis vsurarij iniri potest contractus; quo ille ad restituendum vsuras impotens redderetur.

20. Cum publici vsurarij ipso iure excomunicati sint, munera & oblationes eorum, vt iure statutum est, respuantur, & ab Ecclesiæ arceantur ingressu, ac ne in mortis quidem articulo Ecclesiæ sacramenta eis administrẽtur, nisi de vsuris satisfecerint, vel de satisfaciendo, pro suarum viribus facultatum, idoneam præstiterint cautionem: præcipimusq; districtè omnibus iudicibus, aduocatis, secretarijs, notarijs, alijsque Christi fidelibus, ne vsurarijs in vsurarum causis aliquod præstent patrocinium, vel contractus vsurarios testimonio suo confirment, aut alio quouis modo approbent, sub pœna, pro excessus qualitate Ordinarij iudicio infligenda.

Stat. Sifr. ca. 14 pag. 47 b.
Stat. Vvich bol ca. 12 pa. 54. d.
Ib. pa. 46. d. 55. a.

21. Vsurarij autem publici habeantur, qui vel per sen ten-

tentiam iudicis, vel per Confessionem coram iudice factam, vel per rei euidentiam, quæ tergiuersatione celari non possit, vsurarij esse conuincuntur.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

IN opere reformationis Ecclesiasticæ, molestum ac operosum facescunt negotium beneficia Ecclesiastica; cùm quod beneficiorum collatores in eis conferendis, ac dispensandis, alijque qui instituendi onus sustinent, in beneficiarijs instituendis, sæpè carnali & iniquo personarum amore potius ducantur, quam agant ex mente, ac ratione benefactorum, & Canonicorum Sanctionibus præceptorum: tum quod beneficiarij multi, magis in his quæstus, ac temporalis commodi habeant rationem, quàm muneris ac officij, indeque contra Ecclesiam, suosque benefactores; sumant delinquendi ansam ac animum, vnde ad præstrandum Ecclesiæ officium, magis deuincti sunt, magisque deuoti. Quam indignitatem, vt pro legationis nostræ munere, ac operis huius ratione, æquitatis censura prorsus tollamus, hæc beneficiorum collatoribus, beneficiariorumque institutoribus, ipsisque beneficiarijs præscribimus, & obseruanda statuimus. 1.

2. In omni nominatione, præsentatione, electione, & collatione, ex iure naturæ, Dei & Canonum, sepposito omni carnalitatis affectu, ac personarum acceptione, Beneficium conferatur dignori maximè idoneo. *Conci prouin. sub Herma. 5 parc. 1 ca. 3. 4. 6. 11 14.*

3. Qui indigno dederit Beneficium, quia iniuriam fecit Deo, Ecclesiæ, & dignis, restitutionem faciat Ecclesiæ.

4. In conferendis Dignitatibus & Prælaturis, seruentur ea quæ in præcedentibus, titulo de Prælatis, à nobis sancita & decreta sunt, & Dignitatibus ac Beneficijs omnibus, atq; singulis viri dentur, non autem viris Benefi- *D. Greg. Ho. 4 in Euang.*

cia & dignitates, ne, qui aliter fecerint, in die Iudicij audiant, se non Ecclesijs sed personis prouidere voluisse.

Conci. Trid. sess 23. ca. 6. De reform.

5. Nullus Beneficium Ecclesiasticum obtinere possit, nisi qui susceptione coronę Clericalis professus fuerit, se discretam à Laicorum conuersatione vitam acturum esse, & Clericorum regulis ac professioni congruenter victurum, quique ætatis annum ad minus decimum quartum fuerit ingressus.

Vide sup. tit. De Prælatis arti. Ne autē defectu pa. 22. & tit. De pasto. ca. 1. art. facultates pag. 264. Adolp 3. in his quæ in Ecclesijs Cathedralib. & Collegatis inquirenda sunt §. 3. & 4. pag. 478. a, b.

6. Dignitates, personatus, officia, præbendę, portiones, ac quęlibet alia Beneficia, quibus onera sunt annexa, non conferantur alijs, quàm qui ætatem à Canonibus prescriptam, & ceteras habilitates, integrè habere dignoscuntur, aliter irrita sit prouisio.

7. Nemo ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest promoueatur, nisi qui saltem vigesimum quintum ætatis suæ annum attingerit; & in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commēdetur, iuxta constitutionem Alexandri tertij, in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit. *Cum in cunctis*: Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quib. animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores, adscifcantur: & quod in superioribus, de Prelatis sanciuimus, in omnibus alijs beneficijs Ecclesiasticis, volumus locum habere, vt nemo deinceps ad dignitatem, Canonicatum, Portionē, aut quodcunq; Beneficium Ecclesiasticum recipiatur; nisi qui eo ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, prębenda aut portio requirit, aut in tali ætate, vt infra tempus à iure statutum initiari valeat.

Vide supra tit. De prælatis. artic. Ne autem defectu. *pag. 22. & tit. De diuinis officijs cap. De his quæ faciunt ad diligentiam, assiduitatem, numerum, & frequentiam, ministrorum, & c. art.* Quicunq; præbendas. *pag. 364. Cap.* Cū in cunctis *li. 1. De cretatum, De elect. & electi potestate.*

Vide supra tit. De Canonicis art. Vt

8. Ad Canonicatus, Præbendas, & Beneficia quibus in vniuersitate Colonienſi onus prælegendi annexum est

illi soli prouehantur, qui velint & possint onera, ipsis vigore Bullarum Apostolicarū imposita subire: alioquin vt titulo de Canonicis à nobis sancitum est, irrita & nulla sit prouisio.

hoc quod diximus pa. 235. Ado. 3. in his quæ in Cathedr. & Collegia. Eccl. inquir. sunt §. 9 pa. 478.

9. Quoniam in vniuersitate Colonienſi multi sunt qui huiusmodi præbendas, habent & eo nomine ad prælegẽdum & docẽdum astricti sunt, pauciq; aut nulli qui hoc præstent; & vt aliqui aliquando aliquid faciant minimè tamen satisfaciant; vt cõstet, quid quisq; huiusmodi aut aliud Beneficium, quod onus lectionis adiũctum habet obtinens, præstare debeat, & quando ob intermissam aut neglectam, lectionem mulctandus erit: Volumus vt Rector vniuersitatis, vnà cum Decanis singularum facultatum, & duobus alijs singulis Decanis à qualibet facultate adiungendis, quotannis bis eorũ numerum recensеat qui præbendas, Vicarias, aliaúe Beneficia huiusmodi obtinent, & singulis, in facultatibus; quibus ipsis videbitur, dies, horam & tempus prælegendi præscribant: nullusq; post hac ad talem Præbendam promoueatur, quin per se suo satisfacere possit officio, ac vniuersitatis nomen ac gloriam promouere.

10. Præcipuè verò rationẽ haberi volumus studij Theologici nempe vt in Scholis Theolog. quotidiè (exceptis dieb. duntaxat quib. lectiones intermitti solẽt) antè prandium nisi habeatur disputatio, & post prandiũ lectio fiat.

11. Quæ quidem horæ ita constituantur, ac habita ratione lectionũ q̃ in Gymnasijs fiunt, sic ordinentur vt Gymnasiorum professores hisce lectionibus interesse possint.

12. Porrò cum in hisce Prouincijs, & præcipuè in ciuitate Colonienſi multi sint Typographi, & ex illis nõnulli quib. est lucri odor bonus ex re qualibet, qui sine vllo iudicio, examine ac circumspectione quoscunq; libros ędunt, vnde aliqd lucelli sperant, etiamsi sine offensione & magno animarum periculo, ac Reipu. perturbatione, legi passim ab omnib. non possint, & imagines sæpè tales excu-

excudunt, quæ suo obiectu intuentium mentem, à iustitiæ rectitudine, per memoriam, imaginantem deformant, ac turbas etiam subindè in populo excitant; ideoque promulgata hic olim sit Bulla Innocentij octaui Romani Pontificis, qua sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, & mulcta pecuniaria per locorum Ordinarios, pro eorum arbitrio exigenda cauetur, ne Typographi libros, tractatus, aut scripturas qualescunque imprimere, aut imprimi facere præsumant, nisi consulto prius super hoc Ordinario, & eius speciali & expressa licentia gratis concedenda, quam ille non concedat nisi imprimenda diligenter examinauerit, aut à peritis & Catholicis examinari curauerint: vt ne quid imprimatur, quod aut orthodoxæ fidei contrarium, aut aliàs impium vel scandalosum existat; eique constitutioni inhærendo Concilium Prouinciale sub Hermanno quinto parte 12. cap. 9. prohibuerit ne vlli Typographi aut Bibliopolæ quempiam recens æditum libellum aut chartam vel imprimant, vel venum exponant, aut vendant publicè; vel occultè, nisi liber examinatus, & charta scripturam aut picturam continens, per deputatos diligenter prius perspecta fuerit, & Typographi nomen ac cognomen complectatur, atq; eā ciuitatem seu oppidum in quibus excusa sunt nominatim designent: vt Reipublicæ Christianæ hac quoque in parte, ad perpetua tempora optimè consulatur, & semper certi aliqui sint, quibus in libros, chartas, & imagines, Censoris munus incumbat, sine quorum approbatione in scriptis obtenta, nihil imprimi aut impressum vendi possit: Volumus similiter vt Rector vniuersitatis, vnà cum Decanis facultatum, & eorum Assessoribus, ex ijsdem qui Præbendas Vniuersitatis, aut alia Beneficia quibus simile onus adiunctum est, obtinent tot magistros, aut Licētiatos in Theologia vel alioquin alios viros doctos, graues & idoneos huic officio

Hanc Bullā habes supra pag 341.

Pag. 401.

officio deputent, quot in tanta typographorum & Bibliopolarum frequentia: ecessarios esse arbitrabuntur; qui in censendo, reijciendo, & approbando regulis, quę indici librorum prohibitorū à Deputatione Tridentinę Synodi confecto, præmissæ sunt, in omnibus satisfacere tenebuntur, et si propter onus Censorium ad pauciores lectiones, quam alij astringendi videbuntur, hoc ipsum à Rectore & Decanis decernendum erit.

13. Si eorum numerus, qui habent præbendas vniuersitatis, vel quibus est lectionis vel doctrinę munus annexū ferat, & videatur Rectori vniuersitatis, & facultatum Decanis fore vtile, iniungatur aliquibus vt certis diebus in Collegijs suis pro iunioribus Canonicis, Vicarijs ac Clericis, alijsque studiosis qui in vicinia habitant, Catechismum doceant, vel aliud non minus expediens, idque præcipuè fiat in Collegijs, quæ procul à scholis Theologorum dissita sunt.

14. Quo constituto, iudicij Decanorum erit decernere; quibusnam ex Canonicis, Vicarijs alijsque Clericis huiusmodi lectioni interesse tenebūtur. Qui si Decanis suis inobedientes fuerint, & præscriptæ lectioni interesse contempserint, mulctis alijsque pœnis Canonicis cogendi erunt.

15. Ad Beneficia, præsertim curam animarum habentia, non censeantur habiles, nisi qui in loco residere, ac per seipsos curam exercere valeant: iuxta Constitutionē Alexandri Tertij in Lateranensi, quæ incipit. *Quia nonnulli*, & aliam Gregorij X. in generali Lugdunensi Cōcilio, quæ incipit. *Licet Canon*, editam: aliter autem facta collatio siue prouisio omninò irritetur, & Ordinarius collator, pœnas Constitutionis Concilij generalis, quæ incipit *Graue nimis*, se nouerit incursurum.

Vide supra tit. De Pastoribus cap. 1. artic. Quare quæcunq; & sequent. *pag. 261. & cap.* Cupientes ex animo. *Medio 3: Concil prouinc sub Adol. 3. pag. 436. c. d & c. Cap.* Quia nonnulli. *de Clericis non residentibus. Ca* Licet Canon. *de elect & electi potestate in 6. cap.* Graue nimis. *De præbendis & dignitatibus.*

16. Qui in Catholica vniuersitate, ad aliquem eruditionis gradum promoti sunt, si vita ab eruditione nõ discordet, præcipuè si * pauperes fuerint, & sustentationis aliquo subsidio indigeant, præferantur alijs non promotis, maximèque nulla sustentationis accessione indigentibus, nisi euidens & manifesta Ecclesiæ vtilitas, aut necessitas, aliud in Domino faciendum cogat.

*D. Prosp. de vita contẽpl. li. 2. ca. 10.

17. Schismatici, hæretici, horumq; fautores & filij, vsq; ad secundam generationem, ab omni Beneficio Ecclesiastico habeãtur excluſi, irritumq; sit ac inane quidquid secus fuerit actum.

Ca 2. De hæret in 6.

18. Qui ad preces hæreticorum, aut fautorum eorundem, Beneficium aliquod fuerit adeptus, eo ex decreto Alexandri Quarti, sit destitutus, ac perpetuò priuatus; & si scienter illud receperit, ad alia vel similia nequaquam in posterum admittatur.

Ibidem.

19. Nullus extra diœcesanus, siue peregrinus, quantũcunq; notus admittatur ad aliquod Beneficium, vel eius deseruituram, in aliena Diœcesi, sine litteris commendatijs Episcopi à quo vltimo discessit.

Ca. Clericũ alienum, Dist. 72.

20. Sicut qui Matrimonium contrahunt ab omni Beneficio Ecclesiastico excidunt: ita eos qui contrahendi habent propositum, ad restituendum fructus, quos ex Beneficijs recipiunt, nisi voluntatem mutent decernimus obligari; & illum qui tali sciens Beneficium contulerit, præter diuinam quam exinde incurrit offensam, ad seruandam Ecclesiam indemnem ipso iure teneri.

Capi. Commissa De elect. in 6.

21. Ne ab his, qui pleno, quod aiunt iure, Beneficia Ecclesiastica se conferre posse præsumunt, indigni promoueri queant; sine dissimulatione, sanctissimè seruari volumus, cap. 13 sess. 7. Concil. Trident. hic aliâs publicatũ; & præsentatos seu electos, vel nominatos à quibusuis Ecclesiasticis personis, etiam sedis Apostolicæ Nuntijs, ad quæuis Ecclesiastica Beneficia non institui, nec confirmari, neque admitti, etiam prætextu cuiusuis priuilegij seu

Conc prouin sub Adolp 3. Medio 2. cap. Porro quo plus, & seq. pa. 432. d. Vide supra tit. De pastor. ib. ca. 1 art. 2. etc. pa. 251.

seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tẽpore præscriptæ; nisi fuerint prius à locorum Ordinarijs, examinati & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Præsentatis, tamẽ electis, seu nominatis, ab vniuersitatibus seu Collegijs generalium studiorum exceptis.

22. Patronis, alijsque sęcularibus, qui habent ius præsentandi aliquem ad Beneficium Ecclesiasticum, siue cura animarũ illi annexa fuerit, siue ab ea fuerit liberum, multò minus liceat, cuiusuis priuilegij prætextu, aliquem ad Beneficia sui iuris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem prouisio, seu institutio ipsius beneficij, cessante priuilegio, iure pertineret, quoquo modo præsentare; aliàs prędsentatio ac institutio forsan secutæ, nullæ sint & esse intelligantur. Quod si autem ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen, præsentati à Patronis, examinentur, & si idonei non fuerint, repellantur; & si Patroni contra hæc decreta, ac Canonicarum sanctionum regulas, via facti aliquem intrudere tentauerint; iure præsentandi, ex decreto Concilij Prouincialis sub Adolpho tertio habiti, pro ea vice destituti ac priuati sint, & per Ordinarium, in præsẽtati locum, surrogetur alius, atq; nihilominus pœnæ, quas iura in intrudentem, & recipientem constituunt, mandentur executioni.

Conc. prouin. sub Adolp. 3. Medio 2. cap. vlt. & in his quæ in Cathedra. et collegiat. Ecclesijs inquirẽda sunt § 16. pa. 479 a b. Stat. Sifr. ca. 15 pag. 47. d. Vide supra tit. De pasto. cap. 1. artic. Quod vt obtineam[a] pag. 251. Conc. prouin. sub Herm. 5. par. 1. ca. 12. et 5. Cõ. Salegunst. cap. 13.

23. Mandata de prouidendo, & gratiæ, quæ expectatiuæ dicuntur citra legitimam Romanę sedis dispensationem amplius non concedantur; nec concessis, iuxta decreta Concilij Tridenti. vti cuiquam liceat. Reseruationes quoque mentales, & alias quascunq; gratias ad vacatura, & indulta ad alienas Ecclesias & monasteria † accessus, regressus, aut coadiutorias cùm futura successione, abrogata eodem modo habeantur.

Concil. prouin sub Herman. 5. part. 1. ca 5 & cap. 2. De conces. præbend & cap. Detestanda, *eodem titul. in 6. Concil. Trid. sess. 24. cap 19. De reformat. sess. 25. cap 9. De reformat. † Ibidem, ca. 7.*

Vide cap. 9. Synodi Diœcef. sub Vvalram. habit. pagi. 115. c.d. 116. a.b. Ext. li. 3 tit. 19 ca. 5 & 7.

24. In collationibus, resignationibus, aut cessionibus, & permutationibus, quorumuis Beneficiorum, nihil fiat contra Constitutiones Pij Quinti, quarum vna de cõfidentijs, altera de nõ admittẽdis per Ordinarios resignationibus, edita est. Quæ vt ad omniũ notitiã perueniant, hisce decretis adiunctæ sunt: vt autem obseruentur, volumus vt in ciuitate Colonienſi, permutantes, cedentes, resignantes ex decreto Synodi Diœcesanæ Anno 1550. feria 3. post S. Matthiæ habitæ, antequam permutatio, cessio, aut resignatio fiat, à Vicario in spiritualibus, & Theologo quem sibi adiunget, super his diligenter examinẽtur, eisque in proprijs personis examinandos sese sistant: extra verò ciuitatem in Diœcesi tamen Colonienſi, ne examinandi qui procul à ciuitate Colonienſi habitant, nimis grauentur, examinis huius curam examinandorũ Collegiatarum & Ruraliũ Ecclesiarũ Decanis iniungimus, & his, quos hi vel ex Collegio suo, & aliundè, non vulgari eruditione ac pietate præditos, ad examen hoc instituendum, sibi adiungẽdos in Domino decreuerint. Et si ipsi Decani præmissorum causa examinandi sint, ipsorũ Archidiaconis, aut Reuerendissimi Episcopi Vicario in spiritualibus eorum examen reseruamus; eandemque aut similem, in alijs huius prouinciæ Diœcesibus permutantium atque resignantium curam ac rationem haberi desideramus.

Syn. Diœcesan. 1550. in vere habita pa. 467. b. Conc. proui. sub Adolpho 3 Medio 2. ca. Porro quoplus, & seq. pa. 432. & c.

Conc. prouin. sub Herm. 5. par. 1. ca. 4.

25. Omnis nominatio, electio, præsentatio, collatio, resignatio, cessio, permutatio, institutio, installatio, vel alia prouisio, & nominatorum, electorum, vel præsentatorum, examinatio, iuxta Dei ordinationem, & sacrorum Canonum sanctiones, purè, simpliciter, & gratis fiat nulla interueniente prece aut precio, nullius obsequij gratia, nulliusque muneris, etiam sponte oblati intuitu; atque in his, & quauis alia admissione, ad possessionem, ceteriſque similibus id obseruetur, quod capite decimo quarto sessionis vigesimæ quartæ in Tridenti-

Tridentino Concilio constitutum est,& sub ijsdem pœnis. Cuius quidem decreti verba, ne quis in alium sensum detorqueat,quàm'ex sententia Concilij accipienda sunt:in pios vsus,pro huius decreti intelligentia conuerti intelligatur, quod vel in seminarij subsidium, vel in pauperũ eleëmosynas,vel in Ecclesię fabricã destinatur.

26. Vt à Simoniaca prauitate omnes contineantur: declaramus præsentationes, electiones, collationes, & quaslibet alias prouisiones seu dispositiones beneficiarias omnes,per realem Simoniam factas,viribus omninò carere,nec per eas ius aliquod cuiquam acquiri;& sic prouisos,præter pœnam excommunicationis Papalis, quã cum ipsis mediatoribus ipso iure incurrunt, etiam ad omnium fructuum, ex Beneficijs sic acceptis, perceptorum restitutionem astringi,&inhabiles ad idem Beneficium, & alia quæcunq; fieri,atque in quibusdam casibus, omnia Beneficia & acquisita & acquirẽda perdere, & infamiæ macula in perpetuum notari, ac collatores, electores,præsentatores,confirmatores, & institutores à Beneficiorum & officiorum collatione, nec non electione,præsentatione,& institutione, prout cuiq; competierit,suspensos esse.

*Concil prouinc.sub Conrado Cardinali cap.9.10.11.pag.5. Concil.prouinc. sub Conrado Archiepiscopo cap.5.pag.11.Ca.*Sanè ne in vinea,*& cap.* Cum detestabile, *in extrauagãt. cõmunit.De Simonia.Conc. Cõstant.sess.43.vide tit.De Simonia & 1.Quæst.3.cap.2 3.& alibi.& extrauagãt Pij 5.De cõfidẽtijs;& De nõ admittẽdis per Ordinarios resignationib etc.*

27. Prætextu iurium sigillĩ,aut pro litteris,registrationibus;cæterisq; eôdem spectantibus, in mediocribus Beneficijs, qui id oneris habent,& instrumẽta examinare, registra conficere & conseruare debent, non accipiant vltra dalerum simplicem, quinquaginta duorum alborum currentium vt vocant,nunquam verò, ne in maximis quidem accipere possint vltra aureũ coronatũ,siue quatuor florenos Colonienses.

28. Quicũq; nominatos,electos,prę sentatos,ad aliquod Beneficiũ Ecclesiasticũ instituẽdi ius, & authoritatẽ ha- *Vide Concil. prouinc.sub Conrad. Car-*

Rinali, cap. 9. 10. 11. pag. 5. Concil prouinc. sub Herm 5 parte 1. cap. 11. Cõc. Laterane. sub Innocent. 3. cap. 3. Cap. Extirpandæ De præbend. & dignita Ext. lib. 3. tit. Vt Ecclesiast. benefic. sine diminutione conferantur.

bent; Beneficiorum, ad quæ instituere possunt fructus, redditus, & obuentiones omnes sciant; & antequam nominatum, electum vel præsentatum instituant, studiosè explorent, anne nominationis, electionis, vel præsentationis causa, aut quouis alio nomine eorum pars aliqua reseruata sit, nec non, an in illorum perceptione, sacrilego ausu, aliqui se ingesserint: & si quid horum cognouerint accidisse, id antè institutionem (si tale fuerit, vt eam impedire posset) Ordinario indicent, eoq; casu sine eius iussu institutionem ne faciant. Mandamus porrò ijsdẽ vt antè institutionem aut prouisionem, ab instituendis aut prouidendis hoc iuramentum recipiant. *Ego N. iuro quod pro obtentione huius Beneficij, vel officij, in quo instituendus sum, neq; ego neq; alius quisquam nomine meo, expresso vel tacito meo consensu, adeoq; nec conscientе me aliquam illicitam pactionem fecerit, arteue vel pretio, aut ambitiosa prece, illius consequendi causa, viam mihi fecerit, aut contra constitutiones Pij Quinti, de confidentijs, & non admittendis per Ordinarios resignationibus editas, aut alias Canonicas sanctiones, in aliquo peccauerit. iuro etiam quod Romano Pontifici, & Episcopo meo, eius q; successoribus, & alijs superioribus meis, in omnibus licitis & honestis ero obediens: nec non quod iura ac bona omnia mobilia & immobilia Beneficij (aut officij) huius fideliter conseruabo, & si quæ fortè alienata sunt pro viri li satagam recuperare, eorum q; inuentarum, Episcopo aut superioribus meis: quãdocunq; eis placuerit, tradam. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.*

Synod. Diœcesan sub Adolp 3. An 1551 feria 2. post Dom. in uocauit habit. cap. 2 pa. 523. 524.

29. Quod si verò instituendus iure aut consuetudine ad residentiam teneatur præterea iuret, se omninò residentem futurum, neq; ab Ecclesia, prout onus Beneficii, vel officij sui iure aut consuetudine requirit, vnquam discessurum, nisi obtenta ab eo, qui illam ex horum decretorum, vel aliâs iure, aut consuetudine, concedere potest, facultate.

30. Quo-

30. Quoniam Ecclesiastica Beneficia magis instituta sunt, vt Ecclesijs de idoneis ministris, quam vt ministris de Beneficijs prouideatur; vehementer Ecclesiasticum ordinem peruertunt, diuino honori & gloriæ, diuinorumque officiorum maiestati plurimum detrahunt, intercessoribus Ecclesiam minuunt, & maximo cum fidelium aliorumq; scandalo, viuis atque defunctis, grauissimam & intolerabilem faciunt iniuriam, sibiq́ue turpissimam insatiabilis auaritiæ inurunt notā, prorsusq; à Clericalis professionis dignitate recedūt, quotquot mediocri bonorum Ecclesiasticorum portione non contenti, officia vel Beneficia, pluribus personis destinata soli occupant. Quod malum vt de medio populi electi auferamus; in primis persuasum esse omnibus cupimus, hoc quod Beneficiorum Ecclesiasticorum multitudine consequi laborant, obtineri per eam non posse. Cupiditas enim habendi, cuius illud negotium est, nunquam hac ratione satiatur,† sed semper in habendis, nunquam in habitis finem cōstituit, fitq́; iustissimo Dei iudicio (quia plurimi sibi coaceruant Beneficia plura, & non tā Christiana spe bonorum omnium autori, quàm prudentiæ suæ vanitati inhærent) vt per temporum iniurias aliasq; calamitates, iustissimasq́; vindictas, & castigationes, ex multis Beneficijs non tam piè & feliciter nunc viuant, qui plura Beneficia obtinent; quàm ex vno ipsi, vel antè eos eorum maiores olim viuebant; & impletur Prophetæ illa vox.* *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus.* Nec necessariæ huius castigationis videmus finem, nisi conuertantur ad percutientem se, ac cupiditati modum ponant. *a* Quare habentes victum & amictum, his contenti sint, & prę laicis ac diuitibus huius sæculi (quibus illud dictum est) fide, spe, & charitate feruentes, non tantū habitis adijcere, & diuites fieri in hoc sæculo non studeant, sed & de eo quod habent, quantumuis id parum fuerit, cum pio Tobia eleëmosynas faciant, & hospitalitatis

Conc. prouin. sub Herm. 5. par. 1 ca. 32.
Conc. prouin. sub Adolp. 3. Medio 3 cap. Cupientes ex animo. pa. 436.
Vide extra. uag. Ioha 22. cuius initiū Execrabilis. *Cō. Trid. sess. 24. ca. 17.*
Huc porrò referendi sunt omnes Canones, quibus prohibetur, ne quis ab Ecclesia, in qua in ordinatione sua conscriptus est, transeat ad aliā: si enim hoc Canones non permittunt, multò minus vt emolumentū percipias plurium Ecclesiarū in quib⁹ ministrare non possis. Huiusmodi videre est.
Cōc. 1. Nicæ. ca 15. & 16. Antioch. c. 3. Arelat. 1. ca. 2. & 22 Mileu. cap. 15 c. Quia in tātum. *c.* Ad

tatis officium, à sanctis *b* Patribus frequenter commendatum, promptè benigneque exercere assuescant, atque hac saltem ratione, rerum huius sæculi se non seruos sed Dominos esse ostendant, & Euangelicæ perfectioni, ac Deo magis magisque appropinquent. Porrò vt infirmas quorundam voluntates Ecclesiæ authoritate confirmemus, & faciles ad peccandum, religiosis Patrum sanctionibus contineamus, præter ea quæ in *c* præcedentibus ad huius mali extirpationem inseruimus, hæc omnibus obseruanda præscribimus.

hæc. ca. Cũ non ignores. ca. Referente. ca. De multa. de Præb. 21. qu. 1. per totam. ca. Quia non nulli. de Cler. non resident. Dist. 70. cap. Sanctorum. D. Thom quodl. 9 art. 15. Prosper li. 2. c Titul. De

† 1. Timoth. 6. Prouerb. 23. * Aggæi 1. a 1. Timoth 6. D. Hieron. in epist. ad Nepotian. De vita contemplat. cap. 9. 10. 15. 16. & c. Prouerb. 11. b Concil. Trid. sess. 55. ca. 8. De reformat. Dec. Collegialibus, & De sacro Ordine et alibi.

31. Qui Ecclesiasticum aliquod habet Beneficium, quod ei ad honestam suam sustentationem sufficiat, ad aliud etiamsi simplex sit, in posterum promoueri vel institui non possit, nisi iureiurando promiserit, se Beneficium quod habet, antequam fructum ex posteriori Beneficio recipere possit, resignaturum esse. Si autem ambiguum erit sufficiatne ei illud quod habebat, ad honestè & decenter viuendum, Ordinarij iudicium requiratur, † & sine legitima ac necessaria dispensatione, nemo in duabus Ecclesijs conscribatur.

† D. Bernar. epist 271. D. Thom. quodl. 9. art 15. Quæ autem requirantur in huiusmodi dispensationibus, vide apud eundem li. 3. de Consideratione.

Conc. prouin. sub Conr. Archiepis. ca. 9. pa 13. d Conc. Lateranens. sub Innocentio 3. ca. 9.

32. Quando ob prouentuum tenuitatem, vnum alicui Beneficium sufficere non potest, ad vitam honestè agendam, licebit aliud simplex eidem conferri; dummodo vtrumque personalem non requirat residentiam, vel alterum alterius officium, aut ministerium non impediat, nec sub eodem fuerint tecto. Non tamen in his quidquã agendum est sine illius consensu ac legitima dispensatione, cui ex authoritate & munere suo incumbit, de huiusmodi iudicare ac statuere: manifestum enim est, (si proprio vniuscuiusque hic standum erit iudicio) quod frugali cuiusque sustentationi satis est, parum videri cupidita-

piditati,& obtentum neceſſariæ ac honeſtæ ſuſtentationis, vel prudentiæ obumbrari negotium timiditatis vel cupiditatis. Et cum ab omnibus ſemper iudicatum fuerit,ordinem Eccleſiaſticum vehementer* peruerti,quãdo vnus plurium occupat officia Clericorum; quiſquis id ſine legitima autoritate & diſpenſatione faceret, magnæ temeritatis,turpitudinis,improbitatis,adeoque etiam impietatis notam haberet,alijſq; liberius peccandi anſam daret.

*Vide Conc. Trid. ſeſ 24. c. 17 aliaſq; loca §.30. pa. 559. citata.

33. Qui contra formam ſacrorum Canonum & præſertim Conſtitutionis Innocentij Tertij,quæ incipit. *De multa*, incompatibilia Beneficia recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit, Beneficijs ipſis iuxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem, ipſo iure priuatus ſit.

Ibidem.vide ſupra tit.De Prælatis,artic. Omnes qui.*pag.25.& tit.de Paſtoribus.ca 1.art.* Quia vero qui duo,*& ſequent pag 261.& Syn.Diœceſ ſub Adolp 3.An.1551.feria 2.poſt Dominic.* Inuocauit *habit.in qua publ.fuit ca.4 ſeſſ.7.Concil.Trid.& formul. inquiſit.in in Eccleſ.Cathedral.& Colleg.§.37.pag.480 Cap* De multa. *De præbend.& dignitati.*

34. Qui ad incompatabilia Beneficia diſpenſationes habent, eas intra mènſem, à die publicationis horum decretorum, nobis aut Ordinario ſuo præſentent examinandas, ſub pœna in Conſtitutione Gregorij decimi expreſſa, ad quam ſe refert Concilium prouinciale, ſub Adolpho Tertio habitum,& quam ſynodus Diœceſana Anno 1551. feria 2. poſt Dominicam *Inuocauit* celebrata, per decreta Concilij Tridentini innouatam publicauit.

Conc.prouin. ſub Adolp.3. Medio 3.ca. Cupientes ex animo,pa. 236.d.237.a. Synod. Diœceſ.An.1551. habi.pa.521. c.Stat VVilhelm.cap.4. pa.156.b c.d.

35.† Beneficiarius plura habens Beneficia compatibilia, ex mente fundatorum, ac Patrum, & ſacrorum Canonum Decretis,ſatisfaciat officio,cuius gratia Beneficium accipit,& ab Eccleſia vbi Beneficium negligit, nihil participet.

†*Conc.prouinc.ſub Adolp.3.loco proximè cita*

36.* Vt de examinandis vnionibus & viſitandis Eccleſiaſticis Beneficijs ſatisfiat decretis Concilij Tridentini, in ſynodo Diœceſana Anno 1551. receptis & publicatis, ſinguli Decani Collegiatarũ & Ruraliũ Eccleſiarum in

*10. Concil. prouinc.ſub Herman.5. part.1.ca.33. *Conc.Trid. ſeſſ.7.c.6 et 7.De reformat.Synod.*

Diœce. An. 1551 habit. pa. 521. d, 522. a.

proxima Synodo Diœcesana exhibeant omnes vniones perpetuas sui districtus, aut regiũculæ, à quadraginta annis iuxta definitionem eiusdem Concilij, citra factas siue in totum sortitæ fuerint effectum siue non.

37. Indicem quoque faciant omnium Collegij, regiunculæ, iurisdictionis, vel inspectionis suæ Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ tam tenuia sunt, vt singula ad honestam Sacerdotis aut Clerici sustentationem nõ sufficiant: vt communi consilio & publica auctoritate statuatur, quid de ijs faciẽdum sit; ac potius duo vel tria, si necesse fuerit, legitimè vniantur, quàm vt vnus in duabus Ecclesijs contra sacrorum Canonum sanctiones conscribatur.

LIB. III. DECRET. DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS. Cap. 3.

QVia nonnulli modum auaritiæ non ponentes, dignitates diuersas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias paræciales, contra sacrorum Canonũ instituta nituntur accipere, vt cum vnũ officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum; ne id de cætero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam eius per se ipsam valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit: & qui receperit, quod contra sacros Canones accepit, amittat; et qui dederit, largiendi potestate priuetur.

IN SEXTO, DE ELECTIONE ET ELECTI potestate, Caput XIIII.

LIcet Canõ à feli. recor. Alexand. P P. 3. prædec. nostro editus, inter cætera statuerit, vt nullus regimen Ecclesiæ parochialis suscipiat, nisi 25. ætatis annũ attigerit, ac scientia & moribus commendandus existat; quodq; talis ad regimen assumptus huiusmodi, si monitus non fuerit, præfixo à Canonibus tempore, in Presbyterum ordinatus, à regiminis eiusdem amoueatur officio, & alij cõferatur. Quia tamen in obseruatione Canonis memorati se multi exhibent negligentes, nos periculosam illorum negligen-

negligentiã, volẽtes iuris executione suppleri, præsenti decreto statuimus; vt nullus ad regimẽ Paræc. Eccl. assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, & ætate. Decernentes collationes de parochial. Ecclesijs, ijs qui non attigerint 25. an. de cætero faciendas, viribus omninò carere. Is etiã, qui ad huiusmodi regimẽ assumetur, vt gregis sibi credit diligentius curam gerere posit, in paræciali Ecclesia cuius rector extiterit, residere personaliter teneatur. Et intra annum à sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoueri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi cõmissa (nulla etiam præmissa monitione) sit præsentis constitutionis authoritate priuatus. Super residentia verò (vt præmittitur) facienda, possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit.

LIB. III. DECRETAL. DE PRAEBENDIS ET dignitatibus. Caput XXVIII.

DE multa prouidentia fuit in Lateran. Concil. prohibitũ, vt nullus diuersas dignitates Ecclesiast. vel plures Eccl. parochiales reciperet contra sacrorũ Canonũ instituta; alioquin recipiens, sic acceptum amitteret, & largiendi potestate conferẽs, priuaretur. Quia verò propter præsumptiones, & quorundam cupiditates, nullus hactenus aut rarus de prædicto statuto fructus prouenit: nos euidentius & expressius occurrere cupiẽtes, præsenti decreto statuimus, vt quicunq; receperit aliquod Beneficium, curam habens animarum adnexam, si prius tale Beneficium habebat, eo sit ipso iure priuatus: & si fortè illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Is quoq; ad quẽ prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat, cui meritò viderit conferendũ: & si vltra sex menses cõferre distulerit, non solũ ad alios, secundũ Latera. Concilij statutũ eius collatio deuoluatur, verumetiam tantum de suis cogatur prouẽtibus in vtilitatem Ecclesiæ, cuius est illud Beneficium assignare, quãtũ à tẽpore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Hoc idẽ & in personatibus decernimus esse obseruandum; addentes vt in eadẽ Eccle. nullus plures dignitates, aut personatus habere p- Ca. Quia nonnulli.

sumat, etiam si curam non habeant animarum, Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ maioribus Beneficijs sunt honorandæ: cum ratio postulauerit per Sedem Apostolicam poterit dispensari.

LIBRO III. DECRETAL. DE PRAEbendis & dignitatibus. Caput XXVIIII.

GRaue nimis est & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cum, possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promouere, adsumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non iudicium rationis: vnde quanta Ecclesijs damna proueniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus vt prætermissis indignis, idoneos assumant, qui Deo & Ecclesijs velint & valeant gratum impendere famulatum: fiat q; de hoc in prouinciali Concilio diligens inquisitio annuatim: ita vt qui post primam & secundam correptionem fuerit repertus culpabilis, à Beneficijs conferendis per ipsum Concilium suspendatur, institutaque eodem Concilio persona prouida & honesta, quæ suspensi suppleat defectum in Beneficijs conferendis. Et hoc ipsum circa Capitula quæ in his deliquerint, obseruetur. Metropolitani verò delictum superioris iudicio relinquatur ex parte Concilij nuntiandum. Vt autem hæc salubris prouisio pleniorem consequatur effectum: huiusmodi suspensionis sententia præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ minimè relaxetur, vt in hoc quoq; quatuor Patriarchales sedes honorentur specialiter.

S. D. N.

S. D. N. D. PII PAPÆ V. NOVA CONSTITVTIO. DE CONFIDENTIIS BENEFICIALIBVS, earumque casibus, præsumptionibus & probationibus, cum relaxatione cognitionis causarum, præterquam pendentium. itemque futurarum. De collatoribus, Episcopis, & superioribus, Beneficijsque consistorialibus.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INTolerabilis multorum peruersitas, qui sacrosanctas Constitutiones, nouis quotidiè fraudibus eludere nituntur, sæpè illarum auctores in necessitatem adducit cautius prouidendi, quò pertinacium animi ab improbis conatibus grauiore sanctione proposita reprimantur. Benè quidem & prouidenter feli. recor. Pius Papa quartus prædecessor noster, ad tollendam fiduciariæ mancipationis Beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam statuit & decreuit, vt ipso iure vacarent Ecclesiæ, Monasteria, cæteraq; Beneficia Ecclesiastica in confidentiam, à quibuscunq; etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, cuiusuis personæ contemplatione, vel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem sibi, & Apostolicæ sedi reseruando. Nec valerent ipsorum collationes, seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reseruationes, nec facultates, illas transferendi, nec regrediendi, seu accedendi & ingrediendi ad Ecclesias, Monasteria, Beneficia supradicta, illaq; recipientes, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebitè perciperent. Prohibens quibuscunq; etiam sub censuris Ecclesiasticis, ne quid huiusmodi amplius auderent. Ac etiam decreuit, omnes & quascunq; prouisiones, præfectiones, collationes, com-

mendas, & alias dispositiones, de Ecclesijs, Monasterijs, & Beneficijs, nec non reseruationes fructuum, pensionum, rerum, & iurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, alias q; facultates, siue per se, siue futuros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio, ac consistorialiter, siue etiam per Ordinarios Collatores, etiam ad patronorum præsentationem, cum interuentu confidentiæ huiusmodi siue expresse siue occultè, ac de iure præsumpto & aliàs contra prædicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam suffragari; sed Ecclesias, Monasteria, & Beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac prædictæ dispositioni, reseruata esse, sic q; per quoscunq; etiã per præsumptiones & coniecturas legitimas, & aliàs eorum arbitrio procedendo (cum alioqui confidentias huiusmodi in lucem erui & probari non posse constaret) iudicari, & diffiniri debere: Nec non irritum & inane quicquid secus cõtingeret attentari, quemadmodum confectis super his litteris suis plenius continetur. Veruntamen propter improbas multorum cupiditates, prædicta, quæ ad purgandam hac pernicie Ecclesiã, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse grauius delinquẽdi. Siquidem cum frequẽtibus plurium querelis pridem concitati, quod iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediẽ dis remissiores essent; omnes & singulas causas vbicunq; & inter quoscunq; motas, ad nos aduocassemus, ac omnimodam huiusmodi causarum præsentium, et futurarũ, rerum q; omnium ex ipsis resultantium cognitionem, nobis & successoribus nostris reseruauissemus, & super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde nec leuib. coniecturis intelleximus, vitium quidem confidentiæ occultè irrepsisse, sed pleris q; causis præsumptiones, & coniecturas, quæ ad illud probandum deducũtur, minimè sufficere, eius q; rei causa plurimos, qui antè litterarum prædictarum editionem huiusmodi confidentias exercebant, vbi cognouerunt obstructã veritatẽ, propter difficultates probandi in iudicio confidentias ipsas, contempta constitutione prædicta, Ecclesias, Monasteria, et Beneficia, sic recepta, vt prius retinere; alios fructus, pensiones, &

alias

alias res recipere; alios eorum exemplo ad similia & grauiora, fidentius commoueri: Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes; alij ne cogantur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu Clericali, vt ad bellum proficiscantur, vt inimicos occidant; alij vt alieno nomine lites agant, aut defendant; alij propter crimina incapaces; quidam vt purgato delicto, vel absolutione consecuta illa repetant, eadem in alios deponunt, & in plerisq; fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe Laicis, & inhabilibus; plerique vel senes, vel infirmi, vt Beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nascituris asseruent, facto interdum circuitu retrocessionis, cùm reseruatione fructuum, & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis qui præstandorum Iurium Cameræ Apost. sunt immunes; alij, aut incapaces, aut alijs Beneficijs Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes, aut merè Laici, Beneficia Ecclesiastica alijs conferenda procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Adhæc plerique Ordinarij, & alij Collatores, ac etiam Patroni Laici curant deponenda Beneficia, vt fructus seu pensiones capiant eorundem, alijs ue faciant ministrari. Alia item permulta eiusce modi admittũtur, quibus immaculata rerum diuinarum puritas impiè violatur, disciplinæ Ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum.

Quare nos volentes periculosam talium audaciam, noui iuris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus: vt si quis quacunque auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud Beneficium Ecclesiasticum qualecunq; ex resignatione, vel cessione cuiuscunq; personæ simpliciter, aut cùm circuitu retrocessionis, cùm regressu vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa vel illud etiam in euentum regressus vel accessus, eidem dimittenti vel alteri post ea cõferatur, aut illius

fructus

fructus vel eorum pars, alij vel alijs concedantur, vel pensiones soluantur, ex eisdem hæc confidentiæ censeatur.

Itidem si Ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum Beneficium Ecclesiasticum quouis modo vacans, ea conditione, tacita vel expressa, vt postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscunq; contra iuris communis ordinationem disponatur, siue vt de eo prouisus, fructus illius, vel partem, ad vtilitatem vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat & remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem collator, aut cedens, vel alius, per se vel alium scripto, aut verbo iusserit seu significauerit, persoluat, & pariter si à patrono, etiam Laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri:

Adhæc si Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem vel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio Beneficio Ecclesiastico in se Apostolica vel alia auctoritate factam & admissam, illam vel illud etiam, confectis litteris Apostolicis, & possessione appræhensa, in eundem resignantem vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum aut trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu Monasterij aut Beneficij, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatum, aut regressus seu accessus, & ingressus ad illam vel illud, ipsi Clerico vel Cardinali, aut alij exempto sit fueritue concessus. Post remò si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunq; auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud Beneficium Ecclesiasticum, quod antè vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quouis horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, casus q; huiusmodi litteris præscriptis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen, alterius tantum partis conscientia sit admissum.

Ad probandum vero plenè confidentiarum abusum, inter alias

alias etiam hæ præsumptiones, & coniecturæ habeantur legitimæ, videlicet, Si qui post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium aut Beneficium, & publicatam resignationē, seu cessionem, captamq; à successore possessionem, sese in illa vel illo, seu rebus illius per se, vel alium seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunq; successor illi, vel eius propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorundē si recipiens Beneficium, constituerit dimittentem, vel eius parentes aut propinquos procuratores ad percipiendum vel locandū fructus Beneficij dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit: si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalib. mensariorum ex parte dimittentis, expeditio quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit. simulq; expensæ, pro ea necessariæ, ab illo factæ fuerint: Denique si quis pro concessione alicui facta, quacunq; auctoritate de Beneficio Ecclesiastico, per se vel alium seu alios, intercesserit, vel alios in negocio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis Beneficij de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit. seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque.

Testes autem de quaque re singulares, singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturas, pluresque huiusmodi præsumptiones & coniecturæ, plenam probationem faciant in prædictis. Cæterùm criminosi & cæteri omnes, qui ad prohibendum in casibus Simoniæ testimonium recipi possunt, ad præscripta omnia admittantur.

Sed ne quisquam etiam, vana fiducia fretus non intendendi contra se iudicij, in crimine perseueret, vtq; hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaq; prohibeatur; omnes & singulos, qui hucusq; Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, pensiones, aliasque res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi & resipiscentes, celeri dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserit in futurum, etiam omnib. & singulis alijs Ecclesijs, Monasterijs, dignitatibus, administrationib. officijs, & Beneficijs obtentis, quæpariter sub

dicta reseruatione comprehendi volumus, nec non fructibus, pensionibus, et alijs rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & alijs officijs temporalibus, præsentiũ auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris subsidium, excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quàm à Romano Pontifice, absolutionis Beneficium valeat obtinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & reseruatione cognitionis illarum, rerumq; omnium inde emergentium, nobis & præscriptis successorib. vt præscriptũ est, factа, causis illis dumtaxat exceptis, quæ iã coram nobis pendêre noscuntur, ac etiam ijs, quas ratione Ecclesiarum et Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consueuit, aut debet, itemq; contra Ordinarios collatores, Episcopos, & alios superiores Prælatos, etiam Cardinales, haberi contigerit, vti iam alijs nostris litteris statutum est audiendis, decidendis et terminãdis, harum serie prorsus relaxata decernimus, ita deinceps quoscunq; Iudices, Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac præscriptæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & ipsorum cuicunq;, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, vbiq; iudicari, interpretari, & diffiniri debere, nec non irritum & inane quicquid secus in prædictis, per quoscunq; quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca omnibus locorum Ordinarijs, districtius iniungimus, vt in suis quisq; Ecclesijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis etiam exemptis, ad præscripta studiosè attendant, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes seuerè animaduertant, si Diuinæ maiestatis iudicium, dictæq; Sedis censuram voluerint euitare. In cæteris verò causis, & negotijs (nobis & prædictis successoribus exceptis) eosdem locorũ Ordinarios præsentium auctoritate delegamus, vt gratia & fauore postpositis pro se quisq; cùm venerit vsus contra præscriptos omnes, sub ipsa exceptione comprehensos, diligenter inquirant, suoq; inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad præscriptã Sedem quamprimũ transferant, vt nos & præscripti successores, in causis huiusmodi procedêtes, quod

quod iustum fuerit, decernamus. Nos enim singulis Ordinarijs ipsis præscriptos, oēs & quoscunq; alios, etiam exemptos, etiā per edictum publicum, cōstito prius summariè & extraiudicialiter de non tutò ad illos accessu, citandi & monendi, eis q; ac iudicib. ordinarijs, & delegatis, alijs q; personis quibuscunq;, ne præscriptorum executionē quoquo modo impediant, vel aliàs in illis sese interponant etiam per simile edictum inhibendi, eosdem q; ac alios contradictores, & rebelles quoscunq;, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia alia iuris & facti remedia oportuna, compellendi, auxilium brachij sæcularis quandocunq; opus erit inuocandi, cætera q; in præscriptis omnibus & singulis necessaria faciendi, & exequendi plenam & liberam, tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus fel. rec. or. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus Diætis, alijs q; Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, quod q; Episcopis, Collatoribus, & Prælatis præscriptis, etiam Cardinalibus, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta huiusmodi ad iudicium trahi non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcunq; tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectus præsentium, aut attributæ prædictis Ordinarijs iurisdictionis explicatio, seu exercitiū, vel executio, impediri valeat quomodocunq;, vel differri, & de quib. quorum q; totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, cæteris q; contrarijs quibuscunq; litteris p̄decessoris huiusmodi, nihilominus in suo robore duraturis.

Volumus autem vt præsentiū exemplā, etiam impressa edantur, ea q; Notarij publici manu, & cuiuscunq; curiæ Ecclesiasticæ, eiusue Prælati Sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in iudicio & extra vbique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, statuti, decreti,

innodationis, iniunctionis, delegationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo, quingentesimo, sexagesimo nono, Kalen. Iunÿ, Pontificatus nostri anno quarto.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1569. Indictione duodecima, die verò Sabbathi sexta Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Dn. N. D, Pÿ diuina prouidentia Papæ Quintiano quarto, retroscriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt, ad valuas Basilicarum Lateranens. & Principis Apostolorum de urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, dimissis in omnibus supradictis locis earundem retroscriptarum litterarum copÿs affixis, per nos Iulium Parinum & Ioannem Andream Panizzam prædicti Sanctiss. Dn. N. Papæ Cursores.

Christianus de Monte Magister Cursorum.

CON-

CONSTITVTIO S. D. N. D. PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE V. RELAXATIONIS, PROHIBITIONIS, DE NON admittendis resignationibus, per Ordinarios, cum modificationibus.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, *Ad perpetuam rei memoriam.*

QVANTA Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidiè magis afferat, ministrorum in eam ingressio vitiosa, iam latè perspiciant, & cùm mœrore expendant Præsules omnes & Pastores, quando hæc pernicies cæterarum omnium maxima, tam multas orbis Ecclesias impiè violarit. Quia vero hoc malum cũ in cæteris frequens, tum maximè in Beneficiorum & Ecclesiasticorum officiorum dimissione admittitur; nemini molestum esse debet, quod perinde de reprimendis quotidianis fraudibus, quæ hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem inituri, officij nostri partes in prohibenda omnibus interim resignationum huiusmodi receptione, paulo seuerius interposuerimus, omnesq; Beneficiorum interim resignandorum dispositiones quæ fierent, in irritum reuocauerimus, ac etiam decreuerimus nullum per eas in illis ius, neq; titulum, vel coloratum, tam in petitorio quàm in possessorio, ipsis prouisis tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuò inhabiles fore; Collatores verò aliàs in illorum dispositione, etiam tanquam deuolutionis iure sese interponere non posse, sed de eis vt vere vacantibus siue per Romanum Pontificem, siue alios collatorum eorundem superiores, vti præuentum esset, liberè prouideri.

Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo sanctuarium

ctuarium Domini cupimus illibatum auctore Domino persequi, ac simul quantum in nobis est cauere, ne resignationes ipsæ dehinc pro cuiusq; arbitrio, nullisq; vel certè leuibus causis passim & temerè admittantur, prohibitionē, & alia præscripta, ac cætera omnia nostris sup his litteris contenta, eatenus relaxamus, vt posthac Episcopi, & alij facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere & admittere possint, qui aut senio cōfecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxij, censurisq; Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt aut non debent Ecclesiæ vel Beneficio inseruire, seu qui vnum aliud vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud cōtigerit promoueri; religionem quoq; ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur, denigq; cum quis ex alijs casibus acciderit qui constitutione feli. recor. Innocentij Papæ 3. de dimittendis Cathedralibus Ecclesijs, edita continentur.

Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt vel non audent in loco Beneficij residere securi. Sed nec horum vllus sacro Ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus, valeat vllo modo Beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. Adhæc Beneficiorum & officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittuntur.

Caueant autem Episcopi & alij præscripti, itemq; omnes Electores, præsentatores & patroni, tam Ecclesiastici quàm Laici, quicunq; sint, ne verbo quidem aut nutu, vel signo, futurii in huiusmodi Beneficijs & officijs successores, ab ipsis resignantibus, aut alijs eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat. Cæterum præcipimus, atq; interdicimus, ne ipsi Episc. aut alij Collatores, de Beneficijs & officijs resignandis præscriptis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiarib. etiam per fallacem circuitū, multiplicatarū in extraneos collationum audeant prouidere, & si secus, ac etiā quidquid præter vel contra formā præscriptorū fuerit à quocunq; temere attentatū, id totū ex nūc vires & effectū decernimus nō habere.

Qui

Qui verò contrà fecerint, vt in eo quo deliquerint puniantur, à Beneficiorum & officiorum collatione, nec non electione, præsentatione, confirmatione & institutione, prout cuiq; competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui talia Beneficia seu officia receperint, eos præscriptis pœnis volumus subiacere. Et nihilominus in eos qui sic suspensi, conferre, eligere, psentare, confirmare vel instituere ausi fuerint, excommunicationis quò ad personas, quò verò ad capitula & conuentus, à diuinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus: quibus etiam nullus alius quàm ipse Roman. Pontifex, siue absolutionis, siue relaxationis gratiam, (excepto mortis articulo) valeat impertiri. Prohibitione & litteris nostris præscriptis, nihilominus in cæteris omnibus perpetuò valituris.

Non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, indulgentijs & litteris Apostolicis generalibus & specialibus quibuscunq;, Episcopis & alijs superioribus ac inferioribus Ecclesiarum Prælatis, nec non Ecclesijs, Monasterijs, & Capitulis, Conuentibus, Collegijs, & vniuersitatib. eorumq; et alijs personis, etiã Regia & Imperiali Maiestate præditis, sub quacunq; verborum forma, & cõceptione concessis, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodocunque, vel differri, etiamsi de eis, ipsorumq; totis tenoribus ad verbum, ac de propryis nominibus eorum, nec non Ecclesijs, Monasterijs, locis, ordinibus, & dignitatibus de quibus, nec non causis, propter quas illa concessa sunt, specialem & expressam præsentibus fieri oporteret mentionem. Cæterum iubemus easdem præsentes ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, de vrbe, & in acie Campi Floræ publicari, & earum exempla affigi volumusque eas sic publicatas, omnes & singulos perinde afficere & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ, exemplis quoque præscriptis, etiam impressis, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel eius Curiæ obsignatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ relaxationis, præcepti,

inter-

interdicti, decreti, promulgationis, iussionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis aũt hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo, quingentesimo, sexagesimo octauo Calend. April. Põtificatus nostri Anno tertio.

Cæs. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1568. Indictione vndecima, die verò decima mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. anno tertio retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earundem exemplis affixis per nos Iulium Parinum, & Ioãnem Andream Panizzam Præfati S. D. N. Papæ Cursores.

Bartholomæus Sottocasa Mag. Curs.
Registrata apud
Cæsarem Secretarium.

DE RECTA BONORVM ECCLESIASTICORVM CONSERuatione & administratione.

1. BOnorum Ecclesiast. quæ Ecclesiæ vnà cum religione accreuerunt: cùm ad cultum & maiestatem diuinorum officiorum: tum ad sustentationem, & mercedem tẽporalem, seu honorariũ ministrorum Dei, & pauperũ ac miserabilium personarum necessitates subleuandas: habenda ratio est, & vt non solum à nullis indignè dissipentur, vel dilapidentur, aut iniustè retineãtur, vel temerariè

rariè vsurpentur, ad pauperum oppressionem, operariorum Dei defraudationem, ac religionis interitum; & vt his, quæ à maioribus in hos vsus donata sunt, aliqua accessio fiat, ac non solum hæc pietatis illorum monumẽta, quemadmodum accepta sunt, integra, sarta tectaq; posteris tradantur; sed nostra quoq; cum fenore, pari religione & pietate illis adijciantur. Quod præstare cupientes, sancienda duximus quæ sequuntur.

2. Quotquot Beneficia obtinent Ecclesiastica, siue regularia siue sæcularia: totum quod sibi *a* supereſt, ex honesta & decenti sustentatione sua, ac familiæ suæ, erogãdum esse sciãt pauperibus, vel in vsus dumtaxat pios expendendũ; & à reatu *b* peccati mortalis, ob violatã charitatẽ, nõ fore se immunes, si magno seu notabili defectu, vel excessũ infideliter in hoc agãt. Nã si omni Christianę familiæ dictũ à *c* D. Amb. sit: *Plus quã sufficiat sumptui, violẽter obtentũ est:* & Christianos oẽs ęquè tangant verba D. *d* Hieronymi: *Alienarapere conuincitur, qui vltra necessaria retinere probatur:* eademque alijs patribus stet sententia: multò magis Clericos ac Beneficiatos omnes percutere ista debent qui & præ alijs *e* frugalius tenentur viuere, & ad eleëmosynarum præceptum arctius obstringuntur: cum ex nomine & professione sua; & quia ministri Christi sunt alijsque omnibus in exemplum dati; tum ex *f* natura bonorum Ecclesiæ, quæ ad frugalem, honestam ac decentem sustentationem suam & communem Reipub. Christianæ vtilitatem acceperunt; non autem vt hinc superbirent, *g* ebrij essent, rebusq; omnibus affluerent; alij verò frigore, fame, & egestate perirent.

a Luc. 11. b D. Thom. 2. 2. qu. 118. art. 4. & qu. 185. art. 7. & quodl. 6. art. 12. Caiet. in citata D. Thom. loca. Adrian. 6. in 4. Sẽt. qu. ancler prodẽ gè consumẽs, teneatur restituere? & quodl. 5. ar. 1. Petrus de Soto de vita Sacerdotum, lectione 3. Nauarrus in manuali c. 23 num. 74. & latissimè in tractatu de redditibus Benefic. Eccl. Corduba li. 1. Quæst. qu. 18. in prob. 2. opinion. Lud. Lopes in instructorio

conf. par. 1. ca 140. & seq. & alij. Clemens Rom. Const. Apost. ca. 24 & 25. li. 2. & ibid Turrian c D. Amb. ferm. 81. in dict. illud Luc. ca. 12. Hominis cuiusdam diuitis, vberes fructus ager attulit. D. Basil. in eundem D Luc. locum, homil 6. inter homil variorum arg idem ibi. hom. 7. in diuites auaros. Dist. 47. ca. Sicut hi d Dist 42. ca. Hospitalem. 16. qu. 1. ca. Quoniam. 12. qu. 1. ca. Quia tua fraternitas. ca Episc. ca Res Eccl. ca. Nulli. et ca. Vlt. D. Greg in 3 par. Past. admonitione 21. & 22. D Leo serm. 1 & 5. de Col. D. Aug. serm 219. de tẽpore. D Chrys. conc. 2. de Lazaro tom. 2. in fine et hom 34. ad pop. Antioch. e 1. Tim. 6. D. Hier. citatus à Grat. dist. 44. in princ. 16 qu. 1. ca. vlt D. Bern serm. 23. super Cant & serm de verbis Dom. Dixit Simon Petrus ad Iesum et epist. 2. quæ est ad Fulc. Lingon. Archid. vide supra pa. 2 7. §. 33. f arg in act. apost. ca. 2 et 4. et 6. ca. Cum secundũ. de præb. et dignit D. Aug. epist 50. g Matth 24. 1. Cor. 11. can. Apo. ca. 41.

3. Quare ne consanguineos familiaresúe suos (quod à Patribus *h* Concilij Tridentini maxima auctoritate iustissimisque rationibus, omnibus interdictum omnino est) ex redditibus Ecclesiæ augere studeant: sed omni humano erga fratres, nepotes, propinquos, ac familiares carnis affectu penitus deposito, si pauperes sint, ijs vt pauperibus *i* distribuãt, & diuitias Ecclesię Dei, non ad luxũ, pompam, aut ad voluptatem suam; sed ad hæc quæ Dei sunt conuertant: modestaq; supellectili & mensa, ac frugali victu contenti, ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantoperè commendat Deo, sanctæ *k* humilitatis *l* exempla petere possint, ac in omni conuersatione sua caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum, præ se ferat.

h *sess.25.ca.1. de reform.* i *cap* Pastor Ecclesiæ. 1. *qu.2. & ibi. quæst.2.cap* Quisquis. *Can. Apost. ca.39.75.Cõc. Carthag. 4. ca.15.c.Epis. dist. 41.k psal.101. Eccles 3. & 35 Phil.2.Matt 11.18.l cap. Magnæ.de voto.Concil. Trid sess.22. ca.1.de refor.*

4. Omnes Prælati ac Concionatores, & operis exemplo, & prædicationis verbo, Clerum ac populum sibi subiectum doceant; primum Christianorum fructum esse, carnalia sua his communicare, à quibus spiritualia accipiunt: & quæ ad fidei & religionis conseruationem faciunt, inter quæ & templa, & sacra instrumenta numeramus, non solum bonorum temporalium communicatione, sed & vitæ (si quando opus esset) periculo tueri: nec minus vnumquemque pro vocatione ac modulo suo debere satagere, vt fides & religio, & quæ ad eius exercitium pertinent, inuiolata & potius aucta, quàm integra posteris manu tradãtur; quàm maioribus curæ ac religioni fuit, vt eadem nobis prouiderent, ac magno cum apparatu conseruarent.

Marc.11. Galat.6.1. Cor.9. 1.Timoth.5. D. Ambros lib 5. epist. in Auxentium. De basilicis tradendis & epist.33. ad Marcellam sororem lib.2.offic.cap.28.lib.10.tripartit. Hist.cap.6. & Theod.li 5.hist.cap.32. D. Aug.lib.contra Donat.post collat.ca 1 Optat.Mileuit.lib 3 & 6.ad Parmenianum & alibi.

5. Collegiorum, & monasteriorũ aliorumq; templorũ ac sacro-

ac sacrorum locorum officiarij, quibus cura seruandorum, administrandorum, vel dispensandorum bonorũ Ecclesiasticorum committitur, cuiuscunq; sortis aut generis illa fuerint: iureiurando promittant, se velle ea fideliter conseruare, tractare, & administrare, & quoties cunq; iubentur, dare rationem: dieq; certus reddendæ rationis eis præfigatur, sub pœna suspensionis ab officio, & emolumentorum perceptione.

Concil. prouinc. sub Adol. 3. in cẽsuris & decretis cap Accepimus. *pag. 448. & in his quæ in Cathed. & Colleg. Ecclesijs inquirenda sunt §. 35. pag. 480. ca.* Quia contingit. *De religiosis domib. in Clement. quod ex decreto ca. 15 sess 7. Cõcil. Trid. in Synod. Diœcesa. An. 1551. publicatum est. pag 523 Stat. Frid. ca 62. pag. 224. d. 225. a. ca. 66. pag. 225. d. 226. a. b.*

6. Vbi plures idoneæ personæ sunt, vni, ne plura, quã vnum, officia cõmittantur: nisi vel natura connexa sint, vel vnius tantum valeat industria, vt solus plus alijs præstare possit.

Concil prouinc sub Adolp. 3. loco citato. Statut. Sifrid. cap. 65. pag. 225. c. d. cap. 66. pa. 225. d. 226. a.

7. Omnes & singuli Abbates, Præpositi, Priores, Decani, & alij, qui monasterijs vel Ecclesijs Ordinario subiectis præsũt, per se vel suos receptores; Magistri quoq; seu administratores Fabricę, tã Parochialium, quam Collegiatarum Ecclesiarum, nec non & hospitalium, & omniũ piorũ locorũ, Ordinario, aut quẽ vel quos ille specialiter ad hoc cõstituet, & senioribus Ecclesię vel loci sui, singulis annis, aut ad summum altero quoque anno, exactam & distinctam, de tota administratione sua reddãt rationem; sine vllo prejudicio statuti aut cõsuetudinis, quæ vel crebrius, vel alijs quàm præscripsimus, hunc cõputum faciendum sanciuit.

Cap. Quia cõtingit. *De religiosis domibus in clement. Adol. 3. in his quæ in hospitalib. inquir. sunt. §. penult. & vltim pa. 457. d. ca. 15. sess. 7. Concil. Trid. in Syn. Diœce. An. 1551 publica. pa. 523. a.*

8. Abbates, Priores, & singuli Prælati, Pastores, ac Ecclesiarum quarũlibet Rectores, in Ecclesijs sibi subiectis, quotãnis stato tẽpore inspiciãt & examinent libros, vestes sacras, ornamẽta, oĩaq; instrumenta sacra & prophana, ad diuinũ officium necessaria; & si qua instauratione,

Cap. 7. pag. 82. a.

vel innouatione opus fuerit, ea ex præscriptione Concilij prouincialis Anno 1310. sub Henrico habiti, quàm primum fiat.

Adolp. 3. in his quæ in Cathed. et Colleg. Eccle sijs, inquirē da sunt. § 86 pa 483. b.

9. Singuli Ecclesiarum præfecti, tam regulares quam sæculares, semel in anno per se vel per alios, visitent & inspiciant domos, & cortes quas vocant, Ecclesiæ suæ, curamq; adhibeant, ne inhabitatorum & cultorum negligentia, ruinæ succumbant & intereant.

10. Hospitalibus, quæ Ecclesijs Collegiatis adiacent, præficiatur vnus atq; alter Canonicus, qui hospitalitatē ibidem ex fructibus ad id deputatis, exerceri perpetuò curent.

Adolph 3 in hic quæ in hospitalib inquirenda sunt § 12 & in Synodo an. 1551. habita ex ca. 15 sess. 7 Concil. Trid. & cap. Quia contingit *De religios. domib in Clement.*

11. Singuli Beneficiarij, Officiantes, & altaristæ, intra trimestre à publicatione horum decretorum, sub pœna duorum aureorum Rhenensium, conficiant inuentarium calicum, corporalium, purificatoriorum, sanctarū reliquiarum, sacrarum vestium, ornamentorum, librorum, aliorumq; sacrorum instrumentorum, tabularum pictarum, omniumq; reddituum, obuētionum, iurium, atq; bonorum, ad Beneficia vel officia sua spectantium; quod ipsi quidem quoad vixerint, semper seruent, post mortem autem eorum vel Beneficiorum, aut officiorū defunctionem, eorum successoribus, in eorum institutione tradatur, eiusq; authenticum exemplum, intra præfixum tempus exhibeant superiori Ecclesiastico, aut Pastori vel Rectori eius Ecclesiæ aut loci, in quo Beneficia vel officia illa obtinent, & superior ex omnibus inuentarijs, addito etiam inuentario omnium bonorum quę ad suum Beneficium pertinent, & ad Beneficia aut officia, quæ forte nullum possessorem habent, vnum librum faciat, in Archiuis Ecclesiæ suæ fideliter conseruā. dum, atq; illius authenticum exemplum tradat Ordinario.

Stat. Frid. ca. 52 pa. 218. b. c.

12. Litteræ originales, regesta, & alia quæcunq; munimen-

nimēta vel instrumenta, officiorum, Beneficiorum, obuentionum, iurium, & quarumcunque rerum Ecclesiasticarum, quæ vetustate consumuntur, sumptibus & cura Beneficiarij, aut Officiantis, si ad Officium vel Beneficium spectent: Si autem ad Collegium, vel quamcunq; aliam Ecclesiam, sumptibus & cura Collegij vel Ecclesiæ, in authenticam formam transumantur, & vna cùm transumptis suis, in sua Ecclesia, sub tuta & fideli custodia conseruentur.

13. Archiui vel cistæ in qua huiusmodi litterç, monumenta vel instrumenta Abbatiarum Monasteriorum & Collegiorum seruantur, vnam clauem habeat Prælatus vel Præfectus Ecclesiæ, alteram Abbatiæ, Monasterij, vel Collegij, senior, tertiam verò qui ingressu ad Monasterium seu Collegium huic proximus est, saluis tamen Ecclesiarum statutis, & consuetudinibus, quæ Thesaurarijs, si eiusdem Collegij vel Monasterij membra fuerint, vel aliam aliquam in Monasterijs vel Collegijs præfecturam gerentibus, vnam clauem seruandam tribuunt. *D. Gregor. Epist. 66. cap. 66 lib. 7. indict. 2.*

14. Cistæ Vicariorum, Officiantium, & Altaristarum, vnam clauem habeat Decanus Collegij, alteram senior Canonicus Presbyter, tertiam senior Vicarius, iuxta sui introitus ordinem. *Stat. Frider. cap. 52 pag. 218. b. c.*

15. Archiui parochialis Ecclesiæ, vnam clauem Pastor custodiat, alteram senior prouisor Ecclesiæ, seu rector fabricæ, aut ædilis, & tertiam huius senior Collega.

16. Si quando Archiuum aut cista huiusmodi erit aperienda, singuli clauium custodes personaliter ipsimet compareant, aut si ægritudine, vel quauis alia graui necessitate impediantur, nulli alteri claues suas credant, quam seniori post se, vt semper tres diuersi adsint ex dignioribus, & primis Ecclesiæ. Idem obseruetur quan- *Ibidem.*

do quis ex clauium harum custodibus, à loco residentiæ suæ, abesse ad tempus cogetur.

Stat. Vvichbold. cap. 16. pa 56. a Concil. provinc sub Adolp 3. in censur. & decret. cap. Accepim⁹ pag. 448.

17. Laici prouisores Parochialium Ecclesiarum, qui pro conseruatione ædificiorum, luminarium, & comparatione ornamentorum instituuntur, nihil ordinent absque consilio sui Plebani, cui bis in anno teneantur reddere rationem; postridiè nempe B. Margarethę, & Cathedræ B. Petri, vt si quid inordinatè egerint pro vtilitate Ecclesiarum, prout in Domino faciendum videbitur, corrigatur atq; reformetur.

18. Alienationes rerum Ecclesiasticarum, quæ in damnum Ecclesiæ, aut sine decreto superiorum, ac causæ cognitione factæ sunt, ipso iure irritas decernimus; ac de cętero eiusmodi alienationes perpetuas, sub pœna excommunicationis ipso facto, tam per Clericos, siue sęculares, siue regulares eas facientes, quàm per Laicos cùm eisdem contrahentes (à qua non nisi locorum Episcopi absoluere possint) incurrenda prohibemus.

Statu. Frideric. cap 32 pag. 205. d. 206. a. b. c. cap 58. pag. 221. d. 222. a. b. Statut. Sifrid. cap. 12. pag 45. d. 46. a. b. cap. 2. De rebus Eccl. siæ non alienandis in 6 & extrauagant. Pauli 2. quæ incipit. Ambitiosæ.

Ca. De precarijs. 10. quæst. 2. & ca. 2. De precarijs.

19. Locationes bonorum Ecclesiasticorum, quæ repræsentata pecunia fiunt, nullatenus successores obligent, quocunque priuilegio vel indulto non obstante.

**ça. Ambitiosæ in extrauagant. Pauli 2.*

20. * Locationes rerum Ecclesiasticarum quæ hucvsque factæ sunt, diligenter ab Episcopis examinentur, & ad longius tempus, quam Canonicæ sanctiones præfixerunt, factas, irritas, & nullas declaret.

21. Quotiescunque locationes bonorum Ecclesiasticorum fient, vel contractuum innouationes; scripto expressa limitum, quibus illa continentur, fiat declaratio: ne per intermissam diutius huius rei agnitionem, illi in obliuionem veniant, aut quoquo modo obscurari possint.

22. Vt populus fidelis ab iniqua rerum Ecclesiasticarum inuasione, detentione, aut contrectatione deterreatur,

tur, & cognoscat qua obligatione, ad restituenda huiusmodi teneatur: in linguam vulgarem fideliter vertatur, & oblata occasione eidem subindè inculcetur caput vndecimum de reformat. sess. 22. Concilij Tridentini; quod sequitur.

Statu. Engelbert. cap. 4. pag. 21. & cap. 7 pag. 22 d. Statut. Vvichbold. cap. 7. pag. 52 c. d. cap. 14 pag. 55. d. Concil. prouinc. sub Henrico 5. pag. 79. b. c. Adolp. 3. in his quæ à Decanis & Pastoribus inquirenda sunt. §. 68. pa 488. a Statut. Herman. 4. §. 2. pag 272. a

Siquem Clericorum vel Laicorum, quacunque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis sæcularis vel regularis Beneficij, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, quæ in ministrorum & pauperum necessitates conuerti debent, per se vel per alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore in proprios vsus conuertere, illosque vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab ijs ad quos iure pertinent, percipiantur; is anathemati tam diu subiaceat, quam diu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositæ personæ, peruenerint, Ecclesiæ, eiusque administratori, siue Beneficiato integrè restituerit, ac deindè à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesiæ Patronus fuerit: etiam iure patronatus, vltra prædictas pœnas eo ipso priuatus existat. Clericus verò qui nefandæ fraudis, & vsurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat; nec non quibuscunque Beneficijs priuatus sit, & ad quæcunque alia Beneficia inhabilis efficiatur: & à suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem sui Ordinarij arbitrio, suspendatur.

23. Similem excommunicationem in eos decernimus, qui *Stat. Sifrid.*

cap. 12 pag. 46. a. b.

qui licet ipsi non detineant, bona, titulos, litteras, chartas, instrumenta, & munimenta ad Ecclesias aut Beneficiatos pertinentia: sciunt tamen præscripta ab alijs detineri: si post trinam monitionem premissam, ijs quos negotium concernit, non denunciauerint.

24. Inculcari etiam populo volumus, quæ in eodem Concilio Tridentino sessione vigesima quinta, capite duodecimo de reformatione ex instinctu naturæ Dei & Ecclesiæ institutione, de reddendis decimis decreta sunt: & in eandem sententiam adduci, quæ in statutis Prouincialibus, præsertim Engelberti & Henrici, olim definita fuerunt, quæ in subtractores decimarum, aliosque qui illas impediunt, excommunicationis sententiam non solum ferendam pronunciant, sed latam decernunt, ac sterilitatis, pestilentiæ, tempestatis, aliorumque malorum, quæ frequenter eueniunt, eos causam esse statuunt.

Exod 22.23. Leuit. 27. Num. 18. Tob. 1. Malach. 3 Concil. Maticonens. 2. ca 5. Concil Ticin. vers. In sacris Cap. Decimas 16. quæst. 1. cum sequent. 16. quæst. 7. cop. Parochianos *Cap. Ex* transmissa, *& cap. Tua De Decimis. Statut Engelberti. cap. 5. pag 22. b Concil. prouin. anno 1310. sub Henric. habit. cap. 1 pag 75. d. Statut. Henric. anno 1330. edit. cap. 2 pag. 104. d 105 a. Synod Diœcesana, sub Adolph. 3, anno 1551 habit pag. 529 d. D. August sermo 219. De tempore.*

CAPVT XII. DE REFORM. SESS. 25. Concil. Trid.

NON sunt ferendi, qui variis artibus, decimas, Ecclesijs obuenientes, subtrahere moliuntur; aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertunt; cum decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus, cuiuscunque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscunque alijs, Ecclesiæ, vel personis, quibus legitimè debentur integrè persoluant. Qui verò eas, aut subtrahunt, aut impediunt; excommunicentur; nec ab hoc crimine

mine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur. Hortatur deinde omnes & singulos pro Christiana Charitate, debito q. erga Pastores suos munere, vt de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesijs, largè subuenire, ad Dei laudem, at q. ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

DE PIIS TESTAMENTIS.

1. Ca. Tua nobis. Detestament. Statu. Sifrid. ca 17. pa. 48. d. Statut. Vvichbold. ca. 10. pag. 53. Stat. Theod. §. 61. pag. 263. a. Stat. Philip. pag. 285. 286. Adolph. 3. in Synod. auin. nali. anno 1550. habit. in mandato cuius initiū est. Quanquam diuinis. pa 508. b. et in Syno. anni 1551 pa. 530. d. Conc. prouin. sub Herm. 5 par. 13. ca. 10. Concil. Trid sess. 22. cap. 8. refor. & sess. 25 in Decre. de Purgator. Const. Herm. 4. quæ incip. Cum nihil plus pa 269 facie 2 Stat. Herman 4. pag 297. b.

QVoniam piarum dispositionum executores, & tutores sunt Episcopi; idque D. Sifridus considerans, ob magnitudinem Diœcesis Colonienſis, præter Sigilliferum suum, in singulis Archidiaconatibus duos esse voluit, qui testamētis superintenderent, & in testamentorum executores inspectionem haberent; Nos perpendentes magnam quoque esse singulorum Archidiaconatuum amplitudinem, hoc onus in Ciuitate quidem Colonienſi in Sigilliferum; extra Ciuitatem verò; in Diœcesi tamen Colonienſi, in Decanos rurales dispertiendum iudicamus, & illis omnibus ac singulis; pro districtu regiunculæ suæ, hanc curam, hoc nostro decreto imponimus: & executores quoscunque testamenti, seu vltimæ voluntatis, codicilli, aut ordinationis quorumcūque Legatorum, sub pœna decem florenorum Rhenensium, fisco soluendorum obligamus, vt intra mensem, à die mortis testatorum computandum, Sigillifero, si in ciuitate Colonienſi habitent, vel alioquin Decano Rurali cui subiacent, authenticum exemplum testamenti, & inuentarij, bonorum relictorum exhibeant; Quod si ea tam ampla ac multa fuerint, vel aliud legitimum obstet impedimentum, vt intra præfixum terminum, in inuentarium redigi non possint: hoc ipsum nihilominus, sub eadem pœna Sigillifero, aut Decano suo, antè statutum diem indicare, & competentē ab eo petere temporis dilationem teneantur. Teneantur præterea

dicti executores, intra annum continuum, à die mortis testatoris computandum, testamenta, vltimas voluntates, codicillos, siue ordinationes testatorum, executi fuisse, & intra mensem post annum præscriptum de facta executione, coram dicto Sigillifero aut Decano suo rationem reddidisse; alioqui si præscripto tempore, testamentorum, siue vltimarum voluntatum codicillorum, seu piarum ordinationum facta non fuerit executio, eadem, nulla alia monitione præmissa, ad Ordinarium deuoluatur; si autem de facta executione non fuerit reddita ratio, decem florenorum pœnam similiter executores incidant.

Stat. Vvich. cap. 6. pag. 52. b. c.

2. Cum valdè periculosum sit, testamenti sui scriptionem, ad extremum vsque vitæ suæ differre; monendos hoc loco censemus Concionatores, vt quando hac de re agendi dabitur oportunitas, Christi fideles moneant; vt cùm adhuc integra est incolumitas, illabefactaq; sanitas, etiam longo antè morbum letiferum temporis interuallo, testamentum suum maturè condant, qui legare sua, testariq; iure possint.

Vide præterea quædam quæ huc spectant, suprà tit. De Canonic. art Cum in officijs charitatis, & seq pag. 233.

3. In condendis testamentis, testatores in his præcipuè dirigantur.

4. Testamentum suum in statu gratiæ faciant, & omnia quæ in eo legant, vel aliter faciunt, ad bonum finem referant; ne vanitas memoriæ sui relinquendæ, vel quæuis alia humana affectio, potius quàm Dei & proximorum amor eos moueat; & si fortè aliàs id fecerint, in statu animæ minus bono, vt vitæ æternæ meritorium esse possit, Deo reconcilientur, innouentque priorum legatorum, imò & omnium bonorum, quæ vnquam egerunt, intentionem, eaque tum rata habeant, & ad Dei gloriam, & remissionem peccatorum suorum referant.

5. Si eis cum aliquo vel aliquibus intercedat publica inimicitia, non solùm ignoscant, sed si fieri poterit coram

tam Notario,& testibus,id testatum faciant.Quod si ipsi alios offenderint,mittant ad veniam petendam, & satisfaciant offenso vt oportet, ac pax,si res id ferat, dum ægrotus viuit,conficiatur.Secreta autem si quæ fuerint, in huiusmodi secretè transigantur.

5. Solliciti sint,vt declarent deposita,si quę acceperint, similiter & debita atque iniustè acquisita, si quæ habent, eaque primò persolui curent, omniaque bona & scripta sua, in eum modum tempestiuè disponant, vt ne quid per eorum negligentiam alijs perire possit, nec lites aut forenses strepitus exoriri. *Stat. VVichbold. cap. 6. pag. 52. b. c.*

6. Cum hæredibus Christum cohæredem scribant, & in extremo saltem exitu largiter & salubriter sui memores sint.

D. August. in psalm. 48 & in tract. tu, De decem chordis. cap 12. Chrysostom. in serm. De gratijs reddendis D. Cyprian. tract. De opere & Eleemosynis cap. 5.

7. Loco bonorum quæ iniustè acquisiuerunt,aut possident, quorum tamen ignorantiam habent, matricem & parochialem suam Ecclesiam, maiorum consuetudine, & pietate, pro ratione magnitudinis substantiæ suæ, legato honorent.Cum enim non temerè à B. Hieronymo scriptum sit; verissimam esse vulgarem sententiam: *Diues, aut iniquus, aut iniqui hæres*, facilè à diuitibus aliena possidentur. *Stat. VVichbold. cap. 6. pag. 52. c.* *D. Hiero ep. 150. ad Hedib. quæst. 1. & alibi.*

8. In hisce obeundis, solliciti semper sint viri Ecclesiastici, vt ne quæ sua sunt quærant, & compędia alijs debita, vel parata, auertant: sed ab omni suspicione sordidę auaritiæ, adeoque ab omni malo, omniqúe specie mali sese religiosè semper contineant. *D. Amb. lib. 3. offic. ca. 9.*

DE SCHOLIS.

1. QVONIAM verissimam esse censemus illam Concilij prouincialis sub Hermanno quinto habiti *Parte 12. cap. 3.*

biti sententiam: Iuuentutis institutionem rem esse tanti momenti, vt ab ea totius propemodum Reipublicæ Christianæ, tum salus, tum pernicies dependeat; maximam Scholarum iudicauimus habendam esse rationem, & diligentissimè, summaque cura prouidendum, vt quæ de his, in prouincialibus Concilijs constituta & decreta sunt, in vsum ducantur, & ab omnibus recipiantur. Quare ad rectam Scholarum institutionem certamque ac perpetuam earum reformationem, hæc sancimus & præscribimus obseruanda.

2. Scholastici, vel alij quibus Scholis Collegiatarum Ecclesiarum de Ludimagistris prouidendi potestas competit, nec non ædiles, aut Ecclesiarum prouisores, & si qui sint alij, quibus eadem authoritas, in prouidendis parochialium Ecclesiarum Scholis data est; neminem posthac ad Ludimagistri officium admittant, quin ea præditus fuerit eruditione, prudentia, pietate, morum castitate, & pulchritudine, in primis autem illa fidei Catholicæ integritate, & sinceritate, vt iuuentutem, quæ ei instituenda committetur, primum quidem in Orthodoxa fide, & Catholici Catechismi institutionibus, in pietate ac morum innocentia, rectaque cùm in templis ac locis sacris, tùm domi ac in plateis conuersandi ratione, ac deindè in litteris maximo cum fructu atque profectu erudire, & instituere possit, ac diligentissimè velit: nec vllus in his vel alijs quibuscunque Scholis, ad Ludimagistri, hypodidascali, vel coadiutoris officium, de cætero recipiatur, vel receptus in eo toleretur, nisi satisfecerit decreto, quod de emittenda fidei professione condidimus.

Vide supra tit. De fidei professione pag. 1.

3. Cum Scholæ Collegiatarum & Parochialium Ecclesiarum, indies magis magisque pereant; cum ob magistrorum quorundam, qui illas regunt, inscitiam ac vilitatem; tum ob priuatarum Scholarum, & clancularium magistellorum, quorum numerus pro cuiusque volun-

voluntate quotidiè magis creſcit, multitudinem; indeque tandem ſit futurum, vt diuinum officium ſine cantu celebrandum ſit, quod is à puerorum choro in parochialibus præſertim Eccleſijs, magna ex parte depẽdeat: vt hiſce damnis ac ſcandalis ponamus obſtaculum, & Cathedralium ac parochialium Eccleſiarum ſcholæ, magiſtros ſemper idoneos habere queant, quod pleriſque locis, eo quod tenuiter admodum eis eſſet proſpectum, difficulter fieri potuit: volumus vt primo quoque tempore, huiuſmodi Scholis non preficiãtur niſi Sacerdotes vel in ſacris Ordinibus conſtituti, ſeu ad eoſdem aſpirantes. Ac in Collegiatis quidem Eccleſijs, vna ex Vicarijs; in parochialibus autem officium aliquod, quod cum Ludimagiſtri officio cõpatibile eſſe poſſit, & cui Vicarię atq; officio, Ludimagiſti, ſine aliqua notabili Scholæ iactura queant ſatisfacere, Scholæ perpetuò vniatur. Si autem hoc fieri minimè poterit, portio aliqua ſingulis, aut plerisq; Eccleſiæ Beneficijs detrahatur, quæ in ſtipendium Ludimagiſtrorum deputetur: aut collecta & contributio populi fiat, vel alio modo de honeſta & ſufficienti ſuſtentatione, harum Scholarum magiſtris prouideatur.

Conc. prouin. ſub Herm. 5. par. 12. cap. 3. & 4.

4. Vt nimia tollatur Scholarum priuatarum frequẽtia, quæ pro cuiusque voluntate, non autem ex publica authoritate aperiuntur; ac Collegiatis & Parochialibus Eccleſijs integer puerorum ſit numerus, qui chorum facere poſſint, & diuinum officium ac laudem Dei ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine, magna cum populi ædificatione decantare: vetamus rudimenta linguæ Latinæ alibi tradi, quàm in præſcriptis Scholis & Gymnaſijs, aliiſque Scholis, publica vtriuſque magiſtratus authoritate inſtitutis: exceptis dumtaxat his, in quibus adoleſcentes, qui publica Gymnaſia frequentant, lectionum ſuarum repetitiones habent, & in his, quæ in publicis Gymnaſijs audiuerunt, vel audituri ſunt, exercentur, &

Ibidem ca. 1.

Conc prouinc. sub Adolp. 3. Medio 1. cap. Percepim⁹ pa. 427. Syn. Dioeces. An. 1550. feria 3 post S Matt. hab. pa. 464. d. Et in his quæ de Scholis inquirenda sunt. §. 8. 9. 10. & cat. pa. 489.

diriguntur, arctioriq́ue disciplina continentur. Quam exceptionem ad nobiles alioſq́ue prædiuites extendimus, qui inter priuatos parietes filijs suis didascalum alunt, si modo didascali illi fidei professionem fecerint, & à methodo ac ratione tradendæ disciplinæ, quæ in publicis Scholis obseruatur, non discordent. Ad hæc nulli peregrinas linguas doceant; nulli artem scribendi aut numerandi tradant, nisi in his quæ profitentur, & alijs, quæ ex præscripto Concilij Prouincialis sub Adolpho tertio habiti, ab huiusmodi professoribus inquirenda sunt, examinati fuerint, & inuenti idonei, atq; post fidei professionem admissi, qui eadem profiteantur. Si qui cõtra facere præsumpserint, reijciantur, & mulcta puniantur, quæ in solatium cedat eorum qui publicis Scholis præsunt.

5. Pertinebit examen hoc præcipuè quidem ad Ordinarium, verum cùm ille infinitis propemodum curis & sollicitudinibus distrahatur; pro maiori circumspectione & cautela, ex decreto prouincialis Concilij sub Adolpho tertio habiti, hanc examinationis curam, & admittendi vel reijciendi auctoritatem; in ciuitatibus, Prælatis & Rectoribus Ecclesiæ, vbi Schola est, ruri autem Pa-

Ib. pa. 531. a. b

storibus & Decanis Ruralibus iniungimus, in quorum districtu, examinandi, profiteri aut ludum aperire cupiunt. Præcipimus autem Magistratibus, alijsq́ue qui se interponere possent; ne examen huiusmodi quouis modo impediant; alioquin censura Ecclesiastica, & alijs oportunis remedijs, ex eiusdem Concilij sententia coërcendis.

6. Vt hæc in consuetudinem duci possint, & sine conniuentia, ac dissimulatione in actum perduci: omnibus parochialium Ecclesiarum Pastoribus iniungimus, vt quotannis bis, instante nimirum tempore Synodi Diœcesanæ, omnium clancularioru̇m magistellorum, & priuatarum scholarum Parochiæ suę indicem faciant, tam illa-

illarum in quibus ars scribendi, numerandi, vel peregrinę linguæ docentur; quàm in quibus linguæ Latinæ fundamenta ponuntur: simulq; annotent, cuiusnam fidei & religionis Clancularij illi Ludimagistri sint, & quid doceant; ac indicem hunc vel ipsi ad Synodum Diœcesanam perferant, vel per Decanos suos perferri curent.

7. In omnibus scholis eadem sit pueros instituendi ratio, ijdemq; prælegantur vbiq; auctores: præcipuè verò vna ab omnib. tradatur Grāmatica & Syntaxis. Cum enim frequenter per migrationem contingit, vt pueri præceptores mutare cogantur, & consequenter alia quā cœperant Grāmatices atq; syntaxeos ediscere precepta, fit vt frequenti mutatione, ac magna confusione, nihil retineant, grauissima studiorum suorum, & temporis ad capescendas artes maximè idonei iactura.

8. Ratio institutionis huius sit, quam tradit Simon Verrepæus, in libris scholasticarum institutionum, Antuerpiæ, per Ioannem Bellerum editis, aut quam Patres societatis Iesu sequuntur, quibus, quod hæc prima & potissima eorum sit professio, plurimum in hac re credendum est.

9. Ante omnia Christianam iuuentutem optimè institui volumus, in Orthodoxa fide, & fundamētis Christianæ religionis quæ paruus Catechismus Petri Canisij, ad puerorum captum breuissimè complectitur; ac doceri singulos modum orandi, benedicendi mensam; sacerdoti diuinam rem facienti, inseruiendi; peccata sua confitendi, & eos, qui ad annos discretionis peruenerunt, deuotè communicandi. Vtq; à teneris omnes discant, immaculatam semper habere conscientiam, & regnum Dei quærere; singulis minimum mensibus, ad sacram Confessionem ducātur, ac diebus Dominicis & festis vnà cum Præceptore suo, ad Concionem & sollemnē seu conuentualē Missā, atq; vespertinas preces, quæ

Concil. Lateran sub Iulio 2 Leon. 10 C. 7. sess. 9.

Ado. 3. De his quæ in scholis tradenda sūt pa. 491. d.

quæ in Parochialibus Ecclesijs fiunt, compareant, loco à Pastoribus singulis Parochiæ suæ Ludimagistris designando, quod etiã ab his qui publica Gymnasia frequentant, religiosè obseruari volumus.

Conc. Lateran. sub Iulio 2. et Leon. 10. cap. 7. sess. 9.

10. Dominicis & festis diebus exponantur Euangelia & Epistolæ Dominicarum & festorum incidentium, atque sanctorum vitæ, Grammaticè tantum, hymni quoq; & prosæ tempori seruientes.

11. In Scholis Collegiatarum & Parochialium Ecclesiarum, quotidiè vna hora doceatur cantus Gregorianus: & quidquid à pueris in templo cantandum erit, hoc priuatim, crebro exercitio ita didicerint, vt non solum sine errore, sed magna cum audientium omnium ædificatione, canere publicè possint.

12. Cum Collegiatarum, ac Parochialium Ecclesiarũ pueri, prodituri sunt ad diuinum officium, vel in publicam supplicationem, aut ad deducendum funus, moneantur à præceptoribus suis grauiter omnes; vt veste linea chorali induti compareant. Inualescẽte enim nunc hęresi, laudabilis ista consuetudo, ita abit in desuetudinẽ, vt erubescere videantur pueri, ac puerorum parentes, hac pia, & veteri consuetudine fidẽ suam profiteri. Quod si ab omnibus obtineri non poterit, saltem pro maiori decore, iste inter illos seruetur ordo, vt qui lineis vestiti non sunt, non misceantur alijs, qui linea veste sunt induti: sed certo ordine, aut primi, aut vltimi procedant; aut parui quidem primo, & maiores vltimo, medio ordine incedentibus, qui lineis vestiuntur.

13. Singuli scientiarum, Philosophiæ, ac humaniorum artium professores, alijque Ludimagistri, in Scholis quique suis, & quandocunque dabitur oportunitas, diligẽter discipulos suos admoneant, ac quantum in se est curent, vt nullos habeant libros obscœnos, aut qui veræ religioni, pietati, Christianisue moribus officere aliqua ratione possint.

14. Tol-

14. Tollant quoq; & impediant, auctoritate qua prę-diti sunt, & quibus possunt modis, alias omnes impietatis, prodigalitatis, luxus, ebrietatis, turbulentarum concertationum, aliorumque peccatorum, petulantiarum, impudentiæ, nimiæque licentiæ incentiua & quaslibet occasiones inueteratasque consuetudines. Morem etiam illũ nouitios studiosos deponendi, vt loquuntur, cũ in eo nunquam non, aut creberrimè plerosque huiusmodi aliosque multos excessus locum habere intellexerimus, si non penitus apud omnes interciderit, in desuetudinem ac obliuionem ducendum decernimus.

15. Vt hæc decreta nostra explicatius singulis Præceptoribus innotescant, & ad puerorum etiam perueniant notitiam, vtq; ea quæ in prouincialibus Concilijs, de cauenda suspectorum librorũ prælectione, præcepta sunt, nullius violentur inscitia; in virtute S. obedientiæ præcipimus artium studij genaralis Ciuitatis Colonienſis Decano, vt adiunctis sibi primis Parochialium Ecclesiarum Ciuitatis Colonienſis Pastoribus, intra trium mensium spatium, à publicatione horum decretorum, tam in vsum Gymnasiorum, quàm scholarum Collegiatarum & Parochialium Ecclesiarum, aliarumq; priuatarum scholarum, pro cuiusq; scholę ratione, certas condat leges, quibus decretorum horum sententia, ad captum puerorum latissimè explicetur, eisq; cùm in templis tùm domi ac in plateis certa conuersandi præscribatur ratio: & Pręceptoribus (professores & scholas excipimus Societatis Iesu) exercendæ disciplinæ scholasticæ modus, & tradendæ constituatur methodus. Ad hæc quotannis ad festum S. Remigij Catalogum edat librorum, qui in Gymnasijs alijsq; scholis doceri poterunt. Ac leges quidem prædictæ lingua vernacula ac latina typis edantur ea forma vt cum studiosorum libris compingi possint, forma quoque patenti, vt spectabili & conuenienti loco, in scholis affigãtur ac singulis septimanis ab vno puerorũ,

Concil. prouinc. sub Her 5. parte 12. ca. 8.

Latinis Latinè, rudioribus autem Germanicè publicè prælegantur. Catalogus verò librorum prælegendorum à singulis Pastoribus, singulis cuiusq; Parochiæ Præceptoribus tradatur.

16. Hæc omnia scholasticis, alijsq;, quibus scholarum prouisio, inspectio, vel visitatio, ex officio vel speciali mandato iniuncta est, ita curæ sint; vt pro horum debita executione & obseruatione, nihil ab ipsis sollicitudinis, & diligentiæ desiderari possit.

DE LIBERTATE ET IMMVNITATE ECCLESIASTICA.

1. Quoniam Iudices quidam Laici in graue animarum suarum detrimentum, & immunitatis Ecclesiasticæ prę-iudicium Ecclesiasticam libertatem multis modis restringunt; immunitatem in seruitutem redigũt & summa cum indignitate, in sacrosanctam eius inuolant iurisdictionem: supplicandum esse duximus Cæsareę Maiestati, vt vnicuiq; quod suum est tribuens, Ecclesiasticã libertatem, immunitatẽ, ac iurisdictionem, Imperatoria sua authoritate defendat: & hæc præcipue quæ sequũ-in Ciuitate & Diœcesi Colonienſi præstare dignetur.

De his Bulla cœnæ Domini. Stat. Engelb. ca 17. 18. 19 & seq. pa 25. Stat. Sifr. c. 12. pa. 46 Stat. Henr. an. 1306 edit. ca. 5 & 6. pa. 61. Stat. Henr. an. 1307. edit. c. 15. pa. 72 d. Stat. Sifr. c. 33. pag. 206. 207. Mandatum Caroli 5 pro confirmatione & execut. Conc. prou. sub Adolp 3. habit. pag 420. etc. in Statut prouinc Colonien. Concil. prouinc. sub Adolp. 3 habit. in cens. & de cretis cap. Accepimus Magistratus. *& sequẽt. pag. 452 Synod. Diœcesa an. 1549. 2 Octo. habit pag. 458. c. & Synod. Diœcesa. anno 1550. feria 5. post Remigij habit. in mandato cuius initium est.* Quamquam diuinis legibus *pag. 509. Item Synod. anno 1551. habit. pag. 530.*

2. Vt ne iudices Laici in personas Ecclesiasticas aliquid iuris, vel de eorum excessibus cognitionis aut vsurpent, aut prætendant; nec eosdem coram se, pro actionibus personalibus, etiam ciuilibus pertrahãt; siue sint seculares Clerici, siue Capitula, aut Monasteria dictis iudicibus subiecta.

3. Vt

3. Vt ne Episcopos ac eorum officiales vllo pacto impediant, quin in criminosos sibi subiectos, Canonicam exercere possint disciplinam, eosque pro modo culpæ ex sacrorum Canonum dictatione punire.

4. Vt ne aduersus Ecclesiastica Iudicia, & quæ ad illa instituenda præparatoria sunt, patrocinium ferant; aut eorum vel quorumcunque mandatorum, aut decretorum Ecclesiasticorum executionem, quauis ratione impediant.

5. Vt ne Clericos, maximè in sacris Ordinibus constitutos, cogant ad militares excubias; nec eorum aut Ecclesiarum, aliorumue piorum locorum bona, sine speciali, & expressa licentia Ordinum Ecclesiasticorum, ad aliquas contributiones obligare vel taxare præsumant, alioue quouis modo, contra Ecclesiasticam immunitatem grauare vel arrestare.

6. Vt ne in matrimonialibus aut alijs quibuscunque caussis spiritualibus, ad cognitionem solius iudicis Ecclesiastici spectantibus, inter suos subditos aut alienos iudicent; nec dispensandi aut transigendi potestatem, in matrimonio ac gradibus prohibitis sibi vsurpent, sed huiusmodi causas omnes, ad iudicis Ecclesiastici cogtionem & definitionem remittant.

7. Vt Episcopos alioſq; iudices Ecclesiasticos, quando ab eis in auxilium vocantur, omnimodo iuuent, eorumque sententiam cum requisiti fuerint, sine noua caussæ cognitione, & cuiuscunque exceptionis, per eos propositæ excusatione promptissimè exequantur.

CENSVRA.

Hoc Directorium Ecclesiasticæ Colonienſis diſciplinæ reformandæ, ab Illuſtriſſimo et Reuerendiſſimo Domino, Domino Octauio Epiſcopo Tricaricenſi Nuncio Apoſtolico collectum,

Decanus & Facultas Theologiæ in Academia Louanienſi, debito examine prævio, tanquam opus magno ſtudio, & pietate concinnatum, fructuosè admodum excudi poſſe iudicant.

De mandato Domini, Decani & Facultatis.

Subſcrip.

And. Saſſenus dictæ
Facultatis notarius.

INDEX

INDEX RERVM AC VERBORVM HVIVS LIBRI.

A.

ABbatum, Priorum, aliorumque religiosis præfectorum officium. 36. 39. 52. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 67. 81. 87. 105. 110. 112. 113. 114. 579. 580. 581. eorum officium in Lectore eligendo 89.

Abbates, Abbatissæ, Priores, alijque religiosorum Officiales quomodo eligendi. 36. 37. quales eligendi. 37. quando consecrandi. 38. intra Monasterij sui septa cum fratribus habitent. 38. eademque cum illis frugali vtantur mensa. 58. Quod viribus suis præstare non possunt, orationis prærogatiua præstent. 114. Capitulum disciplinę ex præceptis regulę ac statutorum suorum restituant, & obseruent. 115. Capitula quoq; Prouincialia ex sententia Innocentij tertij seruent. 115. 139. excommunicantur & priuantur officijs si contra Constitutionem Sixti V. agant. 120. 121. 123. 124. Similiter puniuntur si Constitutionem Gregorij XIII. non obseruent. 146.

Abbatibus tõsuram & Ordines minores quibus conferre non liceat. 513

Abbates alijque regularium præfecti non sunt Domini bonorum Monasterij sui. 96. Abbate aut Prælato Monasterij mortuo, Episcopus œconomos constituat, & officiarios spirituales confirmet &c. 96. Abbatissæ & Prioriss æ officium in professione monialium. 41

Absens qui curæ animarum incumbit, præsens iudicatur. 339. qui præterea. 417.

Absentiæ quæ censeri debeant iustæ causæ. 416. 417.

Abesse Prælatis, & his qui beneficium curam animarum habens obtinent quando & quandiu liceat. 26.

Abesse cupiens licentiam obtineat, aliumque loco suo substituat. 409. 415. quàm diu abesse poterit. 484.

Abesse quibus diebus nemini liceat. 421. Absens à diuinis officijs quis censendus. 368. 408.

Absentes curent suppleri vices suas Prælati 26. 33. Decani 43. Canonici. 237.

Ablutio non detur communicantibus ex sacro, sed alio dissimilis formæ calice: cum ablutio calicis pro ægrotis postulatur, non prima nec secunda sed tertia detur. 395.

Absoluendi à casibus reseruatis facultas non exerceatur, nisi illam examinauerit & probauerit Ordinarius. 487. Absolutionis ministri 47. 485. & seq.

Academia quî instauranda. 223. 233 234. 551. 552.

Administratores quarumcunque rerum Ecclesiasticarum, ac officiarij locorum sacrorum, ad quæ teneantur. 579.

Admonitiones, correptiones, instructiones, castigationes, quomodo faciendæ. 302. 268. 269. 270. 296. 297. 310. 316. 111.

Aduersitates & tribulationes, qua cogitatione superandæ. 309. 310.

Adustum vinum ante fores templo-

rum non vendendum. 352.
AEdificia quæ cur quotannis visitanda & inspicienda. 580.
AEtas ad dignitates obtinendas legitima. 22. 553. 563. 263.
Ad beneficia. 423.
Ad ordines. 508.
Affectu quali ad Monasticen aspirandum. 140. 43.
Absoluendi qui quas cautiones reddere teneantur. 488. 489 490. 491. 548.
Aleas fugere Clerici debent. 223.
Alienationes in damnum Ecclesiarum irritantur. 582.
Altaria quomodo sepienda. 372.
Altarium portatilium vsus tollitur. 387. altaria tribus mappis conteganter. 388.
Ambulationes in templo tollendæ 292. 352. 372.
Amentes & furiosi an Baptizandi. an ad S. Eucharistiam admittendi. 448. 472.
Anabaptistis vt occurrendum. 448. 449.
Animarum cura non negligenda. 17. 169. & sequent. 258. 259.
Apostatæ inquirantur, accusentur. 199. Vide Regulares Apostatæ.
Apostatæ quomodo recipiendi. 490.
Archidiaconi oculi Episcoporum. 156. de quibus in die iudicij reddere cogentur rationem. 157.
Quod eorum officium. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 231. 254. 332. 528. 545.
Quod officium peculiare supremo Archidiacono. 158. 159.
Secundo quoque anno tenentur agere synodum parochialem. 160.
quibus virtutibus præcellere debent. 162. 166.
Quomodo visitent. 163. 164.
Archidiaconorum, Decanorum ruralium, & Pastorum omnium edatur catalogus. 207.
Archipresbyteri qui dicantur. 168.
Archiui Ecclesiæ, vel monasterij quot debeant esse claues & à quibus illæ seruandæ sint. 581. & seq.
Arma Clericis, an & qui gestanda. 224.
Ars est artium cura animarum. ac onus angelicis humeris. formidandũ. 31.
Artes quæ, damnatæ. 542. 543. 544.
Astrologia iudiciaria quatenus prohibita. 544.
Attentio in diuinis officijs cuiusmodi requiratur. 375. quid eam promoueat. 375. 376. 385.
Aucupia Clericis vitanda. 223.

B.

Baptismi susceptio, nunquam in longum differenda. 442. 452.
Valentiores aliquot pueri sabbatho sancto Paschæ & Pentecostes antiqua consuetudine baptizandi. 443.
In Baptismo quæ seruanda. 443. & seq.
Quis eius minister. 444.
Baptismus quomodo adultis, quomodo venientibus ex hæresi, quomodo in mortis periculo, quomodo hieme administrandus. 444. 445. Baptismale conuiuium. 452.
Baptismus à Laico, ab hæretico, ab obstetrice administratus, quo loco habendus. 445. 446.
quibus casibus sub conditione repetendus sit Baptismus. 446.
Baptismum ab hæreticis accipere, graue est crimen. 446. 447.
Baptismum iterans sit irregularis. 447.

Baptizati ab hæreticis vel sine exorcismis quomodo recipiendi. 447. 448.
Sine Baptismo mortui, vbi sint sepeliendi. 447.
Baptizandis quæ imponenda nomina. 453.
Baptizatorum & Confirmatorum, ac eorum, qui Matrimonio iunguntur nomina à Pastore scribantur. 323.
Baptizati ab vno vel duobus, suscipiendi. 449.
Barbam non nutriant Clerici. 212.
nec Campanarij. 350.
Benedictio coniugum in templo suscipienda. 523.
à proprio Parocho. 534.
Beneficia cur instituta. 374. 407. 408. 549. 559.
Quæ ad illa requiratur ætas. 550.
ordo, doctrina. ibidem. 562. 563.
quales ad ea promouendi. 235. 549. 550. 551. 552. 553. & sequen. 564. 562. 564.
Beneficium dans indigno tenetur ad restitutionem. 549.
Beneficia Ecclesiastica obtinentiũ habitus. 213. 214. 215. 216.
Beneficia curata ob quam culpam de iure vacent, & qui ad ea censeantur habiles. 262. 553 562. 563.
Beneficia iuris patronatus. 555.
Beneficiorum pluralitas reprobatur. 25. 26. 261. 262. 263. 559.
Beneficiorum pluralitati multis modis occurritur. 559. 560. 561. 562. 563. 157. & sequent. 421. 411. 413.
Beneficia plura habere non licet sine dispensatione. 560. 561.
Beneficia quam ob causam fiãt tenuiora. 560.
Beneficijs priuare Clericos quando liceat. 422. 230. 423.
Beneficia tenuiora, quomodo suffiecre poterunt ad honestam Beneficiatorum sustentationem vt non vniantur. 246. 247. 248.
Beneficia tenuiora quàm vt alere Ecclesię ministrum possint, & quorum Ecclesiæ aut altaria destructa sunt Synodo exhibeantur. 403.
Beneficiarius superflua retinens vel inutiliter impendens ob violatam sanctissimę charitatis legem grauiter peccat 217. 218.
& latius. 577. 578.
Beneficiorum fructus quomodo distribuendi. 419. 420. 421.
Beneficia quibus onus prælegendi annexum est obtinentes, pro rata intermissarum sine iusta caussa lectionum fructus perceptos restituere coguntur in manu Rectoris. 234.
Qui deinceps legere cessat, post tertiam correptionem prebenda sua priuatus est. 235.
quales ad huiusmodi beneficia promouendi. 235. 550. 551.
quid illis iniungendum; quomodo eorum onera distribuenda. 551. & sequent.
plura curata beneficia quomodo habere liceat. 262. & cæt.
plura habens beneficia vbi residebit. 263. 338. & seq.
Beneficiatus non iuret se seruaturum huiusmodi consuetudines. 17. 428. 429.
faciat fidei professionem. 1.
Bibliopolæ & Bibliopegi ad quæ teneantur. 274. 342. 343.
Bibliotheca Regularium. 82. 87. 104.
Bireto clericali quibus vti liceat. 216.
Blasphemandi, iurandi, periurandi cõsuetudines extirpandæ. 545.
Bona ante professionem abeuntibus restituen-

restituenda. 43.
Bona Ecclesiastica in quos vsus seruiant & quomodo administranda. 576. & seq.
Bona Ecclesiastica occupantium pœna. 583.
Bonis Ecclesiasticis quatenus vti Clericis liceat. 577. & seq.
Brachium sæculare imploretur, pro reuocandis regularibus. 112. 113.
Breuiarium. 378. 379.
Bulla cœnæ Domini. 490.

C.

Calices & purificatoria quando & à quibus lauanda. 556.
Calicis vsus an cuiquam permittendus. 475.
Campanarij: vide Custos.
Canes, porci, & canes mystici à templis arceantur. 352.
Canon Missæ tacitè pronunciandus 391.
Canon *Omnis vtriusque sexus*, Canonicos ac omnes Clericos æquè ac Laicos obligat. 172. quando promulgandus. 288. quid pro eius obseruatione faciendum. 469.
Canones de vita Clericorum renouantur. 208. & seq. 577.
Canonicatus quibus conferendi, 235. 549.
Canonicorum nomina explicantur. 208. 209.
Canonicorum variæ instructiones, & præcepta vitæ Canonicalis. 208. & seq.
Sint Episcopis & Prælatis suis obedientes, sicut facturos se iureiurando promiserunt. 209. 248.
In diuinis officijs igne charitatis Dei toti ardeant. 209.
Frequenter confiteantur & communionem corporis Christi accipiant, 210. 175. 176. 177.
Ad residentiam assiduam hæc eos inducant. 210. 407. & seq.
Ad officium defunctorum legendum tenentur, etiamsi in Ecclesia sua iusta de caussa non resideant. 211.
Coronam clericalem gerant, barbam non nutriant, comam non demittant. 212.
Capillitium ne in cristam componant 212.
in vestibus hæc caueant, hæc obseruent. 213. 214. 215. 216. 217.
non stent in foro ociosi, non vagentur per plateas, non currant ad spectacula, &c. sensuum oblectamenta contemnant, nusquam soli vadant. 214.
non ditent consanguineos aut familiares suos. 217. 232. 233. & clarius 577. 578. minimè autem filios, concubinas, &c. 231.
Seruent in omnibus modestiæ mediocritatem. 217. 218. 219. 222. 223.
Canonicis & Clericis quæ in conuiuijs obseruanda. 218. 219. 220. 221. 222.
Sint sobrij. 219. 222. neminem inebrient. vinum sibi temperent, & se vino. 221.
foris nec cœnent, nec pernoctent, tabernas non adeant. 222.
Canonicorum mores & conuersatio. 223.
Quæ eis prohibita. 222. 223. & seq.
Vinum vendere quomodo eis permissum 225. frumentum non comprimant. ibid.
Nullam habeant domi suæ commorantem fœminam. 227. 228.
Seminaria studiosorum instituta ac insti-

instituenda promoueant. 233.
Canonicorum familiares quales esse debeant. 240.
Canonici iuniores S. Theologiam audiant. 237.238.
Canonici exspectantis aliquis vices suppleat. 415.425. Canonicis no ampliustribus mẽsibus abesse licet.414.
Canonici absentes curent suppleri vices suas. 237. Canonici non cantantis Missam, Epistolam, Euangelium vel Lectionem, negligentia per alium Canonicum aut Vicarium suppleatur. 398. 399. in collegijs Canonicorũ sit Theologus qui doceat .238. Canonici nõ fodiãt in terrã talenta sua 239. Canonici vocantur Ecclesiæ senatus, membra Episcopatus, opitulatores & cooperarij Episcopalis sollicitudinis. 239.
Cur prope templum habitent, 432.
Quę Canonicorum debeant esse studia. 239.& seq.
Canonicus hîc, Pastor alibi vbi residebit. 263.338.
Canonici quibus lectionibus intererunt. 553.
Canones & statuta frequenter Canonicis prælegantur. 179.180.181.
quis lectionis huius fructus. 182.183.
Canonici non confiteantur alieno sacerdoti nisi permissu Decani sui.177.
Canonici diuina officia per se non per alium obire debent. 408.
Vide Clericus, Sacerdos.
Canonissæ resideant. 363.364.
Canonissarum vestitus & habitus quales esse debeant. 405.
Cantorum officium. 399.401.373.& seq.
Cantor vel alius teneatur monere Canonicos quid cuique muneris in officio chori subeundum sit. 397.
Cantus laudabilis quis.376.quæ in cantu obseruanda. 373.& seq.
Cantus ad compunctionem peccatorum & ad amorem Dei audientium corda permoueat. 399.
Capellanis Episcoporum, Regum, Præpositorum, &c. quando abesse permittitur. 416.
qui talium Capellani esse prohibentur. ibid.
Capitulares conuentus vbi, & quando habendi. 185.
Capitula disciplinę singulis minimum mẽsibus, in omnibus vtriusq; sexus Collegijs habeantur. 179.181.182.183.
quid in illis agendũ. 179.180.181.183.
Capitula disciplinæ regularis. 115.
Castitatis votum .53. quę illius sint præsidia; quæ violantibus illud debeatur pœna. 53.54.
Casus Episcopales. 489.
Casus Papales. 490.
Cathechesis singulis Sacramentis adiungenda. 440.
Catechismus. 279.280.
Causæ legitimæ absentiæ quæ. 417.
Causæ matrimoniales spectant ad Ecclesiasticos. 595.
Celebratio Missarum lege Missa.
Censoris librorum munus quibus iniungendum. 552.553. quod eorum officium. ibid.& 313.
Censurę ab Ordinarijs emanatę obseruandæ à Regularibus. 98.
Cerei aut candelæ oblatæ in holocaustum, non extinguantur. 360.
Christianorum primus fructus alere pastores suos& cultum Dei promouere.578.328. quid præterea Pastoribus suis debeant. ibid.
populi Christiani officium contra hæreticos. 276.
Christiani quorum sint admonẽdi. 226, et seq.

Christianorum officium. vacante Ecclesia.&c. 311.
In synodo & concilijs. 160.
In sacra ordinatione. 504.
In annunciatione impedimentorum sacri ordinis. 505. & matrimonij. 520.
Christiani quando communicare tenentur. 469.
Christus in Eucharistia continetur. 458.
Choriepiscopi quam curam gerent. 402. 191. Debent assiduo adesse. 24.
Ciborum delectus seruandus. 433. 434.
Cineres sacri diei cinerum vnde fient. 457.
Clandestinorum matrimoniorum correctio. 521. 522.
Clausura sanctimonialium. 66. & sequent. 137. 141. 145.
Clerici quid profiteantur, quid professioni eorum maximè contrarium. 504.
Clericali professioni nihil tam contrarium quam lucro vinci. 224. 225.
Clericorum vita & exemplum quanti momenti. 208.
Clericorum gestus incessus sermones 223.
Clerico vago Missas celebrare non licet 195. 383.
Clericorum priuilegia & immunitates innouantur. 432. 423.
Clericis aleæ, comessationes lusus prohibentur. 223. 218. & seq. Cætera quære in ver. Canonici, Sacerdos, concubinarij, beneficia. &c,
Clerici qualem habeant De bonis suis disponendi facultatem. 217. 231. 233. 577. & sequent.
Clerici præ alijs frugalius tenentur viuere, & ad eleëmosynarũ prçceptum arctius obstringuntur. 577. 578.
Clericus facile contemnitur qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat. 218.
Clericis quid obseruandum in conuiuijs. 218. 219. 220. 221. 222.
Clericorum scortatorum pœna. 228. 229. 230.
Clericorum filij non obtineant beneficium nec ministrent in Ecclesijs vbi parentes sui beneficium habuerunt. 230.
Clerici spuriis ac concubinis suis testamento nihil legent. 231.
Clerici non scientis cantare alius vices suppleat. 415.
Clerici qui intra sex menses Diaconi, intra annum sacerdotes promoueri debeant. 365.
Clerici vt accedent in templum & egredientur. 368. in templo, in choro, in cantu vt sese gerent. 378. & sequentibus. Cur de altario viuât 374. quanto præstare alijs debeant. 374. 375.
Clerici Colonienſ. qui partim nouum, partim antiquum breuiarium legunt, præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt. [381. 515.
Clericus vagus aut ignotus, ad sacra ministeria non est admittendus, nisi .....195. 196.
Clerici non gaudent priuilegio fori nisi habitum & tonsuram deferant
Clericalem 514. ieiunia Ecclesiæ, vetusto more religiosè seruent. 536. 537.
Clerici qui contrahendi habent propositum beneficiorum fructus non faciunt suos. 554. matrimonium contrahentes ab omni beneficio ecclesiastico excidunt. ibid.
Coemiteria sancta & munda seruentur. 352.

Collaria quæ, quibus gestanda. 215.
Collatores beneficiorum tenentur hoc casu Ecclesiam seruare in demnem. 554. 549.
Collatores beneficiorum Ecclesiasticorum puniuntur. 262. 564. 562. 563. 564.
Collationes de parochialibus Ecclesijs quæ iure viribus careant. 263. 334. 564.
Collegia literas dimissorias concedendi ius non habent, vt quis ordinetur ab alijs. 513.
Collegia Canonicorum & Canonissarum, veteri more muris cingantur, & claudantur. 436.
Collegia quædam ac monasteria nobilium, vt reformanda. 364.
Collocutiones & confabulationes non habendæ in Ecclesijs. 371. 372.
Colonia in fide stabilis. 7.
Colores paramentorum altaris, &c. vt variandi. 354.
Compatres in Baptismo qui. 450. 453. qui in confirmatione. 457.
Communicandi quomodo instruendi. 463.
Communio Sacramentalis quibus permittenda quibus neganda. 462. & sequentib. quid in eadem obseruandum. quæ præparatio præmittenda, quid post communionem faciendum. ibid. Sacrilegus habeatur qui acceptam à Sacerdote S. hostiam studio non transmiserit. 465. Pueri quando ad S. communionem admittendi. 468. Quæ habenda S. communionis ratio in Pascha. 469. 470. Quæ habenda cura frequenter communicantium. 470. quæ laicorum & fœminarum, quæ illorum qui in peccandi vixerunt consuetudine. 471. Sacræ communionis locus vt parandus. 474. De purificatione communicantium. 474. de communione sub vtraque specie. 475. De Ministro Sacræ communionis hæretico aut schismatico. vide Eucharistia. 457.
concionis tempore non fiat sacrificium. 390.
In concionibus popularibus non disputetur de conceptione Dei Genetricis Mariæ. 308. 345.
Ante concionem quomodo præparabit se concionator. 303. 304. & sequent.
In concione, post concionem, hæc caueat hæc obseruet 307. 308. 311. & sequent.
Pro concione quæ præcipuè tractanda. 267. 277. 278. 203. 279. 272. 286. 287. 288. 291. 296. 298. 299. 301. 328. 447. 449. 454. 458. 462. 468. 469. 476. 490. 491. 497. 527. 543. 545. 583. vide prædicationis munus.
Concubinariorum quæ habenda cura. 526. 228. & sequent.
eorum pœnæ. ibid.
Confessionum libri discendi à pueris. 496.
Confessorum munus in satisfactionibus iniungendis. 493.
Confessores Regularium examinandi antequam admittantur. 99.
Confessores Monialium. 99. 215.
Confitendi in quadragesima salutaris mos. 288.
Confessio generalissima exterminanda à Confessione sacramentali. 289.
Confessionis locus. 492
Confessionis ministri qui, & quibus virtutibus pollere debeant. 486.
quos audire possint. 487. 492.

quousque in negotio absolutionis se extendat eorum facultas. 487. in periculo mortis constitutos de quibus examinabunt &c. 487. 488. quomodo tunc à casibus reseruatis absoluant. 488. Ab ignotis quæ in confessione inquirenda. 592. vota obedientiæ &c. nec exigant nec admittant. 493. in votis quid possint. 493. Satisfactionem qualē imponent. 493.
Cætera quæ ad Confessarij ac confitentis munus pertinēt. ibi. & seq. & 510.
Confiteantur omnes initio Quadragesimæ. 288.
Confidentiæ prauitas quibus modis contrahatur. 565. & seq. quibus modis probetur. 568. & seq. eius pœna. 569.
Confirmationis Sacramentum ad quid valeat. 454 quid in eius administratione desideretur ab Episcopis, quid à Pastoribus 455. 456. quid à confirmandis, illorumque parentibus & Patrinis. 456. 457.
Communio sacramentalis quibus sæpe percipienda. 174. & seq. 100. 470.
Consanguinei fructibus Ecclesiarum non augendi. 577. 578.
Conuictores in monasterijs quo loco habendi. 80. 81.
eorum & conuictricum puellarum in monasterijs virginum quæ habenda cura. 81.
Conuiuia quę fugiēda Clericis. 218. 219.
in conuiuio Pastoralis Synodi quæ obseruanda. 203. quæ in conuiuio Sacerdotis primum sacrificantis. 384.
Conuiuium baptizati infantis. 452.
Conuiuium die professionis, & primæ Missæ quale esse debeat. 50. 51.
Contritus sine confessione ad S. Eucharistiam non accedat. 385.
Corona & tonsura Clericalis. 23.
Corporalia à quibus abluenda. 316.
Corporalia, aliaque sacra supellex vetustate consumpta, comburatur. 361.
Cultus Dei, templa & res sacræ etiam cū vitæ periculo defendēda sunt. 578.
Cultus diuinus qui peragēdus. 363. &se.
Curam animarum habentibus vbi residebunt. 263. 338. 23. 24. Vide in verbo animarum. Pastor & excōmunicatus.
Custodes non habeant clauem tabernaculi S. Eucharistiæ sed Sacerdos. 460.
Custodum officia. 349. & seq. Quales esse debeāt, quomodo tonderi, & vestiri ac in templis se habere. ibid.
Quales in monasterijs esse debeat custos templi. 80.
Custodes Campanarij, Virgiferi &c. quoties sacram communionem accipient. 176. vbi eam accipient. 176.
Custodes fœminæ hæc caueant. 360.

D.

Deambulationes in Ecclesijs vitandæ. 292. 352. 372. 373.
Debita cum adest facultas, qui non vult soluere, non communicet. 466.
Decanorum electio quomodo instituenda. 15. & seq.
Quod eorum officium; quales esse debeant. ibid. & 168. & seq. & 231. 363.
Curam habent animarum, Pastores sunt Canonicorum & inferioris Cleri Collegij sui. 15. 169.
pœnes eos consistit Ecclesiarum potestas. 168.
Quod Archidiaconi in regiuncula sua, hoc Decani in suo Collegio. 168.
à Pastoralibus officijs non debent abhorrere. 169.
Omnium, quibus præsunt, animæ statum exploratum habeant. 169.
eorundem confessiones audiant. 169.

169.170.171.172.
habent potestatem absoluendi in foro conscientiæ à casibus Episcopalibus. 171.
etiam laici & coniugati quidam Decanis tanquam Pastoribus suis subiecti sunt. 172.
Decani Sacramentum extremæ vnctionis Canonicis suis ipsimet administrent. 174.
frequentem sacramentalē communionē in vsum reuocent. 175.176.177.
honorem Dei promoueant. 178.15.
disciplinam in Clero seruent. 178.
vitia castigent. 178.180.181.184.
sint viua lex. 179.
Decanorum in rebelles officium & auctoritas. 30.
Capitula disciplinæ singulis minimum mensibus habeant. 179.181.
Capitularis disciplinæ antiquum ius in vsum reuocent. 180. Onera officia ac iuramenta omnium subiectorum suorum in scriptis habeant, & animo frequenter versent. 403.
assiduò resideant, & officio suo per seipsos strenuè perfungantur. 186.
Quæ mala ex Decanorum absentia oriantur. 186.
Statuta Ecclesiæ suæ examinanda & approbanda tradant. 187.
Præter Decanatum non habeant aliud beneficium Ecclesiasticum. 187. 560.559.188.189.590.
Decani absentis quis locum teneat. 190.
orationis vis quanta requiritur in Decano. 191.21.
Diuina officia quibus modis promouere teneantur. 363. & seq. ideo alijs prælati sunt, vt aliorum negligentias emendent. 403. Alia eorum officia 579. & seq.
Decanorum ruralium officium. 192. & seq. & 231. 257. 263. 269. 330. 332. 528. 545. 561. 562.
vocantur etiam Decani Conciliorum, Decani Christianitatis & Archipresbyteri. 192.
Non instituunt Sacerdotes in curas pastorales. 197.
causas matrimoniales & criminum non iudicant. 197.
excommunicare & pœnitentias legales propria auctoritate indicere non possunt. 198.
Nouis morbis noua remedia procurare debent. 200.
Quotannis debent bis Capitulum seruare. 201.
Tertio quolibet anno debent parochialem Synodum agere. 201.
Quantorum malorum causa sit Decanorum Ruralium negligentia. 204. 205. ibidem & ad eos grauis exhortatio.
Decanus Metropolitanæ Colonien. Ecclesiæ est Archipresbyter ciuitatis. 373.
Decani artium officium. 5.217.234.235. 593. & aliarum facultatum. 551. 552.
Decimæ qua deuotione soluendæ. 328.
Deductiones ex fructus in prouisione Ecclesiarum reijciuntur. 329.330.
Deformitatis Cleri quę causa, & quod remedium. 20.
Denunciationes in Ecclesijs ante Matrimonium quomodo & quando faciendæ. 518. quomodo & quando ante S. ordinationem. 505.
Desolatio extrema potius expectanda videtur, quam afflictionum relaxatio. 312.
Diaconi quoties & quando communionem percipient. 175.
Diaconi sex in metropolitana Colonien-

nienſi Eccleſia aſſiduò adſint, & miniſtrent. 367. Si nõ ſint promoti promoueantur intra quatuor menſes. 367.
Si non promoueantur, alij habiles & idonei in eorum locum ſuccedant. 367.
Diaconi quot eſſe debeant in Eccleſijs cathedralibus, quot in alijs collegiatis, quot presbyteri. 366. quis inter illos ſeruandus ordo. 366.
Diebus feſtis quid agendum. 293. vide feſti.
Diebus ſolennibus populus ad parochiam ſuam accedat. 287.
Dignitatum, honorum & graduum nomine, à quibus illegitimi excludantur quid ſit intelligendum. 129.
Dignitates quare inſtitutæ. 156.
Dignitatem habens in metropolitanis vel cathedralibus aut collegiatis Eccleſijs, & parochialem Eccleſiam vbi reſidebit. pag. 263 338.
Diſciplinæ capitularis vtilitas. 180. & ſequent.
Diſtributiones quotidianæ quomodo ordinandæ vel augendæ, quæ earum habenda cura & ratio. 397. 398. 406. 408. 410. 411. 416. 417. 418. & ſequent. 245. & ſequent. 420. & ſequent.
In diuerſis Eccleſijs eadem die, nemo diſtributiones accipiat. 411.
Diſtributiones quotidianas miniſtrorum Eccleſiæ, ac libros in quibus illæ annotatæ erant, qui quolibet modo ſuppreſſerit. damnum, quod hinc euenit reſarcire cogatur. 245. 246.
Diœceſana ſynodus, vide ſynodus.
Diſciplina Eccleſiaſtica, ſemper neceſſaria, at nunc maximè. 27. 180.
Diſpenſationes ad incompatibilia à quibus examinandæ. 561.
Diſpenſationes de non reſiſtendo quãdo valeant. 25.
Diſpenſatio non impediat quin paſtor in parochiali Eccleſia aſſiduò reſideat. 338.
Dies aut iniquus aut iniqui hæres 587.
Diuinorum officiorum ratio tam de cantu, quàm de certa lege in choro permanendi perfectiſſimè traditur. 363. & ſequentibus.
Diuinum officiũ legatur potius quam vt imperitus cantus populum ſcandalizet, & Deum grauiter offendat. 374.
In diuinis officijs ſeruanda eſt vniformitas. 378. 379.
Diuinis intereſſe, aut Miſſas celebrare, publicè criminoſi prohibentur. 386.
Diuortium quomodo fieri debeat. 527.
Domus Domini nihil propoſterum inhoneſtum tumultuarium aut prophanum habere debet. 292. 351. 352. 353. 372.
Domos duas Canonicales nullus poſſideat. 434. & ſequent.
Domus Canonicales non inhabitentur à Laicis. 435.

E

Eccleſiæ inferiores matrici Eccleſiæ ſeſe in diuinis officijs conforment. 379.
Eccleſiarum regimen ne quouis nomine quiſquam ſuſcipiat, niſi de congrua ſuſtentatione pro ſuperioris arbitrio ei fuerit prouiſum. 329.
Eccleſia ſibi commiſſa priuatur qui intra annum non promouetur ad ſacerdotium. 263.

In Ecclesijs violatis ante reconciliationem non fiat sacrificium. 387.
Ecclesia vacante preces habendæ. 12.
Ecclesiarum suppellex quotannis ab Ecclesiarum Rectoribus inspiciatur. 581. 580. quæ præterea eius, & librorum, litterarum, aliorumque munimentorum, archiui Ecclesia, monasterij, aliarumque rerum ac bonorum Ecclesiæ habenda ratio 580. & sequent.
Ecclesiarum bona occupantes. 583.
Electio prælatorum quomodo fieri debeat. 12. & seq.
Electionis confirmatio quæ requirat. 16. & seq.
Electio superiorum regularium quomodo habenda. 36.
Electorum est proprium persecutionibus non frangi sed magis excitari. 162.
Electores Prælatorum quid iurabunt. 13.
Eleëmosynam pauperes in templis nõ petant. 292.
Eleëmosynæ pro Missis importunè non exigendæ. 386.
Enchiridium Christianæ institutionis purgandum. 274.
Episcopatus personatus puerorum reformandus, aut potius in desuetudinem ducendus. 531. 532.
Ac in primis Canonici Vicarij alijque Clerici personatum Episcopum non faciant. 532.
Episcopi quando familiares suos ordinare possint. 513.
Epistolam cantans sit Subdiaconus. 397.
Epistolam in Missa Lecturi & negligentis pœna. 398.
Epistolæ & Euangelia ab omnibus pro concione eadem tractentur. 310. 311.
Epistola in Missa ex integro cantetur. 400.
Euangelium cantans sit Diaconus. 397. quibus debeat esse moribus. ibid.
Eucharistiæ sanctissimo sacramento cultus latriæ debetur. 458.
De custodia & tabernaculo S. Eucharistiæ. 459. 460. & sequent. tempore persecutionis à quibus custodienda. ibid.
Claues tabernaculi Sacræ Eucharistiæ non laicus sed sacerdos habeat. 460. receptacula sacramenti Eucharistiæ quoties quando & à quibus mandanda. &c. 461. 357. Quot hostiæ ab Ecclesiarum Rectoribus consecrandæ. 461. Sacerdos administraturus S. Eucharistiæ Sacramentum, quomodo se habere, quid agere, quid cauere debeat. 472. & sequent. Hostiæ sacra si in terram ceciderit quid faciendum. 474. de deportatione Sacramenti huius ad infirmos. 476. & sequent. spiritualiter quomodo sumatur 477. 478.
Eucharistia quibus hodie nausea sit. 174.
Eucharistiam suscepturus quomodo se præparabit. 463 464. vide cõmunicatio.
S. Eucharistiæ Sacramentum perpetuo lumine honorandum. 359.
Qui Sacramentum hoc nolunt honorare obseruentur & puniantur. 476.
Infirmus illud accepturus propinquos ac vicinos suos inuitet, vt illud comitatu suo honorẽt. 476. pulsu quoq; campanę inuitẽtur omnes fideles. ib. Per aspera loca quomodo illud portandum. 481. Sacerdos illud portans tegatur vmbella. ibid.
Examinatores futurorum Parochorum quot, & vbi, & qui constituendi &

di, & quod eorum officium. 251.252. 313 314.
Examen eligendorum ad beneficia. 554. Ludimagistrorum. 590. Ordinandorum, Permutantium, cedentium, refignantium. 556.
Excommunicatus qui se Ecclesiarum regimini ingessit; excommunicatus publicè denuntietur, & à fidelibus omnibus vitentur. 257.
Executores testamentorum ad quid teneantur. 565.586.
Expectatiuæ tolluntur. 555.
Expectante defuncto, quam diu expectandum successori. 431
Expectans residens, sit particeps distributionum & à conuentibus Capitularibus non excludatur. 431.
Extrema vnctio quære vnctio.

F.

Fabricæ & ædificij templi quæ habenda cura. 360 361.
Facultates de non promouendo ad annum tantum suffragentur. 264 365.
Facultates de promouendo à quocunque, cui suffragentur. 512.
Festi dies quomodo celebrandi. 527. & seq.
quibus modis violentur. 528. Qui dies solemniter sint celebrandi. 529. Quibus de caussis dies aliquot festi instituti sint, & instituendi essent. 530. 531. festum Hypodiaconorum tollitur. 531.
Festa composita quomodo seruanda. 379.
Festorum, ieiuniorum, debitæ decimarum oblationis præcepta contemnentes, non admittantur ad S. communionem. 467.
Fidei rudimenta in singulis parochijs pueri doceantur. 279. & seq.
Fidei professio aliquando post concionem pronuncianda. 313.
professionis fidei forma latinè. 2. Germanicè 8. qui eam facient. 1. 4. 5. 6. 447. 521. 588. 590.
vbi eam facient; quo aut quibus præsentibus, quando. 4. 6. 11. 491. facta, annotetur. 11.
Quod officium vtriusque magistratus in ea procuranda. 6.
Fidei confessionem cur multi erubescant. 455.
Fidei quæ habenda cura. 11. 159. 193. 267. 272. 256. 282. 578.
Filij clericorum illegitimi, in Ecclesia in qua pater habet vel habuit beneficium idem vel aliud beneficium habere non possunt. 230.
Filiorum erga parentes officium. 197.
Filij hæreticorum ad Beneficia Ecclesiastica non sunt promouendi. 554.
Filijs illegitimis Clericorum non permittenda solemnitas nuptiarum. 525. 231.
Fons baptismalis nõ sit, vbi eius nõ potest esse vsus. 443. quæ eius habenda cura ibid.
Fructus Beneficiorum primi anni aut alterius temporis, à quo vacarunt, cui aut quibus cedent. 424. & seq.
Frugalitas Clericorum. 578. 217. 220.
Funebris pompa. 207.
Furiosis, amentibus, energumenis, damnatis ad mortem. an danda sacra Eucharistia. 472.

G.

Gradus affinitatis & consanguinitatis 520.

Gratiæ Christi virtus & efficacia. 302.
Gratiæ ad Vacatura tolluntur. 555.

H.

Habitus Clericorum qualis. 213.214.
Habitus regularis. 58. 59. 81. 70. 71.
Hastiludia clericis vetita. 223.
Hæreticorum perfidia, crudelitas & sæuitia. 445.
Hæretici & Schismatici iure quoq; naturæ vitandi sunt. 273.
Hæresis matrimonium contrahendum impedit. 521.
Hæresis qua arte expugnanda. 267. 268. 269. & sequent.
Hæreseos abiuratione quibus opus sit. 452. 491.
Hæretici quomodo recipiendi. 491.
Hæretici exterminandi. 283.
Hæreticorum & Schismaticorum filii an inuitis parentibus baptizandi. 448.
Heribertinum ieiunium quomodo seruandum. 534.
Hospitalia Ecclesiarum. 580.
Horæ canonicæ quî cantandæ. 373. 374.
Horarum canonicarum lectionem prętermittens, pręter peccatum mortale quod incurrit, restituere tenetur beneficij aut officij fructus. 210. 249. 250.
Horarum Canonicarum lectio in alium transferri non potest. 211.
Horarum Canonicarum lectio ob persecutionem plane negligenda non est. 211. neque per occupationes intermittenda. 211.
Horologiorum quæ habenda cura. 357.
Hostiæ & vinum sacrificij. 355.
Hostia sacra non est ad præfationem orationis dominicę in girum ducenda. 293. 394.
Hostiæ post cómunionem seruatæ. 476. vide Eucharistia.

I.

Ieiunandi modus. 532. 535.
Quibus diebus ieiunandum. 532.
Ieiunia quo animo suscipienda. 533. 534.
Ieiunia quædam deuotionis seu voluntaria, cum indulgentijs. ibid.
Ieiunium feriæ quintæ maioris hebdomadæ. 535.
Qui vnius diei ieiunium soluit totam Quadragesimam inhonorat. ib.
Tempore Quadragesimæ quomodo ieiunandum. 535.
Illud ieiunium esu carnium violantis pœna. ibid. & 536.
Ieiunium quatuor temporum quibus de causis, quomodo seruandum. 536.
Ignoti quomodo matrimonialiter cõiungendi. 523.
In imaginibus sanctorum quæ cauenda. 538. de alijs picturis. ibid.
Immunitas Ecclesiastica restituenda. 436. 594. & sequent.
Impedimenta matrimonii. 520. 521.
Ordinis sacri. 505.
Imperatoris auxilium in his postulandum. 164. 594.
Qui ex incestu aut sacrilegio geniti sunt, non admittantur ad characterem clericalem, neque ad Ecclesiastica officia, aut altiores gradus. 121. 132.
Indulgentiarum à Rectoribus Ecclesiarum quæ habenda cura. 540. Indulgentiæ quæ non recipiendæ. 540.

Indulgentiæ quæ non euulgendæ. 309.
Indulgentiæ. 40 & 30. dierum. 161.
Indulgentiæ 40. dierum, ſacrificantibus & S. Euchariſtiam accipientibus. 177.
Indulgentiæ concedendæ his qui ſeminaria ſtudioſorum promouent. 233.
Indulgentiæ 100. dierum his qui ad extirpannas hæreſes collaborant. 277.
Indulgentiæ 50 dierum ad pulſum Campanæ. 313.
Indulgentiæ 50. dierum dicenti hanc orationem. 392.
Indulgentiæ 50. & 100. dierum proſequentium Sacramentum S. Euchariſtiæ. 480. & cohoneſtantium extremam vnctionem. 499.
Indulgentiæ 40. dierum voluntariè ieiunantibus. 534. & certis alijs diebus ſobriè, temperanter ac piè viuentibus. ibid. & 535.
Infantes non baptizati vbi ſepeliendi. 447.
Infirmorũ domeſtici ac amici ad quid teneantur. 483.
Inſtitutio Chriſtiana. 286. & ſeq.
Inſtituendi in beneficia Eccleſiaſtica ius habentis officium. 557. 558.
Inſtituendi in beneficium eccleſiaſticum iuramentum. 558.
Inſtitutio eſt ianua per quã fit ingreſſus ad adminiſtrationem Eccleſiarũ. 255.
Inſtitutio in beneficijs iuris patronatus. 251. 252. 253. 336. 555.
Inuentarium rerum Eccleſiæ quod, à quibus faciendum, & vbi vel à quibus illud ſeruandum. 580. 585 361.
Iudæis in populo Chriſtiano quomodo comparerere liceat. 285.
Iudices laici Eccleſiaſticos impedire non poſſunt. 594. 595.
Iudices Eccleſiaſtici cognoſcunt de matrimonijs. 595.
Iudicium Dei ante oculos quiſq; habere debet. 240. 314. 192. 157. 46. 47.
Iuramentum Prælatorum. 17.
Canonicorum, 209. 248.
In electione Prælatorum. 13.
Signatoris ſeu Præſentiarij. 417.
Præpoſitorum. 153.
Decanorum Ruralium. 200.
Sacerdotum. 514.
Aliorum ſacris ordinibus titulo Patrimonij initiandorum. 511.
Beneficiatorum. 558.
Iuramentorum quæ formulæ frequenter prælegendæ. 180.
Iurisdictiones Eccleſiaſticas locare non licet. 32.
Iuuentutem inſtruere qui tantum admittendi. 588.

L.

Laici ſacras reliquias & ſacros calices, corporalia & purificatoria ne attingant. 354.
in Chorum non admittantur. 372.
Latriæ cultus exhibendus eſt Chriſto in Euchariſtia. 458.
Lectio ſacra Religioſorum menſis admiſcenda. 104.
Leges etiam ſæculares obligant in conſcientia. 286.
Legis ac præcepti loco quid cuique eſſe poſsit. 319 320.
Libri de matrimonijs, de Baptizatis, de confirmatis, de parochiæ ſubiectis. 323. 324 325.
de profeſsionem fidei faciẽtibus. 11.
Libros hos habeant & legant Canonici. 241. 242.
Hos paſtores. 320 321. & ſequent.
Hos regulares. 87. 324.
Hunc omnes ſacerdotes 382.

Libri qua cautela edendi. 552. & seq.
Librorum prohibitorum index. 275.
Libri hæreticorum in nullo vsu lectionis habeantur. 159. 273. 274.
non imprimantur, non vendantur. 342. 343.
neque libri astrologiæ iudiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, nec alij superstitiosi. 543. 544.
Libri qui præterea prohibiti. 275.
Libri missales & breuiarium colon. Ecclehæ reformandi sunt. 380. 381.
Licentiæ non residendi a quibus probandæ vel iudicandæ. 25.
Licentiæ abstentandi se à quibus petendæ. 409.
Litteras dimissorias qui dare possint qui non. 513.
quæ horum pœna si dent. ibid.
Litteræ dimissoriales Clericorum vagorum atque ignotorum examinandæ sunt. 195. 196.
Lucrum & luxus Clericis prohibetur. 217. 224. 504 559. 577. 578.
Ludi theatrales & alia spectacula diebus festis non admittantur. 529.
Ludimagistri officium. 375 393 399. 376. 401. 402. 582. & sequent.
Ludimagistri quales assumẽdi. 588. 589.
à quibus assumendi. 588.
à quibus examinandi. 590.
in tradendis disciplinis hanc seruent rationem. 591.
Ecclesiam suam parochialem hoc modo honorent. 592.
Vestitum Choralem ne in desuetudinem abire sinant. 592.
Discipulos quique suos hæc doceant ac horum admoneant. 591. 592. 593.
extirpent hos excessus eorumq; occasiones. 593.
Lumen cerei aut lampadis quid sibi velit in administratione Sacramentorum. 438.
Et ante S. Eucharistiæ Sacramentum. 460.
Locationes in præiudicium successorum, successores non obligant. 582.
in locationibus quid præterea obseruandum. 582.
Luna quota sit cur pronuncietur in conuentu Canonicorum. 182.

M.

Magister cæremoniarum. 401.
Magistratus secularis officium in scorta Clericorum. 229.
In Apostatas. 113. 114.
In professione fidei procuranda. 6.
In Supplicationibus cohonestandis. 405.
In Anabaptistas. 448. 449. alia multa. 282. & sequent.
Magistratus sæcularis officium contra hæreticos. 275. 276 282. 283.
Contra Magos Maleficos, &c. 277. 543.
Varia eius alia officia. 283. & seq.
Quando per notabilem culpam negligit officium, tenetur resarcire damnum. 285.
Quando præterea grauiter peccat. 286.
Collaboret vt collegia Canonicorum & Canonissarum veteri more muris cingantur & claudantur. 436.
Vt ne dies festi violentur. 529.
Vt ne quadragesimæ tempore carnes vendantur. 136.
Magistri fabricæ. 362
Magistri, Licentiati & Bacalaurei artium, gradus sui insignijs semper vtantur. 217.

Magorum ac maleficorum qui vtuntur superstitiosa opera, grauiter peccant. 543.
Maleficia quibus modis depellanda. 543.
Mandata de prouidendo tolluntur. 555.
Mandatum die cœnæ Domini quomodo celebrandum. 535.
Manus citò nemini imponenda. 403. 407. &c.
Manum abscindere cum scandalizat, non tantum consilij sed præcepti est. 273.
Matrimonium fieri debet cum denunciationibus præcedentibus. 518. quoties, quando, & vbi illæ faciendæ. 518. 519. Quæ præterea in his Pastorum sint officia. 519. 520. & seq. quæ populi. 520.
Matrimonij impedimenta, omnes quorum interest norint. 521.
Matrimonia clandestina hîc irrita ac nulla sunt. 521. 522.
Conuolare possunt ad alia matrimonia qui sic cõtraxerunt, etiam viuentibus illis quibuscum sic contraxerant. 522.
Testes in contractu matrimonij persecutionis tempore qui esse possint. 522. 523.
Alterius parochiæ sponsos sine licentia coniungentis, aut sine denuntiationibus legitimis, pœna. 523.
Ad benedicenda aut contrahenda matrimonia quis censendus proprius parochus. 253.
Grauiter peccant qui matrimonium in peccato mortali contrahunt, & qui carnali copula miscentur antequam illud legitimè fuerit contractum. 542.
Matrimonium vbi & quibus temporibus celebrandum. 542. 525.
Matrimonij causa spectat & ad Ecclesiasticos. 527. 595. vide Sponsalia.
Medici ad quid teneantur. 477. 482. & Sequent.
Mendici mendicare non permittantur in templo. 291.
Mensa Clericorum qualis. 220. 221. 222.
Missam apud moniales facienti non detur ibidem ientaculum. 75.
Missæ sacrificium quando Prælati & Sacerdotes offerent. 20. 21. 160. 161. 174. 175. eidem Christiani omnes quotidiè interfint. 293.
Missa magnam continet eruditionem. 278.
In Missa caueat hæc populus. 278.
Quæ præterea in Missa euitanda & obseruanda, maximè à Sacerdotibus, Clericis, Cantoribus Organistis & Ludimagistris, &c. 582. & seq.
Missæ plures vno die facere quando liceat: quando extra Ecclesiam: Nihil in Missa mutandum. 391.
Diebus dominicis addatur hæc oratio. 392.
Missa peracta hæc sacerdos faciat. 392.
In Missis solemnibus quę obseruanda, quæ cauenda. 396. & sequent.
Diebus Dominicis Missa diei propria cantetur. 399.
Missa sub concione nusquam fiat. 390.
Missales libri quomodo custodiendi. 360.
Monachi an parochijs præficiendi. 107.
Monialis, vide Sanctimonialis, Regularis, Nouitius.
Moniales exules, sic vestiantur. 71. 99.
Monasteria curam animarum habentia quomodo subsint Episcopis. 107.
Monasteriorum officiales, nihil emãt, locent, vendant, aut alienent sine consensu

consensu superioris & conuentus sui. 95.
Ad quid præterea teneantur. ibid
Ex monasterijs auferantur occasiones, omniaque arma ebrietatis. 92. 93.
Monasteria ingrediendi licentia reuocatur. 74. 146.
Ingredi ea cui, quando liceat. 74. 75. 146. 148. & sequent.
Non fiant in eis strepitus iudiciarij. 79.
Monasteria extra vrbem posita, intra vrbem reducantur. 82. 83.
In monasterijs sit lector. 80. 81. 90.
Singulis Monasterijs præficiantur visitatores. 116.
Quod eorum officium. 116. 117. 118.
Monialis vide Regularis, Sanctimonialis, Nouitius.
Monopolia prohibenda. 284.
Monstra quæ censenda sint duo esse supposita. 448.
Mores Ecclesiasticis indigni qui. 223.
Mulier sacris altaribus non assistat. 390.
Mulieres in Monasterijs quo loco excipiendæ. 94. Non sunt compellendæ ad contrahendum matrimonium. 297.
Mulierum concubinarum pœna. 228. 229.
Multæ pecuniariæ pijs locis assignandæ. 229. 234. 29.

N

Nautarum, cauponum carrucariorum &c. quæ habenda cura. 290. 291.
Negocia secularia fugere debent Clerici. 224. 225.
Negligentes facere officium suum in diuino officio, sic puniantur. 397.
Nominatio, præsentatio, electio, & collatio quo affectu & modo fieri debeat. 549. Nominati ad beneficia non admittantur sine examine. 554. 555.
Nominatorum electorum vel præsentatorum nominatio, electio, præsentatio, collatio, resignatio, cessio permutatio, institutio, installatio, vel alia prouisio gratis fiat. 556.
Nihil in eis fiat contra constitutiones Pij Quinti 556. 565. 573.
Pro litteris, & iure sigilli, &c. quantum sit dandum. 557.
Nouitiorum magister, aut magistra qualis. 44.
Nouitij & nouitiæ quomodo recipiendi. 39. 40. 43.
Nihil pro eorum ingressu recipiatur. 40.
Nemo aliquem inuitum trahat, vel cogat ad ingrediendum monasterium. 41. 42.
Nemo ingredientem impediat. 42.
Non loquantur cum aliquo nisi præsente eorum magistro. 50.
Ad professionem quando admittendi. 45.
Quales admittendi. 42. 45, 78.
Quales reijciendi. 119. & seq.
Quomodo instituendi. 43. 46. 47. 49. 45. 53. 86.
In inuestitione quæ cauenda, quæ obseruanda. 44.
Instante professione quid facient. 49.
quid die professionis. 50.
Abeuntibus ante professionem omnia restituantur. 45.
Ingressus per vim, post professionem non auditur, nisi: 42.
Non recipiantur plures in sorores quam de Monasterij prouentibus sine penuria ali possint. 137. vide sanctimonialis, Regularis.
Notarij quantum pro litteris accipiat. 557.
Nundinæ quibus diebus vetitæ. 529.

Nuptiæ & publicæ sponsarum traductiones certis anni temporibus prohibitæ. 525. 542. sint modestæ, &c. 525.
Nuptialium conuiuiorum moderatio. 525.

O.

Obedientia præstat excusationem absentiæ. 417.
Oblationes fidelium ad altaria nusquam fœminæ excipiant. 360.
Obedientiæ votum. 52.
Obstetrices quomodo sint ad obstetricandum admittendæ, & de quibus instruendæ. 447.449.
Officium feriarum priuata alicuius collegij auctoritate non est in aliud officium commutandum. 379.
Officium defunctorum non ante prandium sed post prandium legatur. 238.
Olea sacra quando petenda, quomodo distribuenda, seruanda, augenda, vetera comburenda, &c. 441.442.
Oratio Dominica cur frequentissimè in diuinis officijs repetatur. 375.
Orationis quæ virtus. 302.
Ordinario quæ incumbant. 342. 343. 333. 334. 348.
Ordinarij & aliorum officium in admittendo & examinando ministros. confessionis. 486. & Ordinandos. 503. & sequent.
Ordinibus sacris initiandi solemne perpetuæ castitatis votum faciunt. 514.
Organista hæc seruet. 400.
Ordines requisiti, quãdo à quibus suscipiendi. 423.
Ordinis Sacramentum ad quid institutum. 503.
Qui ad illud admittendi, qui hinc excludendi. 503. & sequent.
Ordinatio quomodo facienda, & quæ ei præmittenda. ibid & seq.
A quo facienda. 512
Vbi facienda. 516.
Quæ in examine Ordinandorum inuestiganda. 508.
Ordinandorum ætas. 508.
Ordinatorum ante ætatem, sine literis dimissorijs, & extra tempora à iure statuta pœnæ. 509.514.
Ordines per temporum interstitia conferendi. & quibus. 509.
Ad Ordines non admittendi, nisi qui Confessarij sui huiusmodi adferant testimonium. 510.
Ordinandi titulo patrimonij ita iurent. 512.
Ordinandi alicui Ecclesiæ asscribantur. 513.
Quorum sint admonendi. 514.515.
Singuli litteras ordinationis suæ accipiant. 516.
Ordo pulcherrimus & æquissima distributio onerum atque emolumentorum inter Vicarios Chorisocios & Capellanos. 246.247.
Ornamenta, quæ quibus examinanda seu lustranda. 361.579.
Ostia Ecclesiæ vt custodienda & aperienda. 351.
Ostiariorum munus hodie qui gerant. 350.

P

Pœnitentiæ vtilitas. 483
Pœnitentiæ publicæ vsus in Ecclesia reuocatur. 28.
Panes præbendales in specie distribuantur. 419.
Parentis patrisfamilias Præceptoris officia. 294.290.295.297.

Parochiale templum quibus diebus suum cuique adeundum. 287.
Parochiani qui per quos obseruandi. 318.
Parochiæ fines rectè distinguantur. 433.
Parochialibus Ecclesijs vacantibus quomodo prouidendum 251.252.253. 333.334.
eis ne conductitij sacerdotes præficiantur. 331.
Parochialibus Ecclesijs non detur Pastor, Rector, Vicarius, Capellanus adiutor vel socius nisi examinatus & admissus. 254.
Ad Parochiales Ecclesias promoti contra constitutionem Pij V. nullum prouisionis ius acceperunt. 254. 255.333.& seq.
Instituens aliquem in Ecclesiam parochialem, qui instituendus non erat, tribus mensibus ab officij sui executione & fructuum suspensione suspensus est. 254.255.
Parochiales Ecclesias qui deserere cogantur. 257.
Paschatis tempore communicare tenemur. 469.
Pastoralem iurisdictionem vsurpans sine institutione Episcopali, quam incurrat pœnam. 255.256.
Pastores debent esse forma Gregis. 304. 317.258.
Pastor nec pestem timere debet nec persecutionem. 259.303.
Pastoris quæ sint officia. 258.259. & seq. & 400.401.399.407.449.475.496.526. 592.
Pastores iure diuino & naturali quibus suis assiduò adesse debent, etiam persecutionis & mortalitatis tempore. 259.260.261.338.339.
Persecutionem tamen ne exacerbent. 260.
Quando latere possunt. ibid.
Pastor hîc canonicus alibi, vbi residebit. 263.338.& seq.
Pastorum variæ instructiones: de his quæ ad concionem. 266. & seq.
Ad redarguendum hæreticos. 267. & sequent.
Ad instituendum populum. 277. & sequent.
Ad erudiendam iuuentutem. 280. & sequent.
Ad monendum Principes & magistratum 282.& seq.
Ad formandas conciones. 303 264.& sequent.
De administratione sacramentorum. 436. & sequent.
Pastores sint agri dominici cultores, 266. Speculatores supra populum Dei. 299. Lucerna ardens, Duces populi, &c. 305.
Pastores & concionatores quę deceant, quæ dedeceant. 305.306.
Pastor aut Rector Ecclesiæ nullo modo committat Religioso vices suas. 331.
Pastores non residentes in suis Parochijs, residere coguntur. 261.
Pastoris officium quomodo facile & damnabile, quomodo difficile & beatum. 325.326.
Illud non amando & otioso animo, sed timendo Pastores retineant. 326.
Pastores & Sacellani quouis tempore parati inueniantur ad administranda Sacramenta. 315.316.
Pastores doceant catechismum, ad eandem rem alios instigent, & manu ducant. 280.281.
Habeant in singulis plateis certos inspectores & infirmiorum directores. 318.

Scho-

Scholæ Parochiali quam curam debeant. 318.319.
De omni re plus orationi fidant, quam industriæ suæ. 319.
Cætera vnde cognoscent. 319. 320. 325.
Pastores quibus superintendere debeant. 316.590.
Habeant fundationes, onera, & obligationes omnium qui sibi subiecti sunt, curentque vt omnes ac singuli satisfaciant officio suo. 316.317.
Res Ecclesiæ suæ custodiant & rectè custodiri curent. 316.317.
Pauperum & miserabilium personarum cura diuino præcepto eis commissa est. 316.
eorum nomina in matricula scripta habeant; non perdant ex eis quenquam; vinctos & infirmos visitent. 317.476.502.
Pastorales labores tanquam se indignos, in alios non reijciant. 495.496. 280. 281.
Parochiæ suæ vicos frequenter obeant oues suas cognoscant: omnium statũ exploratum habeant. 317.324. 325.
Pastorum victus, vestitus, & sustentatio. 327. 328. 329. & sequent.
Nihil eis à Collegijs, Monasterijs, &c. cupidè vel auarè detrahatur. ibid.
Pastoralem curam nullus inuadat sine præuio examine & episcopali admissione. 194.
Pastores sciant abundare, sciant & egere. 330.331.
Ad Synodos pastorales alioſque conuentus conueniant. 202. 332.
Quam obedientiam quibus debeant. 332.
Quam curam infirmis. 476. & seq.
Pastores, & sacrarum virginum præfecti sæculares, & Pastorum Sacellani huiusmodi collaria, semper gestent. 215.
Pastores ciuitatis Colonienſis, huiusmodi edi curent librum. 279.
Leges Scholasticas scribant. 593.
Instituant menstruas congregationes. 300.
Sint Magistri vel Licentiati in S. Theologia aut iure Canonico. 301.
Epistolas & Euangelia in Calendarijs quotannis rectè notari curent. 310.
Pastores ruri habitantes in quæstionibus ambiguis quo recurrent. 300.
Pastores familiæ, Decanorum duntaxat vicarij sunt. 173.
Pastores si qui Decano naturali subiecti non sunt, ad synodos Diœcesanas conueniant. 332. vide Sacerdos, Canonicus, Clericus, animarum cura.
Pauperum quis vbi respectus habendus. 554.
Paupertatis votum. 55.
Paupertas quando voluntaria. 55.
Quando violetur. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62.
violantium pœna. 62.
Patrimonium quando alienare non liceat. 512.
Patrini tantum duo vel vnus. 449.
Eorum officium & obligatio in quo consistat. 451.452.
Patrini qui esse prohibentur. 451 453. quid ab eis exigendum. 452.
quales admittendi. 453.
Pax ad *Agnus Dei*, in Missa omnibus ferenda & ab omnib. exigenda. 396.
Peccandi consuetudo quomodo superanda. 467.494.495.
Peccati censura non temerè ferenda. 309.
Peccatum publicum publica pœnitentia puniatur. 28.180.

Peccata quantopere fugienda, eorum principijs occurrendum. 299.
Peccatorum quæ à sacra communione excludunt huiusmodi in Ecclesijs proponatur tabula. 467.
Peccata num ob pecuniam impunita relinquenda. 28.
Peccatores corripiēdi. 296. 297. 27. 28. 29.
Pedellorum officium. 419.
Persecutio non debet pietatem extinguere, sed probare & extimulare. 211. 259. 270. 272.
Peregrino sacerdoti Missam celebrare non licet. 195. 383.
Pluralitas dignitatum, beneficiorum, Ecclesiarum. 25. 26. 261. 262.
Pluralitati beneficiorum hoc quoque modo occurratur, 512.
Portæ ostiorum, ac fenestarum Monasterij quæ cura habenda. 72. 75. 76. 77. 80.
Præbendæ duæ potius vniendæ quàm vt vnus duas præbendas habere cogatur. 189. 562.
Præbendæ tenues quomodo sufficere poterunt sine vnione. 246. 247. 248. vide beneficium.
Presbyteri vide Clericus, Sacerdos, Canonicus.
Prædicationis munus Prælatis & Pastoribus incumbit; quando & quomodo præstandum. 264. 265.
Prædicatio non omnibus est concessa. 265. 105. 106.
Prædicatoris variæ iustructiones. 262.
Prædicator iste reprehendatur. 269.
Prægnanti mortuæ qua cautela vterus aperiendus. 447.
Prælati quomodo eligendi. 12. 13.
idipsum exemplo docetur. 15. 16. 18.
Quales eligendi. 12. 13. 14. 15. 20. 21. 22.
quid post electionem faciendum. 16. 18. 19.
Quid iurabunt. 17.
Iusiurandum iniquum, non exigatur. ibid.
Prælatorum officium est: Vineam Domini excolere, & tantis viuere, quātis præsunt. 19. pro se & subditis suis sacrificium frequenter offerre. 20. 21. meditari in lege Domini, imitari sanctos, qui eos in officio præcesserunt. 21. assiduè residere. 24. & sequent. Disciplinam Ecclesiasticam cōseruare & restituere, nihil ab eius vigore timidè remittere. 20. 27. vide præfationem. Crimina punire, munera respuere. 28. nihil dissimulanter agere. 29. expeditissimè ius dicere, excessus subditorum inuestigare. 29. alterius iurisdictionem non impedire 30. Quando metuunt, ad Ordinarium recurrere. 31. Pro ouibus suis animas suas ponere. 33. verbo & exemplo docere. 20. 33. Libros suspectæ fidei auferre & comburere. 274. multaque alia facere. 408. & seq. 34. 35. ibidem notabilis D. Gregorij de Prælatis sententia. 326.
Prælatorum, in corrigendis excessibus quanta sit auctoritas. 30. 31. Eam alijs ne cōmittant. 32. 33. Ad disciplinam exercendam certos canones habeant. 34. Comparātur Nauclero. 27. 28.
Prælatorum, excessus subiectorum suorum non corrigentium, pœna. 32.
Prælatorum qualis vestitus, qualis debeat esse mensa. 22. 215.
Prodeuntes in publicum stolas seu oraria aut collaria holoserica gerāt. 215.
Coronam gestent ordini & dignitate suæ congruentem. 22.
Præpositi ad quæ officia ex iuramento suo teneantur. 153. 154. 155. 156.

Debent assiduò in Ecclesia cui ascripti sunt residere. 24.154.155.
Quibus virtutibus excellere debent. 156 vide Pielatus.
Præsens quis iudicetur. 417.
Præsentiæ, vide distributiones.
Præsentiarij, vide Signator.
Principum officia. 282.
Præsidentium vita pro meritis subditorum disponitur. 312.
Processiones quî peragendæ. 404.405.
Procuratores Principum in officio Patrinorum, magis quam Domini sui, obligatione Patrinorum tenentur. 453.
Professio quomodo emittenda. 41.& seq. Professio fidei, vide fides.
Proprietatis peccatum & pœna. 56.58. 60. 61.
Prouisores parochialium Ecclesiarum ad quid teneantur. 582.
Prunæ à quo, & quando ad altare portandæ. 354.
Psallendum quî sit. 373.374.
Puellæ non cogendæ nec impediendæ monasterium ingredi. 41. 42.
Puer administer sacerdotis sacrificantis quomodo vestiendus. 389. Instar Angeli sese gerat. ibid. & 390.
Pueri ad religionem informandi. 280. 293.294 464.468.496.588.591.
Puerpera à partu. primum ad Ecclesiam suam parochialē se cōferat. 454.
Pulsus campanæ manè, meridiè ac vesperi quid sibi velit. 38. quid tempore tempestatis. ibid.

Q.

Quadragesimale ieiunium quomodo seruandum. 535.

R.

Raptores bonorum Ecclesiasticorum puniuntur. 583.
Rector populi qualis esse debet. 5.6.
Rectoris Vniuersitatis Colon. officium. 234.238.551.552.
Rebaptizari non licet. 447.
Rector Ecclesiæ, vide Parochus.
Regressus tolluntur. 567.
Regulæ Monasticæ vbinam sedulo examinandæ. 117. Regulæ scolasticis à quibus præscribendæ. 503.
Regularis vitæ quę sint fundamēta. 52.
Regulariū superiores quomodo creandi. 36. Regulariū victus. 57.58. vestes, 58.59.70.71. cōmunis vita. 57. & seq.
Nihil operentur aut seruent sibi. 59.70.
Nuptialibus alijsque similibus conuiuijs non interfint. 62.63.64.
Procul iturі seruent constitutionem Sixti. V. 64.124.132.133.
In Baptismo & confirmatione non sint patrini. 65.
Mon curent aliena negotia. 65.
Non subijciant se alicuius obsequio, sine superioris sui licentia. 65.
Non exeant Monasterium sine iusta caussa & licentia. &c. 64.
Egressi & foris prandentes hæc obseruent. 67.68.69.
Quando vestem mutare poterunt. 70.
à quibusuis quolibet tempore ne inuisantur. 72.76.77.78.79.
Parentes suos sic videant, vt per eos non videant alios. 74.
Sine conscientia & permissu superioris sui nihil agant. 77.82.
Non habeant plures lotrices. 79.
Visitantibus se vinum aut cereuisiam non propinent. 77. Eorum cubicula, præfectus frequenter visitet. 82.
Temporis quam debeant habere rationem. 83.84.85.86.87.88.89.90.
Meditationibus & orationibus vacent. 85.86. Lectorem seu instructorem Theologum habeant. 89.90.

Qui

Qui studiorum causſa mittendi erunt foras ad vniuersitatem, arctè contenteque ibidem habeantur. 90.
Scholas externis adolescentibus aperiant. 90. 91.
Hospites ac conuiuias sic tractent. 91. 92. 93. In omnibus monasticæ vitæ exercitijs sint vniformes. 97.
Non possunt confessiones audire sine Episcopi examine & approbatione. 97.151. Non possunt sacramentum vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ clericis aut laicis administrare, nec matrimonia solennizare sine parochialis presbyteri licentia speciali. 98. Non possunt absoluere excommunicatos à canone vel à sentētijs, per statuta prouincialia aut Synodalia promulgatis, nisi....98. neq; à casibus sibi ab Episcopo reseruatis. 98.107. Non possunt prædicare sine licentia Episcopi. 105.106. Habeāt aliquando confessariorum varietatem. 99. Quando & quoties confiteri debeant & communionem sacramentalem percipere, 100. quando Missam audire, 100.101.102. quando concioni aut sacrę exhortationi interesse. 103. qualis esse debeat huiusmodi exhortatio, 193. sæculares ab ea excludantur, 103.104.
Regularium ad sacros ordines mittendorum quæ habenda ratio. 106.
Regulares ad colligēdas eleēmosynas emittendi, sint viri graues, &c. 106.
Extra tempora sibi permissa non admittantur. 106.
Ecclesijs parochialibus, si fieri potest, non prēficiantur: Si præfici debant, ab Ordinario examinentur & admittantur. 107.109.331.487.
Ecclesijs parochialibus præfecti, ad quæ teneantur. 108. non facile mutentur: hæc illis à superioribus [illegible] mandentur. ibid.
Quando extra Monasterium esse cogūtur, nō sint leues aut instabiles. 109.
Quādo corrigentur ab Ordinario. 110. 124. De ordine ad ordinē translati, in clausſtro perpetuò maneant, &c. 110.
De Regularib. apostatis quā curam habere debēt Archidiaconi, Archipresbyteri, & Regularium Prælati. 111. 112. 113 114. Quod erga eosdem sęcularis magistratus officium. 113. 114.
Regulares fugitiuos, vagos, ignotos inobediētes, nemo recipiat, foueat, aut ad Sacramēta vel ad ecclesiastica ministeria admittat. 113.124.
A Regularibus iter facientibus quid inquirendum sit. 124.132.
Regulares àdiuinis officijs se absentantes quomodo puniendi. 363.
Residere tenentur Prælati, Abbates, Abbatissę, Prępositi, Archidiaconi, Decani Scholastici, Choriepiscopi, Cantores, Pęnitentiarij, Thesaurarij, & omnes obtinentes beneficia, quę requirunt residentiam de iure, seu consuetudine. 24
Pastores. 258. 259. 260. 261. Canonici. Vicarij alijq́, officiantes. 408. & seq. & 412. 423.
Residere negligentium peccatum. 23. 408. 413. 422. 423. 433. & pœna. 24. 408. 415. 416. 417. 422. Eorum dispensationes, si quas habent examinandæ. 25. 262.
Religiosus vide Regulares.
Reliquiæ SS. pia veneratione visitandæ. 242. diligenter custodiendæ. 354.
Reliquiæ Sanctorum vt habendæ ostentandæ, & donandæ. 537.
Renunciatio bonorum ante professionem nulla. 45.
Quę circa eā obseruanda. 46. 47. 48 49.

Repreſentationes hæ poſt hac non fiant. 539.
Res alienas inuadunt qui decimas non ſoluunt. 514.
Reſeruationes mentales nemini permittuntur. 555.
Reſeruationibus fructuum non grauandæ Eccleſiæ. 329.
Reſignationes quando quomodo admittendæ. 574. In reſignationibus peccantium pœnæ. 575.
Reſignationes reciprocæ prohibentur. 230. 231.
Ritus iu Miſſa ſeruandi. 382.
Rudimenta linguæ latinæ vbi tradenda. 589.
Rurales Decani vide Decanus.

S.

Sacerdos ignotus aut peregrinus quomodo admittẽdus. 383. Sacerdos primam Miſſam facturus de varijs admonetur. 383. peccati mortalis ſibi conſcius, ad S. Euchariſtiam ſine ſacramentali confeſſione non accedat. 383. 384. Criminoſus notoriè ſacris altaribus non aſſiſtat, nec qui pridie ſcandalum dedit. 386. multa præterea alia ſacerdotibus in Miſſa cauenda vel obſeruanda præſcribuntur. 387. & ſeq.
Sacerdotes multi cur vani. &c. 398.
Sacerdotes & Clerici parochialium Eccleſiarum, parocho Eccleſiæ ſubiaceant. 244.
Sacerdotes omnes gerant biretũ Clericale, ad crucis formam confectũ. 215.
Sacerdos ſacrificans clamoſa voce alium ſacrificantem non turbet. 391. vide Canonicus, Clericus.
Sacramenta qua promptitudine adminiſtrare teneantur Paſtores & Sacellani. 315. 316. In ſacramentorum adminiſtratione quæ obſeruanda. quæ cauenda. 436. & ſeq. à quibus, vbi ſint miniſtranda. 439.
Quibus, ſint adminiſtranda, quibus neganda. 440
Sacramentorum virtus, ritus & ceremoniæ ſæpe explicanda ſunt. 440.
Sacrificio quæcunque ſeruiunt ab Epiſcopo benedicta ſint. 388.
In Sacriſtia ſit perpetuum ſilentiũ. 352.
Sanctimoniales pollutæ quomodo tractandæ. 52.
Sanctimoniales quæ extra monaſteriũ ſuum degunt, habeant huiuſmodi teſtimonium. 64. Sanctimonialium clauſura. 66. 67. 137. Clauſuram violantium pœna. 66. 67. 146. 149.
Sanctimonialium ludimagiſtra. 91.
Confeſſarij. 99.
Sanctimoniales curent vt diebus feſtis non ſint ſine ſacrificio. 101. Metu ad ingreſſum religionis non ſunt compellendæ, nec impediendæ. 297. vide Nouitius, Regularis.
Scholarum quæ habenda ratio. 582.
Scholis Eccleſiarum quomodo prouidendum. 589.
Scholarum priuatarum tollenda eſt nimia frequentia. 589. 590.
Scholaſtici officium. 236. 191.
Scribendi ſcientia neceſſaria ſuſcipientibus primam tonſuram. 504.
Scripturæ S. vetus editio in vſu retinenda. 308. Scripturam ſacram interpretandi, quis modus. 2.
Seminarium quibus modis dotabitur. 421. 233. 234.
Sepulcra in tẽplis quãdo aperiẽda. 317.
Sepulcra quomodo facienda. ibid.
Sepultura Eccleſiaſtica quibus neganda, 540. 541.
Sigilliferi officium. 232. 233.
Sigillum ciuitatis Colonienſis. 7.

Sigillum confessionis. 496. Illud violantis pœna. 496. 497.
Signator aliquis designandus, cui hoc incumbet officium. 417. 418.
Signatoris officium. 398.
Silentij apud Regulares quæ habenda cura. 82.
Silentiũ Pastoris non vacat culpa. 269.
Simoniaca labes prohibetur. 556. 557. eius effectus & pœna. 557.
Spectacula diebus festis non exhibeantur. 529.
Sponsalia quid sint; vbi, quibus præsentibus, quomodo cõtrahenda. 517. 518. desponsandus & desponsanda de quibus interrogandus. 517. 518. Matrimonium contrahere non permittantur si hæc ignorent. 517. si fuerint coacti. 518. cogentiũ contrahere pœna. 518. Sponsalia claudestina irritata non sunt. 522. vide infra post iudicẽ.
Sponsi alterius regionis aut regni quomodo ad matrimoniũ admittẽdi. 523.
Statuta collegiorum examinanda. 187.
Sterilitatis vini quæ causa. 221.
Strepitus à Monasterijs arcendus. 79.
Subdecani Choriepiscopi, Scholastici. Cantores, Decanorum suorum onera subleuent. 191. 402.
Suffragia quomodo dicenda. 183. 184. 185. a dicendis suffragijs qui excludantur. 184.
Superstitio quale peccatum; variæque eius species. 541. 542.
Superpellicèorum fimbria sicut Prælatos, sacerdotes, illustres & alios inter se distinguit: ita ab his eos quoq; distinguat qui beneficia obtinent, quibus onus præligendi annexum est. 216. 217.
Supellectilis Ecclesiasticæ quæ habenda cura. 355. & seq.
Suppellex Canonicorum & Clericorum. 217. 577. 578.
Supplicationes cur institutæ, quid in illis cauendum. 289. 290.
Supplicationes & stationes quid à Clero & populo requirant, quæ in eis repræhendenda. 404. 405. 406.
Symbolum apostolicum non mutilandum. 400.
Synodo instante quid agendum. 160.
Synodi vana æquiorum temporum expectatione nõ sunt differendę. 162. 27.
Synodi Episcopales bis quotannis celebrandæ. 163.
Synodum pastoralem secundo quoque anno tenentur agere Archidiaconi. 160. tertio quolibet anno Decani rurales. 201. Qui in huiusmodi Decanorũ ruraliũ synodo adesse cogũtur. 202.
In Synodis diœcesanis quid agendum. 257. 260. 200. 160. 159. 300. 327. 330. 332. 364. 403. 540. 562 591.
In Synodis Pastoralibus quæ tractanda. 299. 201. 332. 440. 449.
Susceptores. vide Patrini.

T.

Tabernæ a quibus vitandæ. 222.
Tabula capitularis quẽ vsũ habeat. 397.
Temporum quæ habenda cura. 351. & seq. cauendum ne in publicam plateam vertantur. ibidem.
In templis quæ illicita & prohibenda. 292. 352. & seq.
Templorum violatorum quæ cura habenda. 387. 388.
Tentatio non est supra id quod possumus. 310.
Testamentorum executores sunt Episcopi. 589.
Testamentorum quot & qui cõstituendi inspectores. 585.
Testamentorum executores ad quid teneantur. 585.

Testatores de quibus sint monendi. 586. 587.
Testamentum condere quatenus Clericis & beneficiatis liceat. 232. 233. 231.
Testes qui intersunt contractui matrimonij qui esse possint. 523.
Theologicæ lectiones quæ Coloniæ instaurandæ. 551.
Thesaurarij. 362.
Tituli ordinandorum examinandi & plura quæ eò spectant. 511. 512.
Tonsura Clericalis quid sibi velit. 209. 212. quibus non conferatur. 504.
Tonsura quali Clericis, quali Diaconis. Sacerdotibus, Prælatis vtenda. 23.
Tribunalia in templis nõ ferantur. 373.
Tribulationes cur imittantur in populum. 458. 584. 269. 296.
Tribus plebis, siue fraternitates ciuium qua de caussa institutæ; quam earum curam geret Pastor. 318. 316.
Turnorum lucra. 427.
Turnorum lucra prohibentur. 556. 557.
Tipographi ad quæ teneantur. 274. 342. 343. 552. & seq.

V.

Vagantes non facile ad matrimonium recipiendi. 523.
Vago sacerdoti Missas celebrare non licet. 383.
vasa quæ quibus abluenda. 356.
visitatoribus Monasteriorum traditur visitandi modus. 116. 117. 118.
Vendere quando Clericis nõ liceat. 512.
Vendentes & ementes procul sint à Templis. 352.
Væstis alba cuius rei admoneat Clericos. 350. 351
Vestitus Clericorum. 213.
Vicariorum onera & Vicariarũ emolumenta quomodo diuidenda. 246. 247.
Vicarijs, in diuersis Ecclesijs eadem die distributiones accipere non licet. 411. 413.
Vicarij, alijq; sacerdotes & Clerici conforment se his quæ Canonicis præscripta sunt, & ad capitulum disciplinæ compareant. 244. Officia chori à se non reijciant. 245.
Vicarij in Pontificalibus officium quod. 115. 116.
Vigiliæ pro dẽfunctis qua hora in Ecclesijs dicendæ. 238.
Vini quæ mensura Regularibus concedenda. 93. Vinum adustum ante ostia templorum nõ vendatur. 352. Vinum in exequijs non propinandum. 407.
Virgiferi. 362. vide custos
Vocem in Capitulo qui amittant. 184.
Vota Regularium. 52.
Vota quæ & a quibus non recipienda. 493.
Vnctio extrema cur instituta. 497.
eam contemnentis pœna. 498.
eius administratio quomodo honoranda. 499.
Quæ præterea in ea obseruanda. 500. & sequent.
Quæ membrorum loca vngenda: 501. quando sit danda. 498.
eius forma. 501.
Vnctionem Sacramentalem spernentes qua pœna multandi. 498.
Vniones examinandæ. 561. Quorum beneficiorum fieri debeant. 562.
Vota regularium. 52. 53. 55.
Vsura quale peccatum, quibusmodis committatur. 546.
Vsurarij qua cautela absoluendi. 548.
Vsurarij bona quatenus restitutioni sint obnoxia. 458. item hæredes. ibid.
Vsurariorum pœna. 548.
Vsurpatores bonorum Ecclesiasticorum excommunicantur. 583.

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS AC DOMINI, D. OCTAVII FRANGIPANI MIRTHI, PRIMVM CALATINI AC DEINDE TRICAricensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Nuntij, Constitutio de Sacramentorum administratione, præcipuè autem de Matrimonijs clandestinis, Baptismo, & Patrinis; quæ cum suo loco, vbi eius facta fuit mentio, per obliuionem non fuerit inserta, ad satisfaciendum studioso lectori hîc posita est.

Pag. 439. 450. & 521.

OCTAVIVS DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPVS CALATINVS, S. D. N. GREGORII DIVINA PROVIDENtia Papæ XIIII. eiusdemque S. Sedis in tractu Rhenano & Belgarum prouincijs Nuncius cum potestate Legati de latere, Vniuersis & singulis, Decanis, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus Plebanis, & Viceplebanis, Curatis & non curatis per ciuitatem & Diœcesim Colonienſem vbilibet constitutis salutem in Domino & nostris imo Apostolicis in huiusmodi firmiter obedire mandatis.

QVia parum esset nos Diœcesanam Synodum Colonienſem annis aliquot intermissam in vsum reuocasse, atque aliquatenus ad pristinum reduxisse vigorem, nisi etiam debitam illius decretorum executionem curaremus: Ideo cùm inter alia in vltima synodo decreta promulgata, illud vrgentibus nobis, ad reparandam Ecclesiasticam disciplinam multis modis labefactatam, etiam publicatum fuerit; vt omnes in animarum cura & ministerio constituti sedulò & accurate incumbant in diuinorum sacramentorum dispensatione, iuxta legitimas Ecclesiæ sanctiones: & modo dolentes audiamus, non esse post synodalium decretorum publicationem, ipsumque conuentum legitimè absolutum pastoribus iniunctum, vt illud susciperent, susceptumque

Publicata fuit hæc constitutio in ciuitate Colonienſi Dominica VI. post Trinit. quæ fuit 21. Iulij. Anno 1591.

ceptumque singuli in suis parochijs publicarent, publicatumque seruarent; vnde non sine magna Christi fidelium iactura animarum dispendio, & multorum errorum implicatione, præsertim eorum, qui ex clandestinis coniugijs emanare solent, irritum omne studium nostrum deprehendamus: hisce nostris litteris vobis omnibus & singulis auctoritate nostra Apostolica præcipimus, & mandamus in virtutæ sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt in omnib. sacramentis, per vos vti curatos ministrandis, nimirum Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema vnctione, & præsertim Matrimonio, ritè rectéque iuxta sacrorum canonum præscriptum, decreta & statuta conciliorum ac synodorum huius Colonienſis diœcesis, munus pastorale exequamini, ac proinde mox hisce litteris visis, primo die festo in parochijs singuli subdito sibi populo Concilij Tridentini decretum sub sess. 24. tit. de refor. matrim. cap. 1. semel atq; iterum ac sæpius, quemadmodum expedire videritis, publicetis & explicetis &. Atque vt illud tam salubre præceptum, protinus optatum consequatur effectum, ad grauissima incommoda in posterum depellenda, omnesque omnino iudices liget, post tempus ab eodem sacrosancto concilio præfixum trigesimo nimirum die à prima publicatione in singulis parochijs facta, intelligant ea omnia matrimonia, præter formam illius decreti contracta, post prefatum temporis lapsum irrita & nulla in eorum sententijs decernenda, quemadmodum in illa constitutione Concilium Tridentinum irritat & annullat, cuius tenor est talis:

Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; & ptoinde iure damnandi sit illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia à filijs familias sine

consensu

consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis caussis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum cùm sancta synodus animaduertat probationes illas, propter hominum inobedientiam iam non prodesse, & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugijs ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore vxore, cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt; cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: iccirco sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati, vestigijs inhærendo præcipit, vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum sollemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur; vbi parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suscipio Matrimonium impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem, denunciationes in Ecclesia fiant; vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, & iudicio sancta synodus relinquit. Qui aliter quam

præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti, decreto irritos facit & annullat. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos cõtrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadẽ sancta Synodus hortatur vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendã, in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri; neque à quoquam nisi ab ipso Parocho vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alij sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius sacerdos, siue regularis siue sæcularis sit; etiamsi id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine, licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit: ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum & testium nomina, diemque & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremò sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ prouinciæ alijs, vltra prædictas laudabilibus consuetudinibus, & ceremonijs hac in re vtuntur,

eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam salubria præcepta quemquam lateant Ordinarijs omnibus præcipit, vt cùm primum poterint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diœcesum parochialibus Ecclesijs; idque in primo anno quam sæpissimè fiat, deinde quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem parochiæ factæ, numerandos.

Præterea cum inter impedimenta matrimonij latissimè pateant cognationis spiritualis, consanguinitatis & affinitatis, ac denique publicæ honestatis iusticiæ; volumus, vt c. 2. 3. & 4. Trid. sess. sub eodem titulo de reformatione Matr. in parochijs vobis concreditis summa prouidentia custodiatis & obseruetis, eorumq; vim & vsum populo publicetis & explicetis, ne ob ignorantiam negligentiamue talia dissimulentur, vel contemnantur; cum citra peccatum, scandalum, periculumque quotidianum dissimulari & contemni nequeant. Insuper cùm nobis innotuerit vestros animos nonnumquam sollicitari ad dandū baptismi Sacramētum extra fontes Ecclesiarum in domibus priuatis, nulla caussa necessitatis vrgente: vobis omnibus sub pœna suspensionis interdicimus, & vetamus omnino, ne aliquis absque necessitate extra fontes deputatos in ædibus baptizetur; cùm in Ecclesiæ conspectu, maiori cultu ornatuque, salutare hoc regenerationis Sacramentum ministretur, & sanctorum patrum decreta statuerint ministrandum. Denique vos omnes hortamur & obtestamur in Domino, vt in vestri populi fidem & mores sollicitè ac piè inquiratis, omnesque ad veram pietatem iustitiamque excolendam pro Dei gloria, ac pro vestra populique salute, quę fuerint emendanda ac corrigenda priuatè priuatim; quæ publicè, publicitus corrigatis

& emendetis, omnem impiam turpem inhoneſtamque conſuetudinem, omnemque abuſum abigatis & in melius reformetis. Porro vt ad omnium notitiam hoc noſtrum decretum perueniat, nec impoſterum aliquis ignorantiæ prætextus quouis quæſito colore allegari poſſit: Omnibus Paſtoribus intra Ciuitatem Colonienſem ſub pœnis ſuprà memoratis præcipimus ac mandamus vt Dominica 7. quæ eſt 21. menſis præſentis publicè pro concione, hanc noſtram ſanctionem ſeu edictum, populo ſollemniter promulgent, ac valuis ſingularũ parochiarum publicè affigant, & per triginta dies affixum conſeruent. Extra verò Coloniam Decanis ruralibus iniungimus ac ſeuerè præſcribimus, vt eodem modo harum literarum conſtitutionem primo die feſto poſt factam intimationem exequantur, ac rudi populo non ſummariè aut perfunctoriè, ſed diſertè atque dilucidè effectum earum explicent, & in praxim deducant, memores miniſterij ac ſortis ſuæ, in quam à Chriſto Domino, tanquam Rectores vocati ſunt, ad gregem ſuum eruendum, ſalutarique doctrina paſcendum. Datum Coloniæ Die 11, Menſis Iulij anno 1591. Pontificatus S. D. N. D. Gregorij diuina prouidentia PP. XIIII. Anno 1.

Nuspiam Antistes non curat Clerus ubi stes
Si non in calis stes ubicunq; uelis

Sodalitii Jesu Paderb.

ERRATA

M. Ar. Epith.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ERRATA TEXTVS, IN QVIBVS PRIOR NVMERUS paginam, posterior verò versum indicat: quod inde sequitur vera lectio est:

Pagina 4. præfationis. versu. 26. acceptentur; accepta firmius. *pag.* 44. v. 14. vadelicto. p. 48 v, 28. testificentur. 56. v. 18. habent *pag.*98. v. 18. excommunicatos p. 168. v. 16. consistit pag. 172. *ad finem articuli decimi iungantur sequentia.* Saluis tamen priuilegijs & indultis Apostolicis Religiosis concessis, & constitutione Gregorij IX. ca. Ne pro dilatione. De pœnit. & remiss. p. 232. v. 24. habito. p. 238. v. 29 Titulo de Beneficijs Ecclesiasticis. pagina 553. p. 248. v. 32. *dele* (de electione) p. 248. v. 8. præstari. p. 294 v. 30. horribile. p. 318. v. 20. poterunt Præfecti Parochiæ, siue Præuisores aut ædiles templi, ac tribun. pag. 309. ver. 33 angelos. pag 336. v. 13 constito. p. 364. v. 12. teneantur. p 375. v. 9. correspondeat. p. 389. v. 24. pallijs. p. 417. v. 34. cum alijs sine iusta causa recu. p. 446. v (vno temporis momento) *deleatur.* p. 467. v. 28. incuria. p. 484. v. 23. Notarij. p 495. v. 29. deliberare p. 527. v. 2. mutuò repudient. p. 535. versu 12. vescuntur. pag. 561. v. 1. (obtentu)

Errata annotationum marginalium.

pag. 183. *vers.* 5 (9 p. 69.) p. 185. v. 12 (c. 5.) p. 214 v. 19 (1307. 4. *Martij edita.* p. 72.) p 218. ad finem annotationis §. 33 adde (*vide infra* p. 577. 578.) p 224. v. 9. (*his clericis, pro*) p. 256. v 2. (*frid. cap.* 15.) p. 284 v. 13 (*cap.* 10.) p. 286. v. 12. (*pag* 443.) p 286. v. 32. (*sess.* 25.) p. 303 v 3. (*cap.* 15. 16.) p. 303. v. vltimo. (*Possevinum*) p. 312. v 4 (2. 3. 4.) p 326. v. 5. (101.) p. 361. v. 1. (*De Consecrat dist.* 1.) p. 404. v. vlt. (1551.) p. 431. annotationem vltimam pone ad initium. §. 27. p 450. v. 15. (*esset*) p. 451. v 12 dele (*quæst.* 2.) p. 463 v 16. (*ibid. ca.* 7. &) p 506. v. 5 (*ca.* 51. *in.*) ibid v. 13 (*dist.* 33.) p. 509. v. 19. (*de Censuris*) ibid. v. 26. (*Hormisdam*) p 516. v 6. (*q.* 1.) p. 528. *ver.* 11. (p. 516.) ibid v. 19. (*Nicol.*) ibid. v. 41 (*Aurel.*) p. 555. v. penult. (& 15.) p. 560. *ver.* 16 (*sess.* 25.) p. 1. v 6 dele (*ibidem*) & pone (*lib.* 3. *de præb. & dignit. ca.* 2.) *præter hæc in tractatu de religiosis & præpositis restituendus est articulis numerus. pag.* 436 *art* 8. *pag* 450. *art.* 25. *pag* 521. *art.* 14. *adde ad marg.* (*vide infra post indicem*) *ibid. lege* (*Dominica* 7.)

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

ANNO M. D. XCVII.

Typis Godefridi Kempensis.

Directori
vti Eccl
Th
4773